


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 152


Leibniz S. 61

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [5] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [6] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [7] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

ALAMANNICA-
RVM RERVM
SCRIPTORES ALIQVOT
RECENTIORES.
A QVIBVS.

ALAMANNORVM SCRIPTORES, VETERES, SVPERIORIBVS TOMIS COMPREHENSI, TVM ALII PLERIQVE omnes atque Germanici quam Francici, in examen ſtatuuntur; ritusq; varii, & conſuetudines veterum Germanorum Eccleſiaſticæ ſimul & Politicæ, veræ à falſis & adulterinis diſcriminantur, ea diligentia atq; fide, ut non ſolum Studioſis Antiquitatum, ſed Theologis cum primis & Iuriſconſultis cognitu utiles & vere neceſſarii ſint.

Tomus tertius & ultimus, in quo primas tenent

IOACHIMI VADIANI, V.N. REIPVB. SANCTGALLENSIS quondam Cos. & in Comitiis Heluetiorum Legati ordinarii

ANTIQVITATES, EX SYNODORVM DECRETIS, ET MONVMENTIS TVM FRANcicis tum Alamanicis conſcriptæ: ex quibus Candidus Lector facile intelliget, quam probe ætate noſtrâ faciant, qui veterem illam & puram Chriſtianiſmi diſciplinam tot ſæculis intermiſſam deſiderant.


EX BIBLIOTHECA MELCHIORIS HAIMINSFELDII GOLDASTI, OMNIA nunc primum eruta & in lucem data.

CVM INDICE ABSOLVTISSIMO.



Ex officina Sauriana, curante Iohanne Theobaldo Schönvvetero, & Conrado Meulio, 1606.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [10] - -

AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, CLARISSIMIS, ET SPECTATISSIMIS DD.

CONSVLIBVS, SENATVI, POPVLOQ. TIGVRINO, HELVETIORVM PRIMARIO, ET S. Rom. Imperii Libero:

Necnon

REVERENDIS, NOBILIBVS, ET ORNATISSIMIS.

Præposito & Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Tigurinæ, cæterisque Ecclesiarum Doctoribus.

DOMINIS ET AMICIS SVIS S. D.

QVAS vobis offero Antiquitates, VIRI OPT. MAX. si Auctor, vt multos annos parturiuit, progignere tandem Diis Nixus & Egeriâ opitulante potuisset, omnes sibi æternùm obligasset, qui optimarum artium & pietatis in studio versantur. Ita enim ab illo sunt collectæ & scriptæ, vt sirectè oculis vtor, nihil viderim ex vlla ætate hoc in genere doctius, nihil pensiculatius. Quare non modò præstantis cuiusdam industriæ parta illi laus est & erit, dum hæc mundi machina, sed etiam singularis ingenij & doctrinæ. Quas animi eius dotes cum iampridem olim multis è scriptis ab eo in lucem emissis cognouistis, tùm in hoc eruditissimo scripto, & ad intellegẽdum illustrandumq́ Franciæ & Alamanniæ nostræ antiquitates accommodatissimo, vehementer scio mecum admirabimini. Quod quamuis necdum formauerit vrsinum in modum lambendo, tamẽ vsque ab vnguiculo ad capillum summum (vt cum Plauto loquar) est festiuissimum. Nõ dubito quidem fore plerosque, qui nec rectè

ſibi dicere iudicent, & ſuis ſæuidicis dictis lectores protelare. Ego verò cur id arbitrẽtur, cauſam occidiſſe arbitror. Si enim verum fateri mecum velint, vt certè debent, temporum magis quàm hominum vitia collegiſſe fateantur neceſſum eſt. Fecit enim probabilitas quædam opinionum humanarum & veriſimilitudo, vt cum aliis in artibus & diſciplinis, tum ipſâ etiam quoq; Religione, alia ſubinde atq; alia placere cœperint. Et ſi vſquam, ſanè hac in re verum eſſe experimur, quod Cicero in Academic. ſcriptum reliquit; Multa eſſe quæ nos fallant probabilitate magna. *Quod quidem, vbi maiores illi noſtri conſideraſſent, non proinde quæ diuina & æterna ſunt, arbitrio noſtro ſubiecta eſſe, vt ſunt humana & mortalia, hac quidem à parte auerti & caueri potuiſſet. Quin imo humana fiunt, & nomen obliterant atque amittunt ſuum, ſi mutentur. Contra ea ſic ſe habent, quæ ab hominibus profecta quæq; inſtituta ſunt, vt neceſſe ſit, quotiens res poſtulare videtur, mutationem facere. In Leges mihi conſiderationem iniicite. An vllæ humanæ, ſiue gentium illæ dicantur ſeu ciuiles, æternæ eſſe poſſunt? Negabitis, opinor, & mehercules rectè negabitis. Et tamen diuina non eſt Lex hodierna, niſi eandem æternam & immutabilem eſſe intellegamus, quæ immutabili æternitate continetur.* Ea eſt *enim (vt Ciceronis verba huc trahamus)* ex omni æternitate fluens veritas. *Si ab æterno eſt, incorrupta ſit & toto tẽporis tempore duret oportet.* Verbum Domini *(ſcribit inſtinctu afflatuq; diuino Petrus Apoſtolus)* manet in æternum. *Et ſingularis DEI æterni Filius atq; vnigena,* Cœlum *(ait)* & terra tranſibunt, verba mea non tranſibunt. *Idem de humanis autem alio in loco,* Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. *Porrò tamquàm conſilia, ita leges quoque temporum eſſe Iuriſconſulti docent, ad quorum variationem, & leges ipſas variare plerumque non honeſtum modò, verum etiam neceſſarium eſt, etiam Cicerone auctore in iis ad Atticum.* Alia ætas alios mores poſtulat, *inſit Romanus ille Comicus. Quandoquidem ergo alia nunc ſunt tempora, quàm Maiorum ætate, quid eſſe cauſſæ memorabunt, qua de cauſſa non aliæ etiam leges temporibus accommodatæ ferantur & conſtituantur? Hos ſibi Vadianus noſter fines terminoſq; deſcripſit, extra quos egredi nec paſſus eſt nec voluit. Non fuit animus eius, (inquam) qui quibuſdam aliis fuit, ſine diſcrimine tollenda eſſe, quæ erroribus originem*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

ginem dederunt: non hoc ei in mentem fuit nec per somnum: verumenim verò ea tantum, quæ Legi perpetuæ et æternæ abrogant, eiusq; vim eneruant: cætera conformanda magis censuit quàm abroganda. Itaque Monachatum non exterminandum prorsus ab Ecclesia consciuit, at quod perperam & vitiosè contra sanctos primæuorum Patrum mores est inductum, atque conscientiis humanis iniunctum, ad illorum exempla castigandum, vt pluribus disputat in ijs libris, quos de reformatione Monachatus Germanicè & doctè ad Senatum Bernensem instituit.

Hos autem, quos nunc ad vos non sine magna accessione mitto, si Partunâ latâ & propitiâ vsus fuisset, ad eos dẽ vos constituerat ablegare, si non fallũt schedæ ipsius manu exaratæ, quas apud Schobingerum nostrum p. m. ex cuius Bibliotheca ista hæc magisterio & comitate Dauidis fratris, hominis per mihi amicissimi, iam diu possidemus, vidimus. Quæ ratio vel sola par esse poterat ad me permouendum, vt hunc fœtum ope Junonis Lucinæ in vitam producerem iam animam ferè vermium corrosione tinear umq; agentem. At erant & aliæ magis persuastrices: officia nimirum vestra in me multò plurima. Taceo quòd multi vestrûm, AMPLISSIMI & NOBILISSIMI VIRI, non more multorum dicis gratiâ me affinem salutent, sed & omni officiorum genere sibi obligent ac deuinciãt. Taceo singularem Ciuium vestrorum in me affectionem & beniuolentiam, quam summis studiis auctam & confirmatã mirificè gaudeo. Illud addo, quum meam pietatem virtutemq; approbatis & decoratis, æquum esse vobis gratiam referre, si non vt volo, saltim vt queo. Multum enim me vobis debere fateor, & dici non potest, quanto mihi oblectamẽto, quanto solatio fuerit, cum nuper ad Alpes nostras consisterẽ, vestro fauore niti. Quem vt porrò quoq; in me perseuerare velitis, eam rem vt iustã & facilem, à vobis oratum volo. Ego vicissim, quæ vos velle, quæq; ad vos pertinere arbitrabor, facturus sum cùm studiosè tùm libenter, quantum in me esse intellexero.

Vobis autem, REVERENDI & ORNATISSIMI VIRI, quòd benè feciſtis, quòd publicitus non vnũ honorẽ habuiſtis, quòd singuli certatim in me officia vestra cõtuliſtis, tempus esse videtur, vt tandẽ aliquando gratiã, si nõ satis proinde, vt vos promeriti estis de me, at aliquam saltim referã. Eam conciliabunt Auctores isti, quibus herclè nihil vtilius, nihil ad vestra studia aptius mittere potui.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [13] - -
PUBLIC DOMAIN

potui. Delectamini enim hoc genere scriptorum, vt qui maximè: plerique etiam in occupationibus molestissimorum negotiorum plenissimis tractare & excolere soletis hæc studia. Tua hæc laus est, Nobilissime STVCKI, Domine & affinis venerande, tua HOSPINIANE, tua IAC. FRISI, tua gratissime hospes VVASERE: imo vestra omnium hæc facultas, quâ non ad priuatum commodum abuti, sed vtilitati publicæ inseruire præclarum & sanè prædicabile est. Pergite igitur iuuare studia nostra, neque laboribus frangamini, quos cum vtilitate publica & immortalitatis fructu compensare debetis. Ego quid possim scio, vel potius parum me posse intellego: veruntamen hoc vobis persuadete, si quo loco Reipub. opera & quantulacunque comitas mea vsui esse poterit, me omni studio perfecturum, vt boni quique cumulate sibi satisfactum fateantur. Cæteros non curat Hippoclides. Neque vos quidem, quicunque superatis, singuli. Quis enim te, Præstantissime LEMANNE, vel in venerandâ hac canicie à Matheseos studio potuit inhibere, quò minus nobis noua instrumenta, quæ vetustati fieri non posse visa sunt, admirandi operis exædificares? Quis te, D. LAVATERE PRÆPOSITE dignissime, vel Aristotelica disciplina politior, vel Galenica in arte peritior? Quis acumen tuum, RVDOLPHE SIMLERE, qui cognouit, non admiretur, geminum Patri ingenium? Sed quò me abripit vetus vsus? Illud volui dicere, multis & veteribus de causis nostræ consuetudinis vobis deberi hos Auctores, qui eandem cum Patribus vestris, quæ inter nos intercedit, necessitudinem multis officiis & mutuis coluerunt. Hoc animo vt accipiatis, vos omnes opere magno esse oratos volo,

VIRI AMPLISSIMI, VIRI REVERENDI.

Quæ res bene vertat mihiq́, vobisq́, & vestræ Reipub. cuius consilia Deus immortalis, vt bene fortunet, id eum ex animo precor. Amate me, & valete. Perscriptum Francofordiæ, a.d. 9. Kalend. Septemb. A.N.C. CIↃ. IↃC. VI.

V. Amplitud. & Reuerent.

Studiosissimus

Melchior Haiminsfeldius Goldastus.

ADE-

ADELARII CRAVELII LEVBINGENSIS THVRINGI, RECTORIS FRANCOFORDIANI.

EPIGRAMMA.

Ad Nobiliß. & Clariß. Virum

MELCHIOREM HAIMINSFELDIVM GOLDASTVM HELVETIVM.

PVLCHRIVS *ut rutilo ſplendeſcit Iaſpis in auro,*
Quam ſi ſit nullo compta as honore fabri:
Clarior eſt quoque ſic veniens è corpore virtus,
Quod tradit à vera nobilitate genus.
Exemplar nobis Patrone colende relinquis,
AVREI *qui* RAMI *nomen & omen habes.*
Stemma tuum quod ſit, numeroſe & in ordine Patres,
Heluetiæ gentis ſat monimenta docent.
Quæ virtus, novit Germanus, Iberus, & Anglus,
Ac ad quos unquam Pegaſus ivit equis.
Ex ſcriptis hi te norunt, velut ungue leonem,
Qui prælis hodie das tot honeſta novis.
Hiſtoriæ per te vivunt, GOLDASTE; *per ipſas*
Vives donec erit poſteritatis honos.

GOTARDI ARTHVS DANTISCANI OCTOSTICHON
Ad eundem.

NON *prius Æneas chari genitoris ad ora*
Ire potis, Stygios nec penetrare lacus:
Quam pulchra auricomos decerpere ab arbore fœtus,
AVREUM *ei &* RAMUM *quam reperire datum:*
Sic tibi Teutonios nunquam luſtrare receſſus
Atque Alamannorum noſcere facta licet,
Hunc niſi corripias RAMUM *que aviduſque refringas*
AURATUM. *hic namque eſt quo duce cuncta patent.*

SYL-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [15] - -

SYLLABVS

SCRIPTORVM HOC TOMO CONTENTORVM.

IOACHIMI Vadiani Cos. Sanctgallenſis Farrago Antiquitatum Alamanicarum, ſive de collegiis & Monaſteriis Germaniæ veteribus, ut in regno Francorum & inſecutorum Principum aliquot ſeculis habuerunt; lib. II. pag. 1.

Bartholomæi Schobingeri IC. Additiones ad Vadiani Ferraginem, pag. 113.

Iohannis Comandri Epiſtolæ. pag. 154.

Eiuſdem Vadiani liber de Chriſtianiſmi ætatibus, pag. 159.

Eiuſdem Epiſtola de coniugio ſervorum apud Alamannos: pag. 193.

Iohannis Zuichii IC. Epiſtolæ. pag. 204.

Leonis Iudæ Epiſtolæ de Divortio, pag. 207.

Iohannis Kesleri Bibliotheca. pag. 213.

D. PAVLVS ad COLOS. II.

Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid quaſi viventes in mundo decretis tenemini?

IDEM ad GALATH. V.

In libertate autem, qua Chriſtus nos liberavit, ſtate: & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini.

DE

DE AVCTORIBVS ET EORVM SCRIPTIS,

IOACHIMVS VADIANVS, PATRICIVS ET CONSVL SANCTGALLENSIS.

EX nobili & peruetusta Vadianorum Turgouiæ superioris familia, cuius etiam Dodechindus Abbas in Appendice ad Marianum Scotum meminit, & à nostrate vulgo von Watt indigetatur. Prima studiorum suorum fundamenta iecit S. Galli in in Monasterij schola exteriori. Inde Viennam Austriæ missus, vbi pater eius per Hungariam & Poloniam negotia exercebat, tantos in studiis progressus fecit, vt breui ac valde etiam adolescens summos Philosophiæ honores consequeretur. Relicta Vienna Cracouiam petijt in Polonia; verum doctores minus ex sententia quum reperisset, Budam ad Regem Hungariæ contendit, famâ regiæ Bibliothecæ allectus. Hæsit illic aliquandiu Regi & Doctoribus ob ingenij acumen & eruditionem gratus. Hinc reuersus Viennam, Collegio Professorum Philosophico adscribitur, iussu ac mandato Friderici III. Cæsaris, à cuius manu propria lauream accepit Poeticam. Tandem summo in Medicina gradu conscenso à ciuibus suis vocatur in patriam, vbi suæ, cui præfuit Reipubl. strenuissimam, fidissimam, atque vtilissimam nauauit operam. Ex Præceptoribus præcipue coluit Georgium Collimitium Mathematicum, Ioannem Cuspinianum Historicum, & Conradum Celtem Protucium Poetam, quibus vsus est quam familiarissime. Ex condiscipulis familiares sibi inde ab initio fecit Huldrichum Zuinglium, qui tum se Cogelium scribebat, Hericum Loritum Glareanum, Arbogastum Strubium, Ioannem Eckium, Rudolphum Agricolam Iuniorem, & Ioannem Fabrum. Erasmi, Lutheri, Melanchtonis, & omnium eius æui doctissimorum hominum amicitiam ac beneuolentiam summa eius doctrina, singularis humanitas, & qua apud Heluetias plurimum poterat, auctoritas maxima suopte post ingenio conciliauerunt;

runt. Mortuus est S. Galli Anno Domini CIↃ IↃ LI. *sepultus in cœmiterio D. Magni, sed pro more eius Ecclesiæ nullâ adiecta monumenti memoria. Eius scriptâ quædam commemorat Conradus Gesnerus in Bibliotheca, cuius verba non pigrabor adijcere.* Ioachimus Vadianus (*inquit*) natione Heluetius, Medicinæ Doctor, Poeta & Orator, in lucem edidit Carmen de Laudibus Cæsarum Friderici III. patris, & filij Maximiliani, Epitaphium Rudolphi Episcopi Herbipolensis, &c. liber excusus Argentinæ apud Ioan. Prusz, anno CIↃ IↃ XIV. Æglogam, cui titulus FAVSTVS contra inuidos quosdam. Elegiam de Vadianorum familiæ insignibus, à Sigismundo primo Romanorum Rege donatis, ad Melchiorem fratrem, anno CIↃ IↃ XVII Elegiam, qua certamen cum morte describit: & Oden in laudem Dominicæ resurrectionis, Viennæ publicè dictatam, an. CIↃ IↃ X. ibidem impressam, cum Arbogasti Strubij Glaronesij Heluetij orationibus & versibus quibusdam. Syluas de laudibus patriæ, ni fallor, inscriptas. De Poetica & carminis ratione librum ad Melchiorem Vadianum fratrem excusum Viennæ Austriæ, anno CIↃ IↃ XVIII. Commentaria in libros tres Pomponij Melæ de orbis situ, impressa primum Viennæ Austriæ, anno CIↃ IↃ XVIII. deinde Parisiis, CIↃ IↃXXX. Adiectis præterea locis aliquot ex Commentariis summatim repetitis & obiter explicatis, in quibus Ioannes Camers in Enarrationibus suis in Solinum ab eo dissenserat. Item Epistola ad Rodolphum Agricolam Rhetum Iuniorem scripta, vbi explicatur locus apud Plinium de Dodrante & Pygmæis, de longitudine Gabaris, & quid sit vncia apud eundem. Locus Persij ex Satyr. 1. Si costam longo, &c. De Antipodibus multa, de Lacu Acronio & Veneto Locus Lucani ex lib. 6. de Dorio. Locus Virgilij ex 1. Georgicor. de vertice Austrino. Hæc deinceps Basileæ etiam excusa sunt apud Cratandrum. Scholia in 2. C. Plinij librum Naturalis historiæ, impressa Basileæ apud Henricum Petri, cum Iac. Ziegleri Cõmentariis in eundem librum. Epitome trium terræ partium, Asiæ, Africæ, & Europæ, compendiariam locorum descriptionem continens: præcipue quidem, quorum in Actis Lucas, passim autem Euangelistæ & Apostoli meminêre. Opus impressum Tiguri CIↃ IↃ XXXIV. Idem opus ab auctore recognitum ibidem excusum est in 8. additis quibusdam tabellis Geographicis, anno Domini CIↃ IↃ XLVIII. Aphorismorum libros 6. de Consideratione Eucharistiæ, de sententiis videlicet super hac re controuersis, de Sacramentis antiquis & nouis, deque verbo, symbolis, & rebus: item de vero veri corporis Domini esu, de transubstantiationis dogmate, & veritate corporis Christi humani, præterea

terea qualis fuerit ritus cœnę veteribus: rursus per quos, quomodo, & quibus temporibus is ceremoniarum accessione auctus atque immutatus sit, opus impressum Tiguri apud Froschouerum anno CIↃIↃXXXVI. Orthodoxam & eruditam epistolā, qua explicat quæstionem, An corpus Christi propter coniunctionem cum verbo inseparabilem, alienas à corpore conditiones sibi sumat: impressum Tiguri anno CIↃIↃXXXIX. Ad D. Ioannem Zuickium Cōstantiensis ecclesię pastorem epistolam, in qua post explicatas in Christo naturas diuersas, & personam ex diuersis naturis vnam, Iesum Seruatorem nostrum, vel in gloria veram esse creaturam, tum oraculis scripturarum sacrosanctis, tum Interpretum orthodoxorum authoritate docetur & demonstratur. Præterea Antilogiam ad D. Gasparis Schuenckfeldij argumenta in libellum, qui ab eo Summarium inscriptus est, collectam, quibus Christum Dominum in gloria receptum, amplius creaturam nullo modo esse contendit, opusculum anno CIↃIↃXL. Tiguri excusum. Pro veritate carnis triumphantis Christi, quod ea ipsa quia facta est, & manet in gloria, creatura, hoc est nostra caro esse non desierit. Anacephalæosim siue recapitulationem, vbi quædam amplius explicantur: & quæ multis antea exposita fuerant, breuissime repetuntur: Tiguri excusam. Contra tredecim insignes Gasparis Schuenckfeldij errores, de confessione & gloria Christi, quos partim primus introducit, partim veteres renouare conatur, libellus Tiguri editus Germanico sermone. Item aliud opusculum Germanice scriptum, contra eundem Schuenckfeldium, Christum in gloria creaturam amplius negantem per eruditos quosdam fratres ex superioribus Latinis Ioachimi Vadiani libris congestum, &c. Consilium contra pestem, editū Basileæ. Claruit apud S. Gangallenses anno CIↃIↃLI. quo etiam obiit. *Hæc ille. Scripsit præterea Latino sermone quæ nondum edita, Notationes in Nouum testamentum, Explicationes in Acta Apostolorum, Quæstiones diuersas & earundē resolutiones, Tabulas Cosmographicas, Notas in Persij Satyras, Commentaria in Columelli hortulum, Commentaria in Solinum, Notas in Alberti Magni descriptionem orbis terrarum, Notas in Thomæ Aquinatis tractatum de corpore Christi, librum epistolarum, libros Carminum, Orationes, & alia, quæ memoriā exciderunt. Germanice itidem scripta supersunt, De Collegiorum & Monasteriorum vera restauratione ad Senatum Bernensem, Descriptio Lacus Acronij & confinium locorum, Descriptio Turgouiæ; ex quibus duobus libris valde & tacito auctoris nomine locupletauit Chronica sua Iohannes Stumpfius Tigurinus. Disceptatio & Arbitrium in causa Bernensium & Septem Pagorum de administratione Lantgrauiatus Turgouiensis, & alia, quæ S. Galli adhuc extant partim apud Schobingeros & Zollikoferos, eius nepotes,*

partim in Bibliotheca D. Magni, quæ est Reipublicæ. Omnia duobus tomis comprehensa, edere studebat noster Schobingerus: sed morte præuentus non absoluit.

BARTHOLOMÆVS SCHOBINGERVS, PATRICIVS ET I.C. SANCTGALLENSIS.

EX antiqua Schobingerorum gente, quæ apud Villanos aliquot centum annos clara. Nomen habet à castello, cuius adhuc rudera supersunt, **Schowingen** *haud S. Gallo procul sub Abbatis dominio. Cuius nominis & aliud fuit in Turgouia, Glatburgum inter & Oberburam, nunc Pincernarum à Castello, qui Glatburgum inhabitant, peculium. Vir fuit multarum linguarum gnarus, Italicæ in primis, Gallicæ & Hispanicæ, quarum terrarum Academias non otiosè, & dicis gratia (vt multi solent) perlustrauerat. Patrem habuit Dauidem, virum adæque doctum, ac cordatum, cui Theodor. Zuingerus magnam Theatri sui partem inscripsit. Auum Bartholomæum, cognomine Diuitem Philosophum, qui super Naturæ arcanis ausus est cum Theophrasto Paracelso, & Alexandro à Suchten, quibus familiarissimus erat, in certamen descendere. Scripta extant apud Schobingeros, si cum alijs comparentur, auro contracara. Proauum Joannem, Præfectum Baronatui Oberbergensi à Principe ac Abbate S. Galli. Abauum Joannem Scultetum Villanum, virum strenuum ac bellicosum, cuius non semel meminit Joannes Ticklinger in Chronico Bernensi. Moritur noster iste Schobinger, noster (inquam) qui me vt alterum suum, dum vita fuit, amabat, anno* CIↃ IↃC IV. *summis vigilijs fatigatus, quas edendis his ipsis libris, tum Vadiani operibus integris, & tandem exscribendis ac illustrandis Principum, Comitum, Baronum, Nobilium quorundam vetustis carminibus lucubratus fuit, hydropia insuper tactus. Sepultus S. Galli in cœmiterio B. Magni sine epitaphio.*

IOHANNES COMANDER, ECCLESIASTES CVRIENSIS.

AN quid ediderit, & quid illud sit, quod ediderit, pariter habeo compertum. Professione fuit Presbyter & Parochus Cathedralis Ecclesiæ Curiensis: post mutationem religionis, cuius ille primus in Rhetia Curiensi author ac persuasor, Ecclesiastes reformatæ Curiensis Ecclesiæ.

Deuixit multis annis ante Vadianum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

IOHANNES ZVICKIVS, PATRICIVS ET IC. CONSTANTIENSIS.

EX nobilißima Zuickiorum apud Conſtantienſes familia. Summum in iure vtroque gradum Friburgi Briſgoiorum eſt adeptus, Vdalrici Zaſij inde ab incunabilis ſtudiorum condiſcipulus & ſodalis. Catholicæ veritatis primus apud Conſtantienſes contra veteratores, ſocio Ambroſio Blarero conſobrino ſuo reſtaurator. Vir ſine dolo ac ſuco vere pius, ſyncerus & orthodoxus. Poſt occupatam à Carolo Quinto Conſtantiam, ſeceſſit Epiſcopizellam Turgouiæ, vbi & mortuus ac ſepultus eſt, & quo patrem meum Henricum Goldactum ab Haiminsfeldt, amitæ ſuæ nepotem, abductum reliquit. De hoc Conradus Geſnerus in bibliotheca hæc tantum ſcribit: Ioannes Zuiccius Doctor, & Conſtantienſis Eccleſiæ miniſter, ſcripſit libellum Germanicum de Coniugio Conſtantiæ editum in 4. Item ad Reutlingenſes epiſtolam. *Scripſit præterea hymnos quoſdam Eccleſiaſticos, qui etiamnum in Eccleſiis reformatis cantantur.*

LEO IVDÆ PROFESSOR TIGVRINVS.

CONradus Geſnerus in Bibliotheca: Leo Iudæ, Eccleſiæ Tigurinæ miniſter, ex ore Hulderici Zuinglij annotationes in Geneſim & Exodum: item in quatuor Euangeliſtas, Paſſionis Dominicæ hiſtoriam, ac in Epiſtolas Pauli ad Romanos, Corinthios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, & in Iacobi Epiſtolam, Annotationes excepit. Præterea opus Articulorum ſiue concluſionum Hulderici Zuinglij è Germanico Latinum reddidit: quod cum reliquis Zuinglij operibus habetur, & ſeorſim Tiguri excuſum eſt CIↃ IↃ XXXV. Catechiſmum maiorem & minorem Germanice ſcripſit, diſtributum in vices interrogandi ac reſpondendi Impreſſos ibidem veteris Teſtamenti libros Hebraicos, ſimplici & pura dictione è ſacra Hebræorum lingua, conſultis ſimul orthodoxis interpretibus, in Latinam tranſtulit, fide & religione ſumma: paſſim autem per tota Biblia adnotationes & variæ lectiones margimb. adiiciuntur. Froſchouerus excudit Tiguri an. CIↃ IↃ XLIII. Hiſtoriam Paſſionis Domini noſtri, ex quatuor Euangeliſtis coniunctam, clara & ſimplici expoſitione Germanice ſcripſit, impreſſam Tiguri. Deſiderij Eraſmi Paraphraſes in nouum Teſtamentum in Germanicum ſermonem vertit, adiecta declaratione in Apocalypſim Ioannis per D. Conradum Pellicanum, ibidem excuſas. An-

tea quoque tota Biblia Germanice reddiderat, ad Hebraicam veritatem cum Judæo quodam diligenter collata, quæ item Tiguri edita sunt. Claruit apud Tigurinos anno CIↃ IↃ XL. Scripsit etiam Germanice de sepultura, resurrectione, & ascensione Christi, & missione Spiritus sancti. Zuinglij Antibolon contra Emserum, De vera & falsa religione, De prouidentia, Ad Christianum Regem, in Germanicam linguam conuertit. Bullingerii librum contra Anabaptistas Latinitate donauit.

IOHANNES KESSLERVS SANCTGALENSIS.

Hic ante reformationem religionis, sacerdos fuit in æde D. Laurentij apud Sanctgallenses: sed admodum iuuenis. Quæ ætas hominem impulit, vt post mutationem animum ad artificium sellariorum adijceret: quod etiam plurimos annos exercuit. Tandem à Senatu ob eruditionem ad functionem scholasticam vocatus, in ea strenue ac diligenter, vsque ad obitum perstitit. Scripsit Chronicorum opus ingens lingua Germanica, quod apud eius filium S. Galli extat. Præterea vitam Ioachimi Vadiani Consulis, Commentarium in eiusdem Vadiani Gallum, & alia, quæ in manus nostras non venêre.

IOA-

IOACHIMI VADIANI CONS. SANCT-GALLENSIS,

IN

FARRAGINEM ANTIQVITATVM.

DE COLLEGIIS ET MONASTERIIS GERMANIÆ VETERIBVS.

PRÆFATIO.

DE Collegiis, Monasteriisque Germaniæ antiquis scripturo, minime alienum ab instituto visum est, si quas terras eo nomine intelligeremus, candido lectori ante omnia proponeremus. Germaniam igitur à Septentrione venientem, veteres amnibus Rheno & Danubio terminabãt, ab occasu quidem Rheno, à meridie Danubio: pauci ad alpes vsq; extenderunt. Sed horũ tamen authoritate præterita; veterum sententiã posterior traditio confirmauit. Migratione aũt gentiũ Germanicarum trans Rhenum & Danubium factũ est, vt & prouinciæ limitaneæ & conterminæ in nomen Germaniæ transierint, & illa, quam supra memorati amnes includunt, vetus postea dicta sit. Quæ quidẽ quia postrema Romanorũ armis patuit, neq; vnquam aut tota deuicta est, postrema etiã Christianam religionẽ accepit. Nos Germaniæ nomine tam veterẽ illam, quam prouincialem cis rhenanam Danubianamq; intelligimus. Et Germaniæ quidẽ ꝓuinciales has præcipuè terras ingrediemur, quas Franci & Alemanni Rhenum & Danubiũ transgressi occuparunt. Primi aũt omnium Germanorũ Franci, & Francorum pars Alemanni ad fidem Christi conuersi, Collegiorũ & Monasteriorum Germaniæ authores fuêre, extructis videlicet, & amplis redditibus donatis, basilicis cœnobiisq; Presbyterorũ & Monachorũ, quibus Episcopi & Abbates præficerentur. Constat aũt longè ante Francorum & Alemannorũ migrationẽ, & si colligim⁹ nõ ita multis annis à passo Domino, Christi vsq; adeo nomẽ & doctrinã per ꝓuincias illas increbuisse, vt & in Rheni & Danubii ripa Ecclesiæ Christianæ frequentes emerserint; & essent viri sancti, sacra illa & vere Apostolica functione ornati, qui harũ curam gererent. Verum & hæ vtcunq; institutæ & auctæ, Germanicarũ gentiũ frequenti eruptione, deinde vero migratione, nõ afflictæ modo, sed oppressæ etiã & magna parte extinctæ fuerũt. Quare factũ est, vt statu rerum mutato in nouis illis & feris prouinciarũ colonis erudiendis, & instauranda iterũ in Christum fide denuo sudatum & laboratum fuerit. Neq; est à vero alienũ, plus operæ datum fuisse ei negotio in barbaris illis edomandis cõuertendisq; ad Dominũ, quam in Latinis adeoq; Prouincialibus veteribus initiandis antea vnquã impensum fuisset. D. Hieronymus in epist. quã ad Geruntiam de Monogamia scripsit, calamitatẽ illã, quam Germani prouinciis Rheno vicinis intulerant, nõ hac modo causa deplorat, q; videret barbarorum eruptiones Imperij Romani dignitati & quieti incõmodare, sed illa etiã, q; Ecclesiæ prouinciales indignis modis affligerẽtur: Longe amplius ploraturus arbitror, si ꝓuinciis demũ deuictis & occupatis, Ecclesias disiectas excisasq; tot millium Christianorũ casu & interitu vidisset. Quod ipsum paucis annis à Hieronymi morte sub Valẽtiniano eius

nomi-

nominis Tertio accidisse proditũ est, annis post natũ Christum paulo minus quadringentis. Germanorum aũt, qui rupto limite amnes transiuerunt, potissima pars Franci fuerunt; & in Rhetiam primam à prima Germania longe lateq; diffusi Alemanni, tãto tum corporũ robore tum animorũ ardore præ-
3 diti, vt nihil mirũ sit, vel potẽtissimis populis ipsos terrori fuisse. Horũ priores Franci, longius à ripis Galliã ingressi, quum deuictarũ gentium cõsuetu-
4 dine cultiores paulo ciuilioresq; facti essent, demũ Remigio auctore ad fidem Christi cõuersi sunt. Clodoueo illo Hilderichi filio, clarissimo Principe, baptisato (cuius virtute Regnũ illud à Francis Germanis in Gallia cõstitutum, quod annis ante se plus minus 60. durauerat, longe maxime inclaruit) tanta quidẽ animorum mutatione & cultu, vt religionẽ Christianam, quam ignari primis illis in motibus tãtopere affecerant, mox summa ope instaurare circumquaq;, & incredibili quadã animorum pronitate excolere perrexerint: neq; nõ & authores fuerint religionis suscipiendę nõ modo Alęmannis, quos deuicerant, postea sui & iuris & nominis facti, sed etiam Baioariis, Saxonibus & Toringis, aliisq; Germanicæ populis, qui partim prouincias occuparunt, partim suas sese intra sedes continuerunt. De qua re omni, deq; gentiũ Germanicarum migrationibus vir doctissimus Beatus Rhenanus Selestadiensis, in libris illis, quos de rebus Germanicis ad Ferdinandũ Cæsarẽ scripsit, magna fide & diligentia ꝓdidit, ad quẽ nos lectorem plura desiderantem remittimus. Ad Francos interim & Alemannos cõuersi, quos satis constat inter elogia sua & acclamationes, quibus sunt gauisi, nullas plausibiliores habuisse, quam quæ conuersos se ad fidem Catholicam testarentur. Extant enim ho-
5 die q; in vetustissimis codicibus, quædam de vernacula, ni fallor, Francorum lingua à scribis vtcunque translata, quæ in hunc modum habent;

GENS FRANCORVM INCLYTA
AVCTORE DEO CONDITA,
FORTIS IN ARMA,
FOEDERIBVS ATQVE AMICIS FIRMA,
PROFVNDA CONSILIO,
NOBILITATE INCOLVMA,
FORMA EGREGIA,
AVDAX, VELOX, VEL ASPERA,
AD CATHOLICAM FIDEM FIMITER CONVERSA.

Et item illud peruetustum;

VIVAT SI FRANCOS DILIGAT,
CHRISTVS EORVM REGNVM VSQ. IN ÆTERNVM CVSTODIAT,
RECTORES EORVMDEM LVMINE GRATIÆ SVÆ REPLEAT,
EXERCITVMQ. EORVM PROTEGAT ATQ. DEFENDAT,
FIDEM MVNIAT,
PACEM, FELICITATEM, SANITATEM, PER OMNIA SÆCVLA TRIBVAT.

Sub Regibus aũt Ludouico, Childeberto & Lothario, hoc sibi laudis vẽdicabant Franci, q, iugum Romanum excusserint, q, sanctorum corpora igne ferro, bestiis confecta, auro & ebore incluserint, q, regnũ Christianũ fundarint, à cuius primordiis vsq; adeo infesti Romanis erant, vt ne nomen quidẽ Imperij æquis auribus ferrent, ne dum Imperiũ ipsum admitterẽt. Quæ res postea Romanis Põtificibus, & ipsis imperiũ Orientis detrectantibus, occa-
6 sionẽ præbuit non paruã voti potiundi, nomine imperij ad Frãcos, atq; inde etiã ad Germanos reliquos translato, simulq; Italicæ rebus eo modo dispositis & paratis, vt certa ratione inita, & paucis sæculis elapsis, non Vrbis modo dignitas potestasq;. quæ in Regũ & Imperatorum manu erat, sed magna etiã Italiæ pars, quæ ditionis antea Imperialis fuisset, in ius & manum Antistitum Romanorum peruenerit. Quod quidẽ à Francis facile erat impetrare nimirum Religioni vtcumq; tum affectæ, sed persuasæ tamen & receptæ, addictis, & vltro vel iniqua deferẽtibus, quo minus antiqui Imperij robur, quod sæpe nocuis-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

nocuisset, restaurari, sedesve illa vetus ab Orientis Imperatorib. obtineri vllo studio posset. Erat quidē & hi Christiani, & toto in Oriente celebrati, sed religionis interesse visum est Frācis, si horū fortunas & dignitatē aduersū Orientis Principes tuerētur, quorū studiis & fauore translatū in se imperiū susceepissent. Ad hæc neq; clades perpessæ exciderāt, quas maximas Principes Vrbis vel Christiani clarissimis Germaniæ populis intulerant. Et ob oculos versabatur amplū & potens Italiæ regnum, quod annis minus 200. Germani Langobardi possidebant, cuius potiundi spem minime inanē iam dudū Præsules Romani Francis ingesserant, nō tam hoc agentes, vt Italia carerent Imperatores Byzantini, q̄ vt Lōgobardi Francorū opera semel ab vniuersa Italia summouerētur. Veterū quidem Romanorū gloriam hac vna inuidia premebant Franci, quod toto orbe & multis sæculis Ecclesias Christi, nullo aut sexus aut ætatis discrimine, trucidassent. Proinde & leges suas, quæ à Theoderico primi Ludouici filio æditæ; atq; hinc à Childeperto & Lothario, quē Clotharium scribæ Gallici vocant, potentissimis Regibus auctæ, postremo aūt à Dagoberto in optimā formā redactæ sunt, hac de re inprimis cōmendarunt, q; nihil in se haberent, q; aliqua ex parte paganismū resiperet. Ita licet nulla vnquā gens fuerit, quæ suis legibus nō plurimum tribuerit, tamen Franci hac vna in regioriā statuebant, q; non iustis modo, sed piis etiā legib. vterentur. Et profecto extra cōtrouersiam est, vix alias gentes in illa duritie barbarieq; sæculorum, Ecclesiis ornādis fouendisq; amplius impendisse, q̄ Franci & Alemanni impenderunt. Veterum n. Ecclesiarū prouincialiū circa Rhenum & Danubiū quasdā restaurarunt amplis censibus additis, quasdam aūt nouas è fundamentis exædificarunt, nihil minus donatas & ornatas, q̄ illas priores. Ex restauratis aūt præcipuę cēsentur Augustana Vindelicorum, Magonciacensis, Treuerensis, Colonien sis quas satis cōstat anteq̄ Franci & Alemanni è Germania migrarint minime incelebres & infrequentes fuisse. Germanicarum n. Ecclesiarū cis Rhenū Irenæus vetus author meminit, & est notū D. Hieronymū multo tēpore Treueris egisse, anteq̄ Franci & Alemanni suis è sedibus migrarint. Neq; absimile vero est, & Nemetum ecclesiā, quæ hodie Spirensis, & Vangionum, quæ Wormatiensis, sed & Rhetorū, quę apud Curiā est vetusta, nec in totū ignota colonis prouincialibus initia habuisse: siquidem Dagoberto regnante clarā fuisse Spirensiū Ecclesiam constat. Et illam, quæ est Aquisgrani, postea Caroli Magni liberalitate fundatā ornatamq; esse notius est, quā vt multis sit referendū. Nec præterit nos, Germaniæ Principes, qui tractis demū & collapsis Francorū rebus imperarunt, non modo cœnobia plurima, sed collegia etiam & cathedras in Germania cōdidisse. Basilien sem n. Heinricus primus, Bambergēsem Heinricus secundus, Magdeburgen sem Ottho primus Saxo, Princeps clarissimus, cui decem minimum Episcopales sedes in Germania fundatæ tribuuntur. Et ne omnes numeremus, aliæ item atq; aliæ Ecclesiæ diuersis locis & temporibus illorū beneficentia & liberalitate fundatæ sunt. Quorū quidem exemplū nuperrimi Principes secuti, non cœnobia solum, sed etiam Episcopatus recenti admodum memoria restituerūt. Viennensis n. Episcopatus in Pannonia Maximiliano Cęsare procurante, à Patauien si subdiuisus & paucos ante annos institutus est: cum antea basilica illa ornatissima S. Stephani non nisi Præpositum habuerit, exigua diocœsi cōtentum. In primam enim Pannoniam sese diocœsis Patauien sis effundit, quæ tamen non paulo angustior est Salisburgen si, quæ omnium in Norico positarum Ecclesiarum amplissima est. Illud cōstat etiam, antiquas iuxta Rhenū & Danubium sitas Ecclesias, Ottorum & Heinrichorum liberalitati plurimū debere, inprimis aūt Spirensem, quæ

†††

singu-

ſingularem Henrici III. beneficentiã experta eſt. Porro vt omnium cõmune viſum eſt pietatis ſtudiũ donare & largiri Eccleſiis, neq; quiſquam vllius ordinis Germanorũ, poſt doctrinam illam operum & meritorũ imbibitam, ſuæ ſuorumve ſalutis curam negligendam eſſe hac via putauit: vſq; adeo cõdendis donandisq; ſacris ædibus prope omnes admirabili quodam conſenſu & voto incubuerunt. Quare & Duces conſtat & Comites hac à parte religioni propagandæ innumeris cœnobiis extructis affuiſſe. Tãta enim fuit Germanicarum gentium quondam in monaſteria liberalitas, tanta (vt vere dicam) profuſio & largitas, vt prope in cõfeſſo ſit, non Gallię ſolũ Comatæ, ſed Narbonenſis etiã & Italiæ ipſius ditiſſima cœnobia vetera, bona ſua ferme omnia Langobardis & Francis & Burgundionibus debere. Siquidẽ Langobardi ante Francos in Italia annis minimũ 200. regnarunt: Burgundiones aũt ſub Iuniore Theodoſio, Galliam ingreſſi, regnũ & ipſi cõſtituerunt adeo amplum, vt magna pars eius Gallię, quæ Prouincia cognominatur ad eius ditionẽ pertinuerit. Spectata quidẽ eſt & fœminarũ ſedulitas cœnobiis maxime puellaribus fundandis adhibita, inter quas nõ modo Nobiles aut Regiæ, ſed etiam Auguſtæ numerantur. Præcipuæ harũ extitere, Bathildis Ludeuici II. Francorũ Regis vxor, & Bertrada Pipini Regis coniunx, mater Caroli Magni, & Mathaldis Heinrici I. Adelheidis Otthonis I. Kunigũdis Heinrici II. Agnes Heinrici III. coniuges, inſuper & Hedvviga illa laudatiſſima fœmina Heinrici I. filia, quę nobilem virum Burghardum Sueuorum Ducem maritum habuit: porro & Berthæ, filiæ eius, memoria celebris eſt, quæ Rudolphi Burgundionis cõiunx fuit: & Himelgardis Duciſſę Sueuorum eximia liberalitate nõ paucis Eccleſiis ſubuentum eſſe, Chronographi noſtrates prodiderunt. Sane pluſcula cœnobia Pontifices Germani & etiam Abbates in ipſa Germania à fundamentis extruxerunt: nonnulla paucorum ac priuatorum quidem hominum concurſu inchoata, adeo viciniarum liberalitate inualuerunt, vt haud lõge poſtea & Abbates ſuſtinuerint, & Regũ curæ fuerint oblatæ. Quale & noſtrũ quod *Sangalli eſt*, *Gallo* primum authore à paucis habitatũ, deinde auctius donationũ acceſſione factum, demum à Waldramo, nobili quodam (vt conijcio) Durgauorum Comite locupletatũ & reconcinnatũ eſt: Et Ottomaro quodam Alemãno primũ quidem Preſbytero, deinde Monacho cõſtituto, ius omne cœnobii adminiſtrandi ab eodẽ Waldramo Regum manibus oblatũ eſt. Id quod Pipino Martelli filio regnante accidit. Exilia tum, ac prope indignæ fuere hominũ memoria domus illæ heremiticæ & cœnobia monaſtica, nõ alia magis re quam paupertate cõmendata. Verum vbi orbi Chriſtiano religionis nomine fucus factus eſt, Principes primum, dein & populares, monachiſmi admiratione illecti, in dies magis ac magis fouere monachos, & trahere in lucẽ veluti ex tenebris horũ ſcueritatem, præterea & opibus iuuare, durũ vitæ genus cœperunt. Longum aũt foret omnium elenchum texere, vel Ducum, vel Comitum, vel Nobilium cæterorum, (vt liberos interim & priuatos habitiores ſinamus) quorum beneficentia condita aut donata Preſbyterorũ & monachorũ cœnobia fuerunt: ſatis eſt nouiſſe, nihil olim nõ donatũ monaſteriis fuiſſe, primosq; & poſtremos Germanorũ hominũ ordines, nuperis videlicet admodũ temporibus ad religionẽ cõuerſos, in hoc vno ſummã religionis & ſalutis cõſtituiſſe, ſi vitę monaſticę vacuitati pro virili adeſſent, illiq; ceu officinæ inſtitiæ quidlibet largirentur, certa quidẽ & indubitata ſpe remiſſionis peccatorũ, quam hac via ceu cõpendiaria impetrare & conſequi ſe cõfidebant. Longe alii tum Preſbyterorum & Monachorũ mores, alia vita, diſciplina, temperantia, ſcueritas, perſeuerãtia erat, vtcunque vel ſimulato religionis inſtituto, quam à tribus aut quatuor proxi-

proximis sæculis Presbyteri aut Monachi præstiterint. Causæ n. vt essent necesse fuit, quæ variorũ hominũ animos accensos impellerẽt, vt nec sumptuũ eos nec expensarũ pœniteret. Virtuti n. & religioni datum est, quidquid horum liberalitati ad manum fuit: otio, inertiæ, luxui, voluptati, ne lilum quidẽ datum est. Cõmune votum erat omnium, vt religio vera & disciplina Christo digna instituereturvt dubitari inde nequeat, quin donatis & partis rebus in saginam & dominatum versis, antiqua cœnobia palam hodie abutantur: quod quidem è serie temporum, quam ordine referemus, plane constabit.

Ad origines igitur vt reuertamur, animaduertendum est, antiqua illa Monasteria nõ hac modo causa, quam diximus, instituta & cõdita fuisse, sed illa etiam, vt quoniam gentium Germanicarũ eruptionibus, cultus omnis studiorum & litterarum elanguisset, scholarum vice cœnobia essent, in quibus 12
edocti & instituti Monachi & Clerici, non sacris modò priuatis, sed publicis quoq; functionib. adhiberi, inprimis aũt illis ꝓdesse ecclesiis possent, quarũ curæ & administrationi essent adhibiti. Videbãt enim isthæc vel barbarissima tẽpora, hoc rectius habere ecclesias Christi, quò doctiores pitioresq; forẽt, q harum ꝓsides essent futuri. Et constat hoc suo cõsilio Reges veteres adeò ꝓfecisse, vt in illa litterarum & studiorum inopia etiã fœminæ extiterint, atq; hæ quidem, quod miramur, Germanicæ, quæ & Græcè & Latinè fuerint edoctæ. Certo autem nobis argumento sunt Bibliothecæ monasteriorum vetustæ, videlicet hoc ipsum tum illis sæculis Monasteria & Cœnobia fuisse, quod nostris Gymnasia sunt & Academiæ Principum liberalitate fundatæ, in qbus licet multi sint q ingenuis artibus & disciplinis nauãt operam, tamen rari sunt interim & pauci, qui doctrinæ & eruditionis palmã ferunt, quod quidem & ipsum mediæ illi antiquitati, tot incommodis obrutæ & destitutæ, accidisse quis miretur? sed ea de re suo loco dicemus.

Nunc & illud admonẽdum, sedes Episcopales omnium Ecclesiarũ orbis nõ solum dignitate & honore, sed etiã tẽpore priores esse Cœnobiis monasticis. Serò n. Europæ monachismus inuectus est. Antea qdem in Ægypto & Syria authoribus præcipuis Antonio, Paulo, & Hilarione, deinde & in Asia Basilio authore monastica quædã disciplina instituta: quã tamen usq; ad initiũ regni Francorũ & Italia & Gallia & Germania, ni fallor, ignorauit. Prima autẽ quod qdem sciam Ecclesiarum Latinarũ Europæ, Prouincia Gallica 13
cœnobia vidit, quum Theodosio Iuniore impante Cassianus qdam vt autor 14
est Gennadius genere Scytha duo monasteria Massiliæ cõdidisset. Peragrauerat hic Ægyptiorũ solitudines, chorosq; psallẽtiũ monachorũ inspexerat: inde Hierosolymã versus, cum inuidia Hæreticorum, vt qdam prodidere, laboraret, nec tuto admodum aut cõmodo in loco versaretur, Massiliã nauigauit, & illa, quorũ ante meminimus, monasteria cõdidit, annis minimũ quadringentis post passum Dominum. Ex quo tempore & alia enata sunt, sed ratiore tamen vsu & exẽplo. donec BENEDICTVS ille NVRSINVS, tædio vitæ licentioris, q in vrbe gliscebat, commotus in Sublaquensem tractum, qui haud procul ab vrbe in agro Latino est secessit, imperante tum Iustiniano illo, qui iura vetera populi Romani enucleauit & in libros Pandectarum, vt hodie extãt, digessit. Eius viri fama increbrescente, monachismus nõ Italiæ modo, sed Galliæ etiã amplius & extimæ Britanniæ est commendatus. Atque inde primum formulæ quædam seu regulæ præscribi cœptæ monachis, quas iam ante ipse Cassianus prodiderat; cuius extant *De habitu & institutis Monachorum libri*, præterea *Collationes variorum Ægypti Patrum*, de quibus eam regulam, quæ Benedicto tribuitur, magna parte descriptam esse, nemo puto negabit, qui Cassiani libros legit. Floruit quidem & in Græcia mo-

15 nachiſmus minime impurus, vt ante diximus, cuius Baſiliũ fecere authorẽ, doctiſſimum illũ & amantiſſimũ ſolitudinis virum, nec alia de cauſa monachiſmo fauentem, quam q; ſacrarũ literarũ ſtudium dignum iudicauit, q; in otio ſilentioq; & ſeceſſu excoleretur. Verum & hunc ſequaces, mirifice conturbata religione ſeu verius diſciplina, deſeruerũt, cuius inſtitutũ tamen nec inane prorſus, nec vacuũ pietate aut abſurdum fuit. Atq; vtinam tam cupidi eſſent monachi noſtri, otii & quietis, quã ſacris ſcripturis impenderent, quã ſunt luxus & voluptatis & ceſſationis, qua ſe totos ſaginãt & farciũt, amantes, ꝓfecto melius multis ſæculis habuiſſet pietatis ſtudiũ quã hodie habeat, & eſſent Monachi plurimi, quibus vel doctrinæ nomine fauere noſtri homines poſſent, quũ perditam interim hypocriſin nemo non reiiciat & deteſtetur. Ex temporum aũt ſupputatione colligitur, Caſſianũ Benedicto 97. annis Priorẽ fuiſſe: Benedictum aũt Gregorio I. annis plus minus 40. Sane Gregorius iam monachus an. Dom; D XCI. Romę Pontifex electus eſt, qui ꝓbato ſemel Benedictinę factionis inſtituto, quidq; d opis augẽdis paſſim monaſteriis adferre potuit, attulit. A cuius Pontificatu perpetuis 500. annis aliam regulam monachi noſtrates non habuerunt, q; Benedicti: tanto interuallo à Gregorij ætate, Carthuſiani & Ciſtertiẽſes ſodales, qui inter veteres tamen cenſentur, enati ſunt, longe interim poſterioribus fratrũ Mendicantium ſodalitiis, quæ (vt vere eſt ab Vrſpergenſi dictũ) *mundo iam ſeneſcente, in Eccleſias irrepſerunt*. Ducentis igitur illis annis, qui à Gregorii Pontificatu ad Caroli M. imperiũ ſupputãtur, monaſteria & collegia plurima à Langobardis, Burgundionibus, & Francis in Italia, Gallijs & Germaniis, vt ſupra monuimus, extructa ſunt, quum anni iam à Chriſti natiuitate 600. & amplius effluxiſſent.

16 Anglis enim & Hybernis, Mauri in Gallia agentis fama, illectis, Gregorium affuiſſe tradunt, miſſis videlicet fratribus aliquot, qui Benedicti inſtitutũ illis cõcrederent & enuclearent, iiſdemq; arcanis vel leuiter imbutos initiarentur. Quorũ ſtudiis adeo ſucceſſit, vt breui poſtea tẽpore Hyberni monachi & Scoti, natura etiã ad peregrinandũ inclinati, ꝓpe omnes Rheni & Danu-

17 bii prouincias opplerint, & veteri etiam in Germania pluſculi cõſederint. Illud cõſtat, vel in Pannonia Scotorũ fratrũ durare memoriam: & in Circumpadana Italiæ regione, Cœnobia quædã extare, quæ in gratiam Scotorũ, qui ſingularem quandam monachiſmi ſeueritatẽ profeſſi ſunt, extructa fuerunt. Notum eſt Bobienſe monaſteriũ ad ripam Ticini cõditum, quod Colomanno, ſiue (vt poſteri vocarunt) Colũbano Scoto, Longobardorũ liberalitate habitandũ obtigiſſe conſtare video. In Ægypto aũt, quæ prima omniũ terrarũ, Cõſtantino imperante monachos exhibuit, tria genera monachorũ fuiſſe Caſſianus tradit, primum quidẽ *Cœnobitarum*, qui cõgregati cõi victu degebant, mutuoq; manuum labore ſe alebãt, grauis alicuius & ſancti viri imperio ſubiecti, quorũ domus Græcis nominibus *Monaſteria Cœnobiaq;* dicta ſunt, q; cõmunis illis victus eſſet, & ſegregata à vulgo, & frequẽtia mortalium habi-

18 tatione vterẽtur. Secundũ *Anachoretarum*, qui lõge ſemoti loca plerumq; deſerta & inuia incolebãt, quales in Ægypto Paulus & Antonius, in Syria vagus quidẽ, ſed nõ diſſimilis profeſſionis Hilarion erat: nonunq; & cœtib. immixti

19 & ad eccleſias reuerſi, vt ſors aut ratio obtuliſſent. Neq; n. adeo vel addicti erant certo loco, vel *incluſi* (vt poſtea vocarũt) miſeri, vt nõ magna ex parte ec-

20 cleſiis Chriſti intereſſe, & ſacramentorũ myſteriis cõmunicare cum Chriſti mẽbris poſſent, quod ex poſteris tamen multi nõ viri modo, ſed etiã fœminæ voti reæ, ita præſtiterunt obſtinato propoſito, vt quibuſdã ꝓfectionis ſtatum

21 affectantibus, certo fixoq; in loco hærere, durareq; ceu immobilib. & ad petrã affixis ſpongiis libuerit. Tertium genus monachorũ fuere, vt ait Caſſian⁹,

SAL-

Sarabeitæ, inde dicti, q̃ inflati vagarentur, & ſæculi magis quam vitæ Chriſto 22
dignę curã gererẽt, re ipſa nihil minus q̃ monachi, qui nomine tantum & ha- 23
bitu Antonios & Paulos ſimulabant, auari, immorigeri, glorioſi, quorũ & in
Benedicti regula fit mentio præſagientis tale quiddã ceu futuros olim in ſuo
grege putaret, qui Sarabeitas q̃ veros monachos exprimerent, quũ *regula* ta-
men *Benedicti*, (vt à quodã eſt dictum) *non perſonam monachi, ſed verum*, hoc eſt
Germanũ *monachum requirat*. D. Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. de Cuſto-
dia virginitatis tradit, tertiũ illud genus ab Ægyptiis gentili lingua *Remoboth*
vocari, & eſſe deterrimum atq; neglectum. Laborabant quidem & ipſi, paruo
numero cõgregati, & ieiunia oſtentabant, nec vero alibi, quam in caſtellis &
vrbibus, habitabant, quo maiori pretio ſuas operas vendere poſſent. De eo
autem quod laborauerant, non niſi partes in medium cõferebant, quo com-
munia forent alimenta; in reliquum ſuo arbitratu & ditione viuebant. *Apud*
hos (vt idem Hieron. ait) *affectata erant omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis*
craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio Clericorum, & ſi quando dies feſtus
veniſſet, ſaturabantur ad vomitum. vt minus mirum videri debeat, in poſtre-
mis ſæculis monachiſmi profeſſionem tantopere degeneraſſe, quæ ne pri-
mis quidem illis adeo ſibi conſtitit, quin pro more rerum humanarum vitia-
ta nævis q; non parum turpibus continenter aſperſa fuerit.

Primi Monachi, qui & probatiſſimi, nõ alio fine aut ꝓpoſito in monaſteria
cõgregati, humanę ſeſe obedientiæ manciparunt, q̃ vt à turbæ ſtrepitu, & ſæ 24
culi curis ſemoti carnẽ frænare, mores cõponere, ABSTINENTIAQ; , quæ o- 25
mnium lõge pulcherrima virtus eſt, ſeſe exercere, atq; hac via ceu adminicu-
lo quodã & pædagogio, ad ampliorẽ fructum myſteriorũ fidei capeſſendum,
eluctari cõtra mundũ, & Satãnã poſſent, vt re ipſa nõ aliud cœnobia (ſi cogi-
temus) q̃ quod ſupra de Francis diximus, animorũ rebus diuinis vacantiũ &
corporum victũ labore quærentiũ gymnaſia quædã ac veluti ſcholæ fuerint.
Ingenium n. in illis, iuxta Salluſtii dictũ, *nemo ſine corpore exercebat*. Porro nemo 26
tantum ſuo conſilio tribuebat, vt negaret, reſcindi poſſe, quod ſemel decre-
uiſſet: quod hodie tamen votis ſuis Monachi adeo ſuperſtitioſe tribuunt, vt
niſi ſit aut Epiſcopus aut Pontifex, qui diſpenſet, nodumq; illũ Gordiũ exi-
mia aliqua poteſtate diſſecet, quieta eſſe cõſcientia vel ſtultiſſimis votis im-
plicita nequeant. Veteres illi libere & ſine votis ad eum modũ factis, indefi-
nito aliquo tẽpore regulare (vt ſic dicã) vitæ genus profitebantur, neq; ægre
grauis alicuius & ſancti viri, vt dixi, imperiũ ceu Regis aut Monarchæ fere-
bãt, minime ignari ad nulla ſe, quæ media indifferentia q; vocãtur, ſic ſeuere
aſtringi, vt ſi ita ratio poſtularet, diuerſum eligere & ſequi non liceret. Certæ
horæ ſomno, certę operis, pluſculæ pſalmis & cantibus, plurimę ſacræ lectio-
ni & ſcripturarũ cognitioni, dabantur: primaq; omniũ ſtudiorũ & actionum
regula ipſa FIDES erat: pauciſſimæ victui cõcedebantur, nimirũ modico nec
ad ſaginam, ſed naturæ neceſſitatẽ accõmodato. Mutare aũt licebat inſtitu- 27
tum, vt iam diximus, quoties honeſta ratio impuliſſet. Quin & euocati ſunt
ſæpe è monaſteriis, & eccleſiis regẽdis Epiſcopi facti, qui multis annis mona-
chi fuiſſent. Nec inermes n. nec neophiti veniebant, ſed exerciti, ac velut in
ludo ad certamen inſtituti, militiã Chriſti ingrediebantur. Et Eccleſiæ Epi- 28
ſcoporũ arbitratu de cœnobiis euocatos, nõ iam tyrones, ſed re ipſa vetera-
nos accipiebãt: Siquidẽ obſeruandũ eſt, hoc ſolo nomine quoſdã monachos
peius audiſſe, q; immodicam quandam auſteritatẽ de monaſteriis attuliſſe,
& obtruſiſſe eccleſiis ſuis eſſent viſi. Cæterum hæc omnia iam olim ita elan-
guerũt, veterno quodã fatali ꝓ monaſteria graſſante. peſſumq; eunte doctri-
narũ & artiũ ſtudio, vt rari poſtea in Germania vel Epiſcopi, vel parochi viſi

fint, qui Monachi fuiſſent, niſi ſi quos vel redituum cogendorum functio vel
29 vitæ leuiter actæ moleſtia, parochiis impoſuiſſet. Cœnobia vero labore illo manuũ veteri & laudato intermiſſo, ad nundinationẽ quandam ſpiritualem, nẽpe ceremonias & ſacrificia, meritumq; & opus illud, quod recentes Magiſtri *operatum* vocarunt, magna quæſtus acceſſione declinauere. Et ætate quidẽ Gregorij, primũ in operum fiduciam, niſi fallor, immodice inclinatũ eſt, quã Apoſtolus tamen vbiq; vt certam peſtẽ pietatis eſt inſecutus. Pepererat eam cœnobiis perſuaſio quædã religionis, quam prope ſolis ſibi vendicabãt Monachi, vulgo quidẽ & popularibus adeo cõmendata, vt ſuis meritis, ceu prophanis & inefficacibus, diffiſi certatim monachorum ſeſe iuſtitiæ & ſatisfactioni cõmitterent, nec locatũ recte quicquam aut pie iudicarẽt, niſi quod horũ ſuffragio & incerceſſioni fuiſſet oblatum primum aũt, ipſa inter ſe cœnobia velut pacto & cõuentione mutuæ interceſſionis, *Fraternitates* (ſic enim factitia illa cõmunio vocata eſt) inſtituerunt, certo numero precum ſacrificiorumq; cõdicto, qui in monaſteriis ad eum modum cõfœderatis, præſcripto tẽpore vel viuis, vel mortuis perſolueretur: nec à paucis id factũ eſt, cum 30. & amplius cœnobia fratrum & ſororũ interdum ita cõſpirarint, quod ex Annalib. eorum & factis libris palam cõuincitur. Inde ad Reges, & Nobiles, atq; etiam plebeios manante opinione, quibus cõdidiſſe, inſtituiſſe, adiuuiſſe ſatis nõ erat, niſi amplius etiam fratrum in numero haberentur, aut fraternæ ſaltẽ cõmunionis participes fierent. Quæ ſocietas ipſos etiam Epiſcopos attraxit, vt & numerarent interdũ aut eximia dona inferrẽt monaſteriis, ne-
30 que aliud magis q̃ fratrum in numero cõſcribi ſe peterent. *Vota* aũt quæ *monaſtica* dixere, tametſi ad priuatam cuiuſq; iuſtitiã ptinere videbãtur, tamen quia rarum quoddã & ſingulare vitæ genus, tum ſobrietatis, tum etiam abſtinentiæ prætextu cõmendabant, haud parũ momẽti receptæ iam de merẽdo opinioni attulerunt. Præcipuæ erant voti partes, *Caſtitas, Obedientia, & Abſtinentia*, quã recentiores *paupertatis* vocabulo exprimere maluerũt, q̃ abſtinentiæ: tamen recte omni immodicæ cupiditati opponatur nõ rerũ modo ad victum attinentiũ (vt vulgus putat) ſed & voluptatum, & diuitiarum, & luxus, vinolẽtiæq; omnis; niſi quis cõtinentiam & tẽperantiam dicere malit. Æſtimari quidẽ caſtitas Hieronymi & Auguſtini ætate cœpit, vt quæ nõ parũ ad excolendam religionẽ attineret, ſed Gregorij tẽpore ita immodice obtinuit, vt perpetuam etiã vouere, veluti noſtra in manu ſitam, multis libuerit, *obedientiam & abſtinentiam*, cito ambitio & auaritia ſubuerterunt, nec luxu caruere cœnobia ceremoniarum & ſacrificiorum impietate grauata, dum ornamẽtis in templa cõgeſtis, ſed & auro & argento incluſis & oſtẽtatis reliquiis, mentes hominũ à veritate auerſas, ad ſuperſtitioſas quaſdã fabulas cõuerterunt. Negat n. Bernardus vnq̃ licuiſſe monachis, id genus ornamẽta ſuis templis imponere, & animã prodere diuitiarum amantẽ, dum caducarum rerum admiratione teneri ſe ſignificant. Et ꝓfecto noſtra ſæcula teſtãtur, quantum damni cœnobiis dederint parum prudentes quidã Antiſtites, qui ſumma religionis ſimulatione obtruſa nullum modũ in cõgregandis diuitiis & aucupandis donationib. tenuerunt, nihil magis hoc ſuo ſtudio conſecuti, q̃ ruinã vitæ ſanctioris, & monaſticæ diſciplinæ interitũ. Hic n. vnicus eſt theſaurus, (vt dicitur) malorũ, quẽ opes illæ immodicæ cõdiderunt, infoderuntq; cœnobiis. Atq; illa quidem peſtis, quanq̃ Caroli M. ſæculo graſſari ꝑ collegia & monaſteria palã cœpit: tamen ita prope omnium mẽtes, maxime aũt Principum, ſpecie illa religionis addicta tenebat, vt hoc magis indulgerẽt ſaturis iam & probe donatis cœnobiis, quo magis monachis obeſſe & nocere diuitiæ cœpiſſent. Perbeati n. illi ſibi videbantur, ſi quorum meritis & interceſ-

ſionẽ

fione cõmendarentur, eorũ ipſorũ pietati eximia ſua liberalitate ſine intermiſſione cõſulerent. Quę perſuaſio ſane & nobiliũ opes haud leui iactura afflixit & plebeiorũ bonis incredibili detrimento fuit, vt interim nõ dicamus, de iure in ſeruos aliisq; oneribus ꝓphanis in illos nullo diſcrimine tranſlatis, quib. iam olim p magnã tyrannidẽ abuſi neq; hodie mitiore in pauperes animo multis in locis abutuntur. Ac mihi quidẽ ſæpe cogitanti veteris Eccleſiæ ſtatũ, quæ Hieronymi, Ambroſij & Auguſtini ætate p oẽs Orientis & Occidẽtis eccleſias cõſtitit, cuiuſq; ſancta & Apoſtolicis ſcripturis cõfirmata cõmunio nõ paucorũ donantiũ, aut eorum q̃ paucis ac ne egentib. quidẽ obtuliſſent, ſed omniũ credentium, inprimis aũt pauperũ, qui vitæ ſimplicitate & innocẽtia ꝓbati eſſent, gratuita benignitate ſubueniebat, minime mihi à vero aberraſſe videri potuerũt ætatis noſtrę homines, qui ſeceſſionẽ illã monachorum cum tanta religionis & meriti iactatione & oſtentatione factã, non factioſam modo, & neſcio, quos exitus molientẽ, ſed etiam ſchiſmaticã fuiſſe, nec parũ publicæ pietati incõmodaſſe (vtcunq; p errorẽ, & religionis quidẽ zelo id cõtigit) in nuper editis libris ſuis ꝓdiderunt. Nam & Auguſtinus orthodoxus Eccleſię ſcriptor, cõmentariis ſuis, quos in Ioannis Canonicã ſcripſit, claris verbis; *Vide* (inquit) *facta ſunt ſchiſmatica*. Et reſpondens alt; *Cum dicunt homines, nos iuſti ſumus: cum dicunt homines, nos ſanctificamus immundos, nos iuſtificamus impios, nos petimus, nos impetramus*. hactenus Auguſtinus. At quorum in ore frequentius verſantur voces illæ, *nos iuſtificamus*; *nos impetramus*, *nos abſoluimus*, *nos remittimus*, &c. quam monachorũ & hypocritarum? quare nõ eſt, vt ab vllo negari poſſit, quin ab illis cõmuniter erratũ ſit, quib. opera ſua, nec iuſſa eo ritu, quo fiunt, nec mãdata, ſed hominũ præſcriptio inſtituta, & iuſta parte cũ lege Chriſti pugnantia, ita arriſerunt, vt meriti virtutẽ in illis locarent, & digna ducerẽt, quæ omniũ ordinũ eleemoſynis donationibus reponderentur. Ditiores etiam catalogo inſcripti, fratrũ in numero haberentur, q̃ eũ ad modũ cœnobiis numeraſſent & donaſſent. Quod quidẽ ſcripturis indicare & cõprobare præter inſtitutũ foret, cum ſit ab aliis abunde præſtitũ. Nec attinet docere quum nemo ignoret, q̃ iniquo animo Chriſtus, operum etiã legis, nedũ hominis oſtentationẽ tulerit, palã interim admonẽs, ne quidẽ quærendã in ipſis eſſe iuſtitiã, lõge minus in his, quæ humana cõfilia præſcripſiſſent, quemadmodũ poſtea ſunt ad vitã & ſalutẽ à monachis applicata, qui fermento phariſaico, hoc eſt iuſtitia ſua pollutiſſima, Chriſtũ Dominũ nõ modo negligunt, ſed tentant etiã, dũ perfectiſſima, cõſummatiſſimaq; Chriſti ſuppreſſa, ſuã, qua nihil eſt feculentius, tantopere oſtentare & venditare popello nõ deſinunt. Neq; eſt, vt quiſq̃ horum tergiuerſetur aut diſſimulet, cum huius vnius dogmatis ꝑſuaſione oẽs omniũ monaſteriorum opes & fortunæ nitantur & ſubſiſtant. Auferantur n. meritũ monaſticũ illis ſodalitiis, auferantur (inquam) cœnobiis fiduciam operũ vulgo receptam, quæ diu noctuq; certa ſpe ſalutis impetranda tam viuis q̃ mortuis proſtat & operatur, q̃d oro amplius habebunt aut præſtabunt hodierna monaſteria & cœnobia, cur digna eſſe ſuis opibus, & rebus hoc fuco partis recte vti, videri poſſint? Nemo donauit ſine operũ reſpectu, nemo obtulit ſine meriti fiducia. Quod ſi hæc illis ꝑmittas, nihil agunt aliud, quam q̃ eleemoſynis indignum & ſcripturarũ traditioni aduerſum eſt. Dudum n. iſtam vanitatẽ operũ, neſcio quid ſibi arrogantiũ, cum patres alii ſancti, qui Gregorii ætatẽ anteceſſerunt, tum ipſe ante omnes Auguſtinus ſingulari diligẽtia adhibita prodidit & reiecit. Bernardus aũt monachus fere ſanctus, recepto illi ſuorũ temporũ errori adeo non cõſenſit, vt ſcripto etiã ſit teſtatus, *Neminem poſſe vel ſibi vel alio vitam & ſalutẽ vllis operibus promereri, ſed æternam illam gratis dari credentibus in Chriſtum*. Nec dubium

dubium est, quin sancti viri plurimi, monasticã vitam professi, idẽ senserint, quod Bernardus docuit. Sed vicêre postea Doctores Scholastici, & omnium suffragiis error iam inueteratus tãto plausu est exceptus, vt cõtra sentientes, hoc est, Apostolicæ doctrinæ subscribẽtes, Romani Põtifices ceu Hæreticos dãnarint. Vtinam aũt solis monasteriis illud quidquid est veneni nocuisset: serpsit malũ amplius instarq; cõtagionis cancer doctrinę paucos initio inuasit, mox reliquũ Ecclesiæ corpus tãta morbi atrocitate corripuit, vt disciplina ꝑpe omnis, qua veteres Ecclesiæ spectatæ sunt, ex aliena illa, & vt vere dicã vicariæ intercessionis fiducia mirabili casu elanguerit. Sicut n. Episcopi opulentiores facti, sui obliti, in suffraganeos & vicarios magnam partem curæ suæ postea transtulerunt, ita Reges, Nobiles, populares, non iam suis sed monachorũ meritis animati, sua ipsorũ benefacta, quæ vel baptismo admonente ante oculos versare debebant, magna parte intermiserint. Vnde mox licentiæ & cessationi locus cõcessus, qui Francis & Alemãnis iam antea plus satis amplus erat. Et illa vera atq; vnice Christiana cõmunio bonorũ omniũ Gatholicæ ecclesiæ, quæ à Christo capite nostro per FIDEI & vitæ spiritum in omnia sese vnius corporis mẽbra spargit & effundit, vel ignorata prorsus, vel data opa cõculcata fuerit. Porro si sanã magis doctrinã Principes nouissent; si Nobiles & populares hanc fidẽ, quæ secundum scripturas est, edocti fuissent: videlicet q; gratia, & remissio peccatorum nec auro nec argẽto, nec
36 vllorum hominum venalibus operibus obtineretur, sed gratis daretur sitientibus aquam illã viuam, profecto nõ hoc tribuissent iustitiæ monasticę, quod tribuerunt, nec fonte viuo prætento ad lacus illos dissipatos & cisternas humanarum cõstitutionum ligonibus effossas declinauissent. Negari enim nõ potest, quin veteres illi Principes, quum summo in religionẽ studio fuerint, etiamsi plerarumq; rerũ scientia fuerint destituti, quod quidẽ nõ hominum culpæ fuisse arbitror sed temporum, quę sui quadam veneratione adductis & illectis sæpe imponunt, neq; non cõmendant religionis specie, quæcunq; vel vsus receptior, vel diutina cõsuetudo, vel ratio aliqua verisimilis inuexit aut parum circũspecta Concilia probarunt, longe aliter de rebus Ecclesiæ constituissent. Siquidẽ & Carolus ille Magnus leges suas æditurus ita, Ansegiso teste, præfatus est: *Hoc se ante omnia in regno suo quærere, vt defensio & exaltatio & honor sanctæ matris Ecclesiæ retineretur. deinde vt pax & iustitia in populo seruaretur.*
37 Neq; n. hic alio animo in pietatẽ fuit, quam ante eum Cõstantinus Magnus, sed alia tamen in tẽpora incidit: nec dedit errores, aut intulit Ecclesię, sed recepit: vt antiqua laude sua minime carere debeant Francorũ Principes, quasi fœdis errorib. quadantenus fuerint patrocinati, quum nec volẽtes nec prudentes fauerint errori, nimirũ suorum temporum receptis dogmatibus ceremoniisq; obnoxij: præterea Pontificum & Synodorum authoritate obstricti, vt quorum iam olim cognitioni & sanctioni de fidei rebus nihil nõ tributum fuit. Supra autem dictum, etiam hac de causa condita ab illis collegia & monasteria fuisse, vt in eis doctrinarum & artium ceu præsidia quædam locarentur, quæ mitigandæ barbariei & pietatis confirmandæ gratia adesse ipsis in procinctu possent, quoties negotia religionis postulassent. Neq; alia tum ad manum ratio erat, quæ sæculis illis gentibusq; tam duris, inertibus & barbaris consuli posse videretur, quum longe maxime religioni hoc modo consultum esse putaretur. Hæc præfari ceu pro argumento libuit, ne imparatum lectoris animum vlla parte ex improuiso offenderemus. Nunc igitur ad disciplinam veniendum. Et primum quidem in operis transcursu de Collegiis Germanicis: inde de cœnobiis ceu monasteriis, postremo de vtriusq;, deque ipso disciplinæ casu referemus.

IOA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [32] - -
PUBLIC DOMAIN

IOACHIMI VADIANI CONS. SANCT-GALLENSIS,

DE COLLEGIIS MONASTEsteriisq; Germaniæ veteribus,

Liber I.

SVB Francis & Germanis cæteris post Carolum Imperij honore potitis vsque in Hainrichum Quartum & amplius, tantam verbi Dominici annunciandi curam adhibuerunt *Episcopi* Germaniæ, vt prope nullum ministerium maiore cum grauitate & diligentia fuerint executi. Et iubebat canon synodi Magonciacensis, ne facile Epi- 1
scoporum causationes admitterentur, quo minus diebus festis, maxime autem dominicis, ecclesias docerent, nisi ipsos vel aduersa valetudo, vel iusta aliqua absentiæ causa excusasset. Tantũ autem aberat, vt illos à sacra illa functione vel nobilitas vel potentia cohiberet, vt vel his nominibus populo tunc rudi & barbaro hoc gratior esset doctrina Christi, quo sublimiores erant, qui eius docendæ prouinciam obiuissent. Magno enim Franci & Alemanni nobilitatem, magno potentiam æsti- 2
mabant. Nec sine causa factum est, vt illis habenis moderandis docta olim & erudita *Nobilitas* adhibita fuerit, & authoritatem propemodũ immodicam ecclesiis Germaniæ Reges & Imperatores promiserint, quæ omnia postea immenso abusui patuerunt. Nulli tum erant *Episcopi suffraganei*, sed ministri 3
Presbyteri & item *Diaconi*, qui quidem absentis pastoris vicem certo ordine gerebant, præsentis functionem magna obseruantia iuuabant, præcipue in sacris peragendis & erogandis sacramentis. *Canonici* autem dicti, vt videtur, 4
collegiorum Presbyteri, quoniam in collegium recepti certum disciplinæ genus legibus canonibusque præscriptum profiterentur. Quare & *fratres* dicti, vetustissimis monimentis testantibus, & simul cõmuni vẽtu aliti sunt. Nam & ædes Episcoporum, quæ vna cum collegiis contiguæ basilicis erant, 5
monasteria dicta sunt, nõ minus quam cœnobia, nomine etiam nunc vulgo durante. Horum vestibula pauperum & infirmorum cateruæ tenebant, primæq; illis curæ erant pauperes, ne non qui vere pauperes adiuuarentur. Viduis etiam & pupillis Præsulum atria & aulæ patebant, in hoc vnum conditæ, vt locus esse idoneus posset illis admittendis, qui vel doctrinæ, vel cõsolationis gratia pastorem suum adiissent. Comitatus primis illis mediocris erat, 6
certe à luxu & ostẽtatione alienus, nec fere nisi Presbyterorum & Diacono-

rum præsentia honestatus. Norant enim sese illi, & suæ sortis erant conscii,
1 non ignari, nec luxum decere, nec ornatum Episcopos: quando inter probra veteribus quibusdam obiectum esset, quod immodico comitatu fuissent vsi.
2 Ante omnia illud agebant Episcopi magna cura, ne vel suis, hoc est publicis basilicis, vel priuatis vrbium agrorumve suæ administrationi cõmissis ecclesiis, quas *parochias* vulgo vocabant, deesset, quod ad disciplinæ modo incrementum attinere videretur. In Præsule duæ res potissimum spectabantur, Pietas & Eruditio. Pietatem à vitæ innocentia & diuini cultus amore metiebantur: Eruditionem autem à iudicio & doctrinæ præstãtia, quam quia paulo rariorem habebant illa sæcula, persæpe accidit, vt & monachi doctrinę fama commendati, & quod omnis studiorum facultas eo tempore præcipue in monasteriis regnabat, in Episcopos electi, & summis sedib. præfecti fuerint. Wunefridus enim monachus Anglus, qui & Bonifacius primus dictus est, tempore Pipini: & Rabanus monachus Fuldensis sub Ludouico Iuniore: Præterea & Hiltbertus Otthonis primi tempore, sedi Moguntiacensi Anti-
3 stites impositi sunt. Cæterum & hunc sanctissimum morem, vt præclara omnia, postrema illa sæcula studiis factionibusq; contaminata, ita nobis pene funditus abstulerunt, vt breui postea tempore monachis quantumuis indoctis & inertibus, modo generis claritate præstarent, aditus ad tam sublimem prouinciam patuerit. Diuitiarum enim accessione factum est, vt onus illud pascendi gregem Christi, quod antea sancti viri non nisi inuiti & renuentes suscipiebant, postea in honoris & dignitatis statum & fastum conuersum, certatim homines impuri & auari oppeterent, non solum clerici, sed etiam monachi. Adalbertus enim monachus, cuius in chronico suo Lambertus meminit, homo claudus & edax, proceritatis autem & corpulentiæ tantæ, vt monstrum magis quam hominem referret, oculosq; & ora stupentium in se conuerteret, ecclesiæ Wormacienſi Heinrico quarto fauente impositus est, non quod doctus, quod sobrius, quod abstinens, & ad animarum curam gerendam appositus, sed quod Rudolphi Sueuorum Ducis frater esset. Prima
4 autem collegia multam operam, cum artium aliarum tum sacrarum inprimis literarum studiis impenderunt. Erant *Scholastici* & *Lectores*, quorum nomina adhuc durant: nec publice solum & plebi, sed priuatim etiam clero, Episcopi scripturas interpretabantur. Perinde enim atque apud antiquas ecclesias, tum Græcas, tum Latinas, erant qui liberales disciplinas & scripturã, vere sacram, magno cum fructu auditorum profiterentur. Ita Regum Franciæ sumptibus vel collegia eo fine instituta diximus, quo scholarum viee essent, & certo numero alerent, qui sacris rite peractis ad cõsueta studia reuer-
5 terentur. Turpissimum enim vel illis sæculis visum est, docere velle, quod nõ didicisses, aut nomen iactare religionis, quod non doctrinæ nec vitæ specimen vllum ostenderet. Carebat tum Academiis Germania, quodq; erat reliquum artium & studiorum, suum collegia & monasteria fecerant. Atq; horum quidem docendi ratio licet permultum à veteri illa puritate & elegantia degenerarit, adeo tamen non defecerat, quin longe optimum fuerit retineri eam qualemcunq; & coli, in gente præsertim tam rudi & barbara quam committere, vt eius casu simul reliqua fidei disciplina conflideret. Quamlibet enim remissa licet fuerint studia horum sæculorum, tamen illud interim assecuta est Principum liberalitas, vt & ingenia passim efflorverint minime ignobilia, & viri extiterint, non pietate solum & doctrina, sed peritia etiam linguarum celebrati. Magna temporis pars illi operæ dabatur, vt caperentur sacræ literæ: nec erat tantum ceremoniarum quantum est hodie, monachis quibusdam, qui stando & psallendo, hernia sese & phrenesi etiam conficiunt,

ciunt, nihil minus cupientes quam cognitionē legis Dei. Adeo hodie distenti sumus & farti atque etiam securi: canere malumus & ludere in templis, quam discere & docere, aut quod reliquum est horarum, manuum laboti, (quod regula tamen Benedictina iubet) impendere. In templis & basilicis nihil ad ornatum aut cultum accommodabatur, neq; hoc quærebat pietas, vt otium spectantium demirantiumque pasceret (quale quid suis in templis Ethnici ostentarunt) sed hoc magis, vt corda pietatis amore flagrarēt, quod vt assequi apud ecclesias suas Antistites possent, id in primis cauebant, ne caducarum rerum specie & splendore distractis sensibus animus suo munere fungi, & cœlestium rerum contemplationi insistere nequiret. Proinde aut 1
nulla aut rara in sacris ædibus simulacra erant: & si quæ essent, nihil inerat, quod posses admirari, nisi si quę neglectu & simplicitate placuissent. Pictu 2
ra enim, etiam sicubi frequentior erat, tamen sine artificio erat, & quæ pluscula adumbrabat magis quam exprimebat. Reliquiis quidem sanctorū post- 3
ea honos amplior in basilicis est habitus, Francis nimirum ita curantibus, vt & auro & ebore, gemmisq; & argento vestitæ ostentarentur, ferculis etiam Circensis pompæ in morem adparatis quæ festis maxime diebus spectabantur. Quem morem & rem & monachi postea vsurparunt, sed reclamante Bernardo, qui negat hoc licere monachis seipsos prodentibus, dum quod admirantur, ingerunt templis, nec aduertunt in templis vetari & damnare scripturam, quod ipsi vsurpant. Nec argento enim neque auro DEVS, sed fide & cordis puritate colitur. Qua de causa oratoria Germaniæ vetustissima, quo minus cultus habuere & ornamentorum, hoc magis ad religionem exercendam apposita iudicarunt, qui eis sunt vsi. Et satis testantur ex omni structuræ habitu basilicæ antiquæ, nihil horum habuisse sese, quæ posterior ætas tanta cum iactura expensarum ad luxum & ornatum templis ingessit, non à nostris modo, sed ab Ethnicis etiam cordatioribus damnatum quon- 4
dam. Recte enim Persius;

O curuæ (inquit) *in terras animæ, & cœlestium inanes,*
Quid iuuat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa?

Carolus quidem Magnus fere primus Francorum veterum, immodica quadam indulgentia sua, proposito tamen iuuandæ pietatis sanctæ, sacras ædes non impleuit solum pretiosissimis ornamentis, de præda & manubiis victoriarum ingentium, sed & cæremoniis insuetis antea & insolitis auxit, quū 5
Franci iam annis amplius trecentis Christiani fuissent. Neque dubium est, (adeo infelicia in sacris instituendis humana consilia sunt) quin eum luxum disciplinæ corruptela maiori casu fuerit insecuta, & morum integritas hoc 6
pronius fathiscere & collabi cœperit. Notum est enim tritumq; sed dignum tamen si relatu, Wunefredi Episcopi responsum, qui sub Carolo Rege interrogatus, num sacrum peragere ligneis calicibus liceret? Licere innuit, insuper testatus, aureos quondam Presbyteros ligneis vasculis in sacro vsos fuisse; suo vero tempore ligneos sacerdotes aureis in calicibus sacrificare. 7

Initio quidem, vt dixi, non priuatæ, sed publicæ erant Canonicorū ædes, in quibus & cibum & somnum communem capiebant, qui illi sese sodalitio 8
addixissent. Dabatur id quidem morum & disciplinæ obseruationi, nec sine causa communio & frequentia placuit, quum sint pauci, quibus solis agere sine grandi tentatione in periculo concessum fuerit. Vnde & monachorum communiter viuentium *cellas* fenestratas & patulas esse libuit, vt quoniam seorsim dormirent, habere vel somni vel cubiculi inspectores & arbitros possent. Inde hodieque veterum cubiculorum, quæ vulgo *dormitoria* vocant,

cellulas perſpicuas eſſe videmus, ſed quas raro tamen Abbates inſpiciant, hoc vnum puto optantes, ne ſuæ inſpiciantur. In tantum autem aliena erant
1 à luxu & auaritia prima illa monaſteria & collegia, vt Presbytero & mona-
1 cho voluptario, ſicut & auaro, nihil turpius haberetur: & legum præſcripto tanquam criminoſi notarentur, qui diuitiarum amore correpti ſæcularibus
2 ſeſe curis mancipaſſent: veteri quidē illa eccleſiarum, & de Domini doctrina inſtituta diſciplina durante, quam Affricæ Epiſcopi tāta ſeueritate & obſer-
3 uantia cuſtodierunt, vt ne teſtamentarium quidem conſtituere liceret Preſbyterum, ſi quis Presbyter aut Epiſcopus poſteris ſuis teſtamento cauiſſet: quum noſtri hodie monachi talem & tam prophanam curam piis etiā cauſis aſcribant, inter aucupia feliciſſima numeratam. Ita ſæpe in ſpeciē nobis temporum præſcriptiones, ceu honeſta & licita obtrudere & cōmendare ſolēt, quæ re ipſa nec licita vnquam nec honeſta fuerunt. Igitur in regno Franco-
4 rum Epiſcopis, hac præcipue de cauſa *Aduocati* dabantur, vt eſſent qui ſæcularium & ad victum etiam attinentiū rerum curam & ſollicitudinē gererent: redituumq; & prædiorum & ſeruitiorum & decimarum, & ſi quæ alia iuris collegiorum eſſent rationē redderent, minime interim neglecta Epiſcoporū volūtate, quibus quidem inuitis aut inſciis nihil agebatur. Et iubebat canon Synodi Magonciaciēſis Anno DCCCXXXIII. habitæ; *vt Epiſcopi & Abbates cu-*
5 *ram omnem adminiſtrationemq; quæ ad victum & alimonium attineret, Aduocatorum ſolertiæ relinquerent*, quo minus à profeſſionis inſtituto, cui iurati eſſent, auocarentur. Veri Epiſcopi nec dominia vlla nec imperia vel mera vel mixta af-
6 fectabant, memores videlicet doctrinæ Chriſti quæ regnū eius, vel hac à parte, longe maxime à regno & gladio ſæculi diſiunxit & ſeparauit: ſed & minime ignari ſortis ſuæ, hoc ipſum eſſe ſatagebant, quod dicebantur. Proximis
7 primum ſæculis, Principum ſuorum ſimplicitate temporumq; inertia abuſi, præpingues quidam & opulenti Præſules deſerta, ne dicā abnegata, religione, ad dominatum & imperium defecerunt, in ſatrapas, vt vere dicam, & monahas cōuerſi, nihil autem minus quam monachi aut Epiſcopi. Obfuit enim eccleſiis væſanus ille & ſatanæ inſtinctu ſubornatus ardor dominandi, ad cuius inſolentiam nō modo pietas offenſa vitiataq; deterius habuit, ſed ipſi etiam præſides religionis, dum libidine & ſupinitate nihil non gerunt & committunt, multis in locis & regno illo impio & dominatu ſunt exuti, hodieq; paſſim priuantur & exuuntur. Veteres ſeſe intra modeſtiam & abſtinentiam,
8 velut intra metas quaſdam profeſſionis ſuæ, continebant, victu etiam & veſtitu cōtenti, niſi ſi quid eccleſiæ ornandæ iuuandæq; cauſa donatum aut oblatum fuiſſet. Quod ipſum tamen multis in locis Gregorio inſtituente ita
9 diuidebatur, vt pars vna Epiſcopo, alia clericis, tertia pauperibus & peregrinis, quarta publicæ ſtructuræ cederet. Nam & ex Ludouici Pij Auguſti de-
10 creto, Epiſcopi ludimagiſtros vt alerēt, admonebantur: nec modo ingenuorum, ſed ſeruorum etiam liberi erudiebantur, quorum qui infimo ordine erant pſalmos canere, & ſacros libros legere diſcebant. quæ eadem & Abbatum cura erat, delectis videlicet monachis magiſtris ve, qui ei munere præeſſent. Nobiles maxime in collegiis & monaſteriis inſtituebantur, ex quibus, qui magis profeciſſent, ſæpe ſodales facti & promoti ordine, magno honori & collegiis & monaſteriis fuēre, diſciplinæ formula non retenta modo, ſed etiam aucta, quam illa demum ſæcula mutarūt, quæ in ſacras illas ſedes, Nobiles nō iudicio, vt antea, ſed fauore & muneribus admiſſos receperunt, nec tam quid publice pietatis intereſſet, quam quid priuati homines quærerent & ambirent, animaduerterunt: Siquidem & Nobiles ad otium & luxum conuerſi, maiorum ſuorū liberalitate multis iam ſæculis palam ſunt abuſi. Quod

quidem

quidem nō refero, ceu liberalitate illa & alimonia indignos putē quosdam, quorum maiores eximie de multis ecclesiis meruere, sed vt admoneam auctores plurimos canonicæ & monasticæ disciplinę, ne suspicatos quidē fuisse de isthoc vitæ & alimoniæ genere, quorū multi tamen opes suas Nobilitati nominatim dicauerunt. Ita n. multis in ecclesiis hodie viuitur, vt earū Presbyteri cleticiq; nō alia magis causa Canonici dicti videri queant, q̄ quia de 1
reditibus ecclesiasticis perinde atq; de Canone quodam publico victitent & fagmentur, parum interim officio respondentes. Maiores donis illis & oblationibus suis pietati & religioni consultum esse cupiebant, nō priuatæ cuiusquā dignitati & ceiſarioni. Neq; alius his animus erat tāta pronitate largientibus, quam vt virtuti & pietati & pauperum ante omnia curæ, opes suæ adhiberentur. Nemo gloriæ & dominationi, nemo luxui & voluptati, nemo otio & inertię, nemo fastui & supercilio quidquā tribuendum esse existimauit, 1
quum omnes religionis amore exciti hoc largius darent, quo magis disciplinę vere Christianæ fauebāt. Vt profecto non habeant amplius, quod causentur Pharisæi quidam inflati, qui tanta cōscientiæ securitate lasciuientes, nihil agunt minus, quam q; illi cupierunt, quorum nescio, quam bene locatis 2
opibus perfruuntur. Et cuperē eos alia indutos mente tam male non audire multis nominibus, quam hodie audiunt, sed similimos esse illis qui primi hāc disciplinam excoluerunt. Minus enim causæ fuisset consilij sui, ætatis nostræ summis viris, qui satius esse ducunt diuitias illas publicę pietati consecratas, publicis etiam atq; his quidem honestis vsibus deseruire, quam permittere, vt paucorum hominum regno, vt sic dicam, & libidini pareant.

Ad institutum autem vt reuertamur, constat antiquos Germaniæ episcopos summa semper dignitate præcelluisse, partim quidem ob indulgentem Principum omnia illis honorifice deferentium voluntatē, partim etiā propter existimationem, quā doctrinæ & pietatis nomine sibi cōciliassent. Qua de re vulgo nō solum *Episcopi* & *Archiepiscopi*, sed etiam *Pontifices* ac *summi* qui- 3
dem vocati sunt, cum hodie Romano Episcopo prope soli id nomen ceu κατ' ἐξοχὴν tribuatur, vulgatissimum ante Præsulibus omnibus, præcipue autem Magonciacēsi, (de nostris enim loquor) cui summus semper inter Germaniæ Episcopos honos habitus est, ac post eum Treuerensi & Colonienſi, veterum ecclesiarum Antistitibus, qui postea honoris prærogatiua inter Septemuiros illos numerati sunt. quibus legendi Cæsaris atq; adeo Imperatoris designandi potestas cōcessa est. Neq; id solum, sed Regū etiam vngendorum facultas publico quodam cōsensu delata est, Pipinum Caroli patrē Stephanus Romanæ vrbis Pontifex vnxerat, cuius exemplo adlubente, mox & a nostris Reges vncti sunt: sed ea lege, vt Imperij illis culmen non nisi Romæ consecratis permitteretur. Morē vngendi scriptura vetus, nostris haud satis intellecta, probauit, quando vnctos Israelis Reges legerent, atq; inde cæremoniam veluti salutarē transferrent. Animauit aūt Romanos Episcopos exemplum Patriarcharū ecclesię Cōstantinopolitanæ, qui & ipsi primi, ceu translato de lege & Iudaismo more, circiter Iustiniani tēpora, quo plausibiliorem Imperatorū Orientis potestatem populo facerent, in æde eos publica vngebant, & coronabant. Quod ipsum Stephanus, nullo maiorū suorum exēplo, dum ad Francos imperium transferre statuit, æquali cum Patriarchis potestate vsus, sibi arrogauit. A Cōstantino enim, nisi fallor, qui primus Christianorum Principum repudiatis erroribus (vt ait Lactantius) maiestatem Dei singularis agnouit & honorauit, aduſq; Carolum Magnum, nemo Imperatorum in vrbe, aut ab vrbis Episcopis deliburus vnquam aut vnctus est. Nemo enim Imperatoria dignitate præditus, hoc honoris ante Carolum M. Epi-

sco pōrum authoritati tribuit, vt q; iam pro vetere Imperij iure & dignitate factus esset, quod q; aliorum suffragiis fuisset assecutus, hoc illis referret acceptum, qui iuri & potestati Impp. erant subiecti. Nam & vrbis Episcopos rite etiā electos, sedi suæ præfici sine Impp. cōprobatione & inuestitura (vt cum vulgo loquar) nō licebat. Nec mirū est esse hodie, qui laudi tribuerint, Heinricho eius nominis I. clarissimo Principi, q; vnctionem ab Episcopis de Iudaismo mutuatam singulari quadam magnanimitate respuerit, hederamq; illam maiorib⁹ se & dignioribus fauerit. Verum istam vel nouam cæremoniā facile erit concedere Episcopis, modo ipsi cōtra ecclesiis reddant, quod iam olim ipsarum fuit ab Apostolico more & instituto deductum, videlicet vt E-
1 piscopi, nō cleri tantum, sed populi etiam manu & suffragio eligantur: quod diutissime in Germaniis obseruatum ex chronicis nostratibus cōstat. Et ade-
2 rant electionibus fere aut Principes ipsi, aut Duces aut Comites, neq; vlla rata erat electio, nisi quę demum cōsensu Principis cōfirmata fuisset. Quę quidē tū electionis, tum cōfirmationis aut ratificationis facultas à Christo passo, mille & amplius annis cōtinenter in ipsa etiam vrbe, sede scil. Apostolorū
3 ROMA ita custodita est, vt & populus & clerus Pontificē legerent, Imperator autem electionem haberet ratam. Idem enim, ceu diximus, à Cōstantino ad Carolum M. vsq;, Romani Principes egerant, ac deinde imperii iure ad Francos trāslato, Franci omnes, ac post eos Germaniæ Imperatores omnes, vsq; in Heinrichum V. veteri iure & potestate exercuerūt. Enimuero electio Gregorii VII. sub Heinricho IIII. à Clero & populo facta in literas relata est, his quidem verbis, vt apud Platinam leguntur: *Nos sanctæ Romanæ Eccl. sīæ Cardinales, clerici, ac oluthi, Subdiaconi, Presbyteri, præsentibus Episcopis, Abbatibus, multisq; tum ecclesiasticis, tum laicis ordinis eligimus hodie, &c.* Quæ tamen electio facta est circiter annum Dom. MLXXVII. ea re tum primum in Presbyteros & Clericos Cardinales Vrbis inclinante, & detrectante Imperatoris consensum Pōtifice Gregorius enim ita sese veteri Imperatorum iuri & authoritati
4 opposuit, vt æqua iustaq; postulantem Heinricum, & ob cōtemptam dignitatem suam, insolentius tumultuantem, anathemate percusserit, ac denceps suarum partium studiis summo periculo inuoluerit. quoque animi sui libidinem expleret, satis duxerit vniuersam Italiam bellorum clade & strage concutere, quam eo loco & honore Imperatorem habere, quo præ-
5 decessores sui tot sæculis habuissent. Nec mirum, si sint qui quærant quibusnam causis acciderit, vt posteris aliquot Gregoriis adeo displicere potuerit, quod primus ille Gregorius, omnium optimus & doctissimus, tantopere agnorit & probarit? Hic enim Pontifex creatus, quum tantum onus inuitus obiret, & trahi tamen se omnium voluntate publicum ad munus videret, nuntio cum literis Byzantium misso, Mauricium Imperatorem obsecrauit, ne sui electionem, quam Clerus & populus fecissent, ratam esse sineret, &c. Quod vtique minime fecisset vir tantus, nisi pro more & iure veteri Imperatorum authoritati deferendum esse existimasset. Scribit autem Liutprandus Ticinensis, Romanos quorundam subinde Pontificatum ementium vendentiumq; studiis, factionibus commotos, Otthoni primo, clarissimo Imperatori sancte iurasse, nunquam se in posterum episcopum sine Imperatoris consensu lecturos. Et à Lamberto est proditum, circa annum Domini MXLVII. legatvs ex vrbe ad Heinrichum Tertium venisse oratum, quo Episcopum vrbi, atque eum quidem designare dignaretur, quem ipse Apostolica sede dignum iudicasset. Quod & Quarto sub Heinricho accidisse
6 tradit, Legatis iterum testatis, nolle se cum Clero quemquam eligere, sine Principis sententia super ea re prius exspectata. Cæterum & hac Princi-

puti

pum dignitate paulo post violata, adeo studiis factionibusque Pontificum
successit, vt & populus, cuius summa iam olim in vrbe authoritas fuerat, iu-
re electionis fuerit spoliatus. quod quidem largitionum coercendarum gra-
tia factum poterat videri, nisi eas ipsas populo repudiato, amplius incru-
duisse constaret. Atque ita mirabili, & vt equidem coniicio, fatali qua-
dam rerum mutatione factum est, vt quod antea Pontifices ab Imperatori-
bus expectassent, idem hodie reinuersa ab Pontificibus expectent Impe-
ratores. Enimuero Carolo Pipini filio Hadrianus Papa, non vrbis solum, 1
sed ecclesiæ etiam vrbanæ dispensationem ita large contulerat, vt ne de
sacris quidem, & ecclesiasticis rebus constituendis, Principe inconsul-
to, deliberaretur. Et satis constat, post Gregorium exstitisse Papas, qui vel 2
iuramento fidem facere Germaniæ Principibus non dubitarint, hoc i-
psum Imperatorio nomini deferentes, quod maiores, sancti viri, vltro i-
psis scriptura admonente detulissent. Sextus primum (ni fallor) Grego-
rius, & qui eum secuti sunt Episcopi non pauci, parum in optime meri-
tos grati, summis viribus hanc in rem incubuerunt, vt nostri, hoc est Ger- 3
maniæ Principes, quibus tamen illi, quidquid sunt & possunt, debent,
antiquissimo illo & æquissimo iure destituerentur, Romæque non Imperato-
res, sed Pontifices imperarent, illa sibi postremum, dubium quo iure,
quave iniuria, potestate arrogata, vt parum hactenus rata fuerit Impera- 4
torum electio, nisi ei Pontificum consensus accesserit: nec *Augusti* no-
men vlli permissum, nisi quem Pontifex, potestate illa sua nuper vindica-
ta inauctorasset. Veteres Germaniarum Episcopi, tametsi sæpe ab ipsis 5
Imperatoribus designati sunt: tamen vel rite electi ea veneratione Prin-
cipes suos sunt prosecuti, vt nihil illis, salua modo religione, non tri-
buerint. Sero enim celeberrimo illo electionis iure Germanicæ ecclesiæ
spoliatæ sunt: nec ante, quod sciam, receptum est, vt à paucis & solis, (vt
hodie) canonicis Episcopus legeretur, quam in vrbe mos nouus & insue-
tus receptus esset, nempe vt Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyte-
ri vrbis, qui ob sedis honorem *Cardinales*, hoc est, præcipui cognomina-
bantur, Episcopum summoto populo legerent, quod annis plusculis post
Gregorii Septimi Pontificatum accidisse certum est: ritu tamen longe di-
uerso & magis liberali lectis Episcopis, quam hodie à Cardinalibus vrbis &
orbis, in conclaue tanquam in caueam inclusis, eligantur. Sed de his rebus
satis abunde ab aliis proditum est. Nunc de illo admonendum duxi, *Simo-* 6
nia crimen adeo fœdum à maioribus nostris iudicatum & habitum fuisse, vt
recentia etiam Germanica concilia, ipsum non nisi hæreseos crimine tra-
duxerint & notarint: priuarintque rerum ecclesiasticarum dispensatione,
qui muneribus & largitionibus suffragia sibi coemisset, & in quæstum ver-
tisset pietatis negotium. Cito eam pestem Galliæ senserunt, iam olim ad-
egrassantem, vt & Gregorius Theodericum Hiltperti filium Francorum
Regem literis admonendum duxerit, ne non seuere de simoniæ crimine co-
gnosceret. Pepererat illam partim ambitio, partim (quæ comes ambitionis 7
est) auaritia: neque aliud vnquam fuit æque præsens venenum in Satanæ
manu, quo Episcopi quidam semel incensi, ac velut in rabiem, vt sic dicam,
acti, hoc vnum multis sæculis egerunt, vt fucum pietatis omnium oculis in-
spergerent, pietatem ipsam omnium animis eximerent, ea demum liberta-
te sibi vindicata, quæ nec ab honoribus, nec ab opibus, nec à dominiis qui-
dem & regnis abhorreret. Supra autem dictum à nobis, Germanos parum æ-
quos simoniæ fuisse, eaque de re morem publicę electionis multis sæculis te-
nuisse. Sane Alemanni *Parochiam* vocabāt, quā nostri Græca voce, sed Latinis 8

tamen vſitata *Diœceſin* appellant, & *Presbyteros Parochianos*, quos vulgo hodie *parochos* nominant: quos quidē plurimis in locis populus eligebat, dein Epi-
1 ſcopi ratum faciebant, q̄ illi placuiſſet. Et iubebat Canon, vt ad curā animarum gerendā Epiſcopi ſeu parochi deſignarentur, ſeu vt illi vocant, nominarentur, q̄ vita & verbo ſuis vſquequaq; prodeſſe valerēt. Electi, honeſto comitatu ad Epiſcopos deducebātur, nec licebat quem q̄ ſic electū deſignatumve reiicere, niſi notabili criminis intētione p̄bata, vſq; adeo etiamdum in duris & neſciis multarum rerū ſæculis valebat plebis de ſuo paſtore iudiciū. Quod ipſum tamen tam ſanctum & Apoſtolica traditione probatum, itidē & auaritia nobis & ambitio ſuſtulerunt: iure ipſo electionis magna ex parte ad Epi-
2 ſcopos & Abbates translato, & miris technis vitiato. Quod certe è *turamētis*, quæ Canoniſtæ *fidelitatis* appellauere abunde cognoſcitur, teſtantib. ſcilicet, quantum noſtrorum animi ſuis rebus addicti ab illorum pietate & religione abſint, qui nō ſibi aut ſuo cōmodo, ſed Chriſto & gregi eius paſtores legerūt, quiq; primum locum Apoſtolicæ doctrinæ & libertati cōceſſerunt, hoc vnū curantes, ne vllus locus quæſtui, hoc eſt ſimoniæ & phariſaicæ negotiationi relinqueretur. Quod ad me attinet, fateor pro mea imperitia, nunq̄ me vel audiſſe vel legiſſe vlla iuramenta tam ſeruilia, tam aduerſa libertati doctrinæ Chriſti, quam illa ſunt, quæ hactenus Epiſcopi & Abbates quidā à parochianis priuatisq; ſacrificis, quos *Capellanos* vocant, extorſerunt. Neq; n. alio vllo certiore teſtimonio vngues ſuos, hoc eſt impios conatus, & miſere affectam cōſcientiam prodidere lupi quidā rapaces, q̄ illis tam duris & inauditis obligationibus, quibus opus nullo modo fuiſſet, ſi tam agere & obſeruare libuiſſet, quod ſcriptura dictante præcipitur, quam vel nouam religionem vel noxiam hypocriſin ſcriptura reclamante tueri. De diſciplinā n. & pietate *curaque*, vt ipſi vocant, *Paſtorali*, nullum iota in illis legas: hoc ſolum cautum eſt, ne vel agant vel ſentiant aliud, quam quod his placet, à quibus nō iam onere & labore, ſed munere & honore ad quæſtum videlicet & farinam faciente, ſunt donati. Et quam iniqua ab illis exigunt, tam impia illi pollicentur, nec detrectant qualemcunq; obligationē adminiſtrandę eccleſię, modo ne deſit quod ad quæſtū faciat. Ita n. eccleſiis paſſim occupandis poſſidendisq; intēti ſunt hodie pleriq; omnes ſacrificuli, vt re ipſa nihil magis quærere, q̄ ſeipſos videantur. Nihil n. in præſentia de immunitate dicemus, qua & ipſa tamen ſeſe prope omnium iudiciis & cenſuris ſubtraxerunt, vnicis Epiſcopis ſubiecti, qui ſic tamen plectunt nocentes, vt propemodum irritare pœnis, & hoc nocentiores facere videantur, quæ ſæpius puniunt, vſq; adeo (quod dicitur) mutuo ſcabunt muli, nec tollun:tur crimina, vt alibi à nobis dictum eſt, ſed a-
3 luntur. In Regno Francorum licebat laicis paſtores, quos delegiſſent, obſeruare & notare & deferre Epiſcopis, quorum muneris erat, omne genus vitia in illis, vtpote diſciplinæ ſuæ ſubmiſſis, emendare & adigere etiam ceſſantes, vt verbo ædificarent, & p̄deſſent exemplo. Paucæ erāt eccleſiarum cæremo-
4 niæ, neq; alia magis vſitata ſacramenta, q̄ Baptiſmi & Euchariſtiæ. Horum n. prope ſolorū meminere Cōcilia, quæ ſub Carolo Caluo & Ludouico Iunio-
5 re Magonciaci & Wormatiæ celebrata ſunt. Paſchate autem & Pentecoſte baptizabantur, non quod alias non liceret, (vt enim ætas omnis, ita & omne tempus ad baptiſmum idoneum eſt) ſed quod ita tum eccleſiis libuiſſet: nec licebat, niſi in publicis villis baptizari & coram eccleſia (ita enim iubebat Canon) niſi aliud ægritudo poſtulaſſet. Lege aūt adigebantur ſuſceptores,
6.7 quas ea ætas *Compatres* & *Patrimos* vocabat, vt infantes, quos ſacro de fonte le-
8 uaſſent, Catholica fide imbuerent. Cœna Dominica ſæpe numero dabatur credentibus, quæ quidem (quod ſciam) nec recepta eſt à quoquam priuatim,

nec

nec diuisim partimve erogata est, sed plene distributa in populum. Legimus tamen priuatim & inprimis ægrotis extra cœtum, & quidē domestica- 1
tim Eucharistiā exhibitā fuisse. *Missam* aūt vocabant illa sæcula cœnā illam 2
publicam & dominicam, vnde fortassis *Missa Martini, Missa Andreæ*, aliæq; id genus Missæ festę, apud mediæ antiquitatis scriptores memorantur: nomen forte indeptæ, quod festis maxime diebus peragerentur. Et sæpe quidem dubitaui, num *Missæ* nomen, quo nundinas hodie celebriores mercatorū vulgus intelligit, inde natum videri possit, quod multis in locis statas illas & annuas nundinas festis fere diebus annectimus, idq; ob populi frequentiam ad missas celebriores cōfluentis. Franci & Alemanni infantes suos altari admo- 3
uebāt Eucharistiæ gratia: qui mos in multis Heluetiæ nostræ locis ante paucos annos desiit, neq; adeo exoleuit, quin adhuc sacrificantib⁹ alicubi adhibiti pueruli, labellis suis vinum calicis excipiant, quod sane & Sangalli, dum missæ priuatæ legerētur, religiose obseruatum est, licet pauci veterū morem agnoscerent. Iam ad disciplinam quod attinebat, iubebat Canon, vt Presby- 4
teri quotannis quadragesimę tempore de ministerii functione & fidei prędicatæ doctrina rationē Episcopis redderent, ne facile admittebātur vel Pres- 5
byteri vel Episcopi ad vllum ministeriū, nisi prius in synodo excussi & ꝓbati. *Synodi* vero minimum annuæ per dioeceses celebrabantur. Episcopis interim 6
lege adactis ne hac in re cessarent, aut cunctarentur. Requirebatur aūt *in pa-* 7
store, (vt author est Rabanus) *scientia scripturarum, pura veritas historiarum, modi* 8
tropicarum locutionum, significatio rerum mysticarum, vtilitas omnium disciplinarum, honestas vitæ, & probitas morum: adhæc elegantia in pronuntiatione, iudicij acumen in dogmatibus, differentia medicaminum in varietate ægritudinum: quæ qui nescit, inquit Rabanus, *non dico alienam, sed ne suam quidem potest disponere vtilitatem*. Mirum autem, vel hęc ipsa sæcula requirere potuisse, quod nostra ætate tot modis fœliciore negligitur, examinatoribus illis haud aliud exigentibus, quam frigidulas aliquot grammatices regulas, & vsum magis quam peritiā canendi, cum adiectis quibusdam diffinitiunculis, quas edisce re & memoriæ mandare pueri etiam valeant. Refrixit enim Synodorum celebratio, quæ tamen 9
quam diu est obseruata, doctrinæ & disciplinæ custodiendæ haud medio- 10
crem medelam afferebat. Durant quidem reliquiæ quædam, & extant Decani certis ecclesiis præpositi, qui quibuslibet de causis suos conuocant, sed eo tamen ritu, vt conuiuium non concilium agere videantur: pares scilicet cum paribus (vt in prouerbio est) cōsociati. Sed veteres ad Episcopos redeamus, qui per Alemanniam Principis edicto monebantur, ne alia populū do- 11
ceri permitterent, quam quæ de scripturis essent deprompta. Symboli arti- 12
culos magna cura ecclesiis, qui plebi regundę præpositi fuissent, exponebāt: sed & crimina recitabantur ex Apostolo, vt qui talium rei forent, de ecclesia summouerentur. In numero autem criminosorum vinolenti censebantur, 13
quos Caroli ætas magno cōsensu mysticarum rerum cōmunione interdixit: ad hæc & auguriorum & incantamentorum haud vnius generis deliria, cre- 14
bro notabantur, quæ Francis & Alemannis, vtpote nō ita pridem à paganismo cōuersis, tanto labore dissuasa sint, vt diutule ferre, & horum donare vehementiæ nonnulla Episcopi coacti fuerint, quæ sane multis annis parum pie sunt retenta. Præcipue autem, purgationum species quædam plusquam superstitiosæ, quibus ad innocentiam explorandum vsi sunt, velut iudicio aquæ frigidæ, aquæ feruentis, nouem vomerum condentium, & sanctæ crucis iudicio, quæ demum vt superstitiosa sublata sunt. Sublata est & mo- 15
nomachia iam olim Germanis, ad arma & vindictam pronis, vsitata: quæ ipsa tamen, nec virium quidem aut roboris, nedum æquitatis aut innocen-

tiæ

tiæ vllam indicaturam præstare potuit. Scribæ Alemanni postea *Campi certamen*, *μονομαχίαν*, id est, singularem & condictam illam pugnam vocauerunt, quam vulgus voce ceu detorta *Campf* dixit, cuius vt nomen, ita etiam scelus adeo inhæsit nostrorum animis, vt sint passim, qui atrocem illum & gladiatorium cõgressum suis, ceu gloriæ aliquid aut iustitiæ afferentem, etiamnum permittant. Sed fuit tamen tempus, quo probandæ innocentiæ monomachia concessa fuit, atque id quidem Francis & Alemannis frequenter & passim. Desiit & purgatio per Eucharistiam facta, quam & Pontifices quidam (inter quos Gregorius Septimus) vsurpare non dubitarunt, innocentiam videlicet de obiecto crimine testaturi, si Domini corpus intrepidi sumpsissent. Caroli sæculum turpem etiam quæstũ notabat, & in turpi lucro notabatur, si quis vinum aut annonam emisset paruo, quo pluris postea venderet. Festi dies, Dominicis exceptis, perpauci erant Francis & Alemannis etiam sub Carolo: nec alios memorat Ansegisus, quam *Natalem Domini, Stephani, Ioannis Euangelistæ, Innocentum, octauam Domini, Epiphaniam, octauam Epiphaniæ, Purificationis S. Mariæ, Paschа per dies octo, Litharniam maiorem*, quam nostri rogationem vocant, *Ascensam* (sic vocabant Domini in cœlos ascensionem) *Pentecosten, S. Ioannis Baptistæ, S. Petri. S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ, de Assumptione Mariæ* Carolus interrogandum reliquit, Ludouicus filius persuasus, festiuam esse iussit. Receptum autem & illo tempore fuit, ne quas precationes aliter facerent Episcopi vel Presbyteri, quam *ad Deum Patrem per Christum Iesum filium eius*, nec alias hodie in vetustis libris legimus. Caroli quidem ætate palam est precibus inserta Sanctorum memoria, vt qui intercedere pro nobis, ac veluti patrocinari multis etiã veterum crediti sunt. Licebat aũt Principi in regno suo quoties visum esset, Ecclesiasticis ordinibꝰ simulq; sæcularibus conuocatis, de rebus ad religionẽ attinentibus conferre in medium: Neq; hoc solũ, sed priuatas etiã causas, quæ vel offensionem parituræ vel obfuturæ pietati viderẽtur, audire & discutere: sæpe & Episcopis & Presbyteris & Abbatibus accusatis, & ad audientiã citatis, maxime vbi vel temulẽtiæ vel fornicationis, vel simoniæ aut errorũ doctrinæ, aliisq; id genus scandalis infimulati fuissent. Quod si ad synodum vocati restitassent tergiuersando, confestim à Comite cõpellebantur, quo dictorum factorumq; ratione celebri in conuentu redderent, & obiecta si negassent, iustis causis diluerent & confutarẽt. Hoc modo & Otomarum primum monasterii nostri Abbatem, ad Synodum euocatum cõpulsumq; à Comitibus, quo se purgaret legimus. Quin & laicos contumaces (ea erat disciplinæ constantia) Princeps ad eam pœnitentiam, quam Episcopi imposuissent, obeundam & ferendã adigebat. Vnde facile cognoscitur *Canonicam satisfactionẽ*, Regũ maxime authoritate (ne criminosi exemplo nocerent) receptam & institutam fuisse, quam indulgẽtiæ nobis Pontificiæ in totum sustulerunt. Franci autem magnis de rebus consulturi peregre vocatos Duces & Comites consilio adhibebant: nec minus interim domesticorum, hoc est aulicorum hominum opera vtebantur. Haud raro & comitia celebrabant omnium ordinum conuentu, in quibus de causis sacris, prophanis, publicis priuatisq; decernebatur. Et erat moris, Germaniæ Imperatoribus, vt raro vllum diem eximie festum, puta Natalem Christi, Pascha, Ascensionem, Pentecosten, sine celebri procerum regni concursu, nec nisi præclara aliqua in ecclesia peragerent. In religionis negotio primas gerebant Episcopi: & pone quidem ipsos Abbates, qui vel eruditione vel prudentia commendabantur. Reliquum locum Nobilitas, & optimates, inde officiariorum, quorum tunc *maiores domus* erant, & domestici Regis, & Comites Grafiones, Cancellarii (hoc enim ordine censentur in antiquis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [42] - 10
PUBLIC DOMAIN

riquis libris Francorum, qui Regiis muneribus fungebantur) ex vrbibus aut villis euocati, vindicabant, summa semper Principis, sed æquabili tamen & omnium consiliis attemperante sese potestate. Dabantur autem & legibus 1
vel sanciendis vel reformandis publici conuentus, in quibus amplum & honorificum locum optimates tenebant. Vnde illud, quod vetustissimis in libris tabulisq; ætatis mediæ, sæpe Nobilium & Episcoporum, Abbatumque certus aliquis numerus refertur, quorum præsentia leges rogatæ aut reformatæ fuerunt. Adeo vero alienus erat in Francia & Alemannia Caroli imperio, & multis postea sæculis Episcoporum vrbis dominatus, vt de conciliis indicendis non nisi Imperator cum suæ dictionis Episcopis & Abbatibus 2
consultaret, ac demum Pontificem de voluntate sua certiorem faceret. Et Fridericus Secundus Gregorium Nonum, concilium Magonciæ celebrandum indicentem inhibuit, quod grauandæ Germaniæ gratia illud institutum resciuisset. Caroli autem ætas hoc honoris, & merito quidem tunc, Romanæ Sedis Episcopis tribuebat, vt indicto concilio aut ipsosmet Episcopos, aut si his non vacasset, doctissimos quosque ex vrbe Legatos postularet, qui concilio interessent, ne arbitris remotis, agi quicque & decerni à pientissimis Principibus, illi vel suspicari possent. Minus tum factionum & studiorum erat Primatibus Ecclesiarum, etiamsi subinde vitia & abusus ingruerent, quibus postea ob candorem & simplicitatem hominum Germanorum, immodice (vt diximus) indultum est, & in ipso disciplinæ excolendæ studio magna pars disciplinæ amissa est. Fuit enim tempus, quum Romani 3
Pontifices nec *Vniuersales* nec *Catholici* vocarentur, sed Romanæ tantum ecclesiæ Episcopi, vsque adeo suspectis & contemptis honorum titulis, vt & Beatus Gregorius palam affirmarit, Antichristi præcursorem esse, qui vniuersalem sacerdotem vocari se contenderet, quamquam autem statim à Gregorio pestis illa ambiendi primatus Apostolicam ecclesiam inuasit & 4
infecit, tamen illis quidem sæculis non modo pietatis negotium non reiecerunt Episcopi illi vrbis, ad sæculum videlicet opesve & dominatum (vt nostri hodie) conuersi, quin palam vel simularent, vel certe testarentur, nulli se rei magis consultum esse cupere quam pietati. Quare & in Gallias non nunquam & alias in regiones sub Francis & Alemannis egressi sunt. Pipino quidem & Carolo nihil officii denegantes; quin quemcunque locum indixissent, in eum sese proni & parati reciperent. Vltro etiam Leo Pontifex, ac veluti salutandi gratia Italia relicta, Carolum Imper. apud Germanos agentem adiit. Neque adeo Stephanum Quartum officii puduit, quin sede sua relicta Ludouicum Caroli filium in Galliis tunc agentem adierit, vnctumq; extra vrbem & Italiam Augustali corona donarit. Quod ipsum illos & Ottonibus & Hainrichis, vel ad concilia, vel alios ad conuentus, euocantibus non grauatim præstitisse constat. Certe nulla à re tum minus abhorruerunt, quam à synodorum frequentia. Qua in re præcipua quædam Zachariæ Papæ dexteritas obseruata & in literas relata est, qui licet nonnulla commiserit vel parum piis probata, tamen ita se in promouenda religione sedulum paratumq; exhibuit, vt bonorum in Pontificum numero censeri merito debeat. Wunefridi enim Episcopi opera vsus, & Francorum auspiciis fretus, plurimum commodi atque ornamenti Galliarum & Germaniarum ecclesiis attulit. Illud memorandum, vno Carolo iubente, quinque ordine concilia per Gallias, super statu ecclesiarum corrigendo celebrata fuisse: quorum primum Magontiæ, secundum Rothomagi, tertium Remis, quartum Cabillone, quintum Arelate habitum est. Nec minus deinceps à filiis nepotibusq; conuentus habiti, in quibus summa cura adhibita est, religioni vt consuleretur.

fuleretur. Obſeruatum autem primum omnium poſt res Francorum collapſas, quum dignitas Imperatorum Germaniæ contemptui eſſe Romanis Epiſcopis cœpiſſet, pertinacia quadam, nec parum ſuſpecto ſtudio, haud alibi fere multis ſæculis, quam in vrbe celebrata eſſe concilia: & inauſpicata quidem illa magna ex parte fuiſſe, quæ ſuo ſuorumq; arbitrio Pontif. Romani, præterita Imperatorum authoritate, conuocaſſent. quod quidem è mediæ ætatis Chronicis notius eſſe arbitror, quam vt exemplis ſit opus.

Enimuero Franci regnum ſuum in Ducatus & Comitatus diuiſum vigilantiſſime adminiſtrabant, primum non alienis, ſed ſuis legibus vſi, parte tamen (vt fit) ex alienis deſumpta, quibus multis ſæculis vſi ſunt Germani, hodieque vel neſcii pluribus vtuntur. Potiſſimæ erant *Salica*, *Ripuaria*, *Alemannica*, & illa quam *Gombetam* dixêre, ſingulis quidem veteri more in multa ca-
1 pita diſtinctis, quas hodie in vetuſtis bibliothecis videmus. Et exſtat Sangalli vetuſtiſſimus codex ſtylo inculto & barbaro ſcriptus, qui & Salicam & Ripuariam & Alemannicam continet. Exſtant ibidem Anſegiſi libri de legi-
2 bus Caroli & Ludouuici, ex quibus plurima deſcripſimus. Legibus igitur
3 Principum præcipuis, non laici modo ordines, ſed monaſteria etiam & collegia parebant: neque vlquam ratum habebatur, quod lege reclamante pactum fuiſſet. Norunt autem Franci & Alemanni Romanas leges veteres, quod ex antiquis ipſorum tabulis palam conuincitur. Carolum autem inter ciuiles leges conſtat pluſculas habuiſſe ex Moyſe tranſſumptas, quæ quod diuinæ eſſent, eo nomine commodiores Chriſtiano regno adminiſtrando viſæ. Cleri diſciplinam ad ſcripturæ præſcriptum & ſynodorum ac Principum decreta Epiſcopi exigebant, interim & Pontificum reſcriptis vſi, quum aliis atq; aliis de rebus conſulti fuiſſent. Atque horum pluſcula tunc extabãt
4 in literas relata, primũ ab Iſodoro Hiſpalenſi Epiſcopo, ac poſt eum ab Iuone Præſule Carnotenſi, quæ modico tamen numero continebantur, & eo quidem in loco habita, vt conſilia magis quam oracula iudicarentur.

Abbates Benedicti regulã, quam ſolam ea ſæcula norãt, ſuis inculcabant. Sero enim receptum eſt ius illud Põtificum, quod quia humanum eſt, à quibuſdam (Ethnicorum licet more) *Pontificium* dictum eſt, quod *Canonicum* no-
5 ſtri vocant. Gratiano primum immenſum illud opus conſarciente, quod ſub Friderico Ænobarbo factum eſſe exiſtimatur. Ad cuius deinde exemplum *Decretales* Gregorio Nono curante conſcriptæ ſunt: dein *ſextus Liber* à Boni-
6 facio octauo, & *Clementinæ* à Clemẽte Quinto, inde ad fæces vſq; diſcenſum *Extrauagantium*, regnante iam & nihil non audente Ioanne Viceſimo ſecundo, Anno Domini MCCCXVII. Ex quo tempore mandata hominũ primo in loco & oraculorum quidem vice habita, ſcripturarumq; decreta poſtrema in ſubſellia reiecta ſunt. Generalis autem conſtitutio erat Synodorum de Presbyteris: *Ne arma ferrent, Ne in hoſtem irent non euocati, ne venarentur accipitres ve aut falcones* (hæc decreti verba ſunt) *alerent*: ſeuere autem in illos ani-
7 8 maduerſum, qui auaritiæ ſtudio correpti turpia lucra ſectabantur.

Cauſas matrimoniorum multis in locis iudices ordinarij ciuilium negotiorum cognoſcebant, quorum erat & diuortia peragere. Venus inceſta etiam in Laico magna pœna vindicabatur. Rarum illis ſupplicium capitis, &
9 in totum maleficiorum omnium pœna leuior, maximis criminibus ærariis
10 factis, quæ hodie ferme ſanguine & morte vindicantur. Alemanni inceſtas nuptias iudicabant, ſi quis ſocrum, nurum, priuignam, nouercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris vxorem, vxoris ſororem matrimonio ſibi copulaſſet: præterea ſi illi fratrum ſororumve iuncti matrimonio fuiſſent. In quibus omnibus caſibus locum habebat diuortium, bonis eorum qui contra legem

coiſſent

coiſſent fiſco adiudicatis. Franci Ripuarij diuortio & bonorum confiſcationi exilii pœnam adiiciebant inceſtis. Liberi minorennes inceſta libidine polluti libertatem amittebant, & numero ſeruorum fiſcalinorum cenſebantur. Sed de ſeruis infra dicemus. Leuibus autem de cauſis ab Alemānis ſponſalia ſoluebātur, & licebat priorem intactam repudiare, ſi quis iuraſſet amore adductum, vt ea relicta aliam magis deamatam duceret: neque maior erat repudii mulcta, quam 40. ſolidorum. Durabat tamen ea ætate lex illa diuina, quæ filiam ſine parentum tutorumve conſenſu nubere non ſinebat. 1
Franci Salingi pœna duorum millium quingentorum mulctabant, qui alii deſponſatam abſtuliſſet, & coniugio ſibi copulaſſet, ſed ratum interim coniugium manebat. Sic enim habet lex Salica: *Si quis ſponſam alienam tulerit, & ſibi in coniugium copulauerit* II DCtS Dīñ. *qui faciunt ſolidos* LXIIIS cuſpls iud. *ſponſo autem eius* Dctis dīñ. *qui faciunt* SOL. XV. Cuſpls. iud. Seruum fugitiuum ab ignorante Epiſcopo in Preſbyterum ordinatum, ſi dominus requiſiuiſſet, nō aſſerebat adeo ſacerdotium, quin probata ſeruitute in priſtinam conditionem remigraret. Nec dum enim notus erat character ille indelebilis, quem ſcholæ poſtea inuentum ſacrificis ſuis inuſſerunt. Nec Francorum modo legibus, ſed etiam Cæſareis Iuſtiniani cautum legimus. 2
Contra autem ſæpe manumiſſi ſunt ſerui, qui doctrinæ commendatione ad miniſterium vocati aut electi eſſent. 3
Extant enim veteres chartæ manumiſſionum, quarum vnam à me viſam libro ſecundo inter exempla veterum chartarum ponemus. *Decimæ* propriæ eccleſiarum erant, certis limitibus, quas tunc *Marcas* vocabant, diſcretæ. Crebro mentio fit marcarum in Regum diplomatis antiquis, præterea in donationum, concambiorum & præcariarum, vt vocabant, chartulis, quæ in collegiis paſſim & monaſteriis vetuſtis extant. Nec decimas ſolum, ſed *nonas* etiam partes ſoluebant coloni. Et extat apud Anſegiſum caput *de nonis & decimis*. Alicubi & *tertias* dabant, qui eo pacto agrum conduxiſſent. 4
Carolomanno maiori domus, Pipini fratri, frequenti in conſeſſu procerum & eruditorum placuit, vt ædes parochiales quam liberaliſſime donarentur, resque eccleſiarum quocumque fuco abalienatæ non ſine mulcta reſtituerentur. 5 6
Iam tum enim erant, non Abbates modo, quorum auaritia dudum eccleſiis nocuit, ſed Nobiles etiam laici, qui Principum indulgentia abuſi, decimas ſibi frequenter vendicabant. Ex lege autem Alemannorum non licebat agros eccleſiarum locare laico ſine *charta*, hoc eſt, tabulis, quæ pretium cenſumve & rei locatæ conditionem continerent. *Precariæ* autem chartæ illis ſæculis dictæ ſunt, quod fundus donatus, cuius in charta fiebat mentio, cum expreſſa aliqua conditione relictus vel locatus, precario poſſideretur, certo aliquo tempore ad eccleſiam rediturus, ni redemptibilis fuiſſet. Porro tritum eſt *precarii* vocabulum apud iureconſultos. Alemanni qui precariam chartam poſtulati non oſtendebant, ipſa poſſeſſione priuabantur. In totum autem neque agros vendere, nec diſtrahere mancipia, Paſtori eccleſiæ licebat. Habebat tamen locum permutatio, quum ager pro agro, mancipium pro mancipio, charta interueniente, recipiebatur. Chartarum exempla inferius libro ſecundo apponemus, quæ veterem morem & ritum clare docebunt. Legem vero Alemannorum adſcribere viſum eſt, quæ ſic habet: *Nullus Presbyter nec aliquis Paſtor Eccleſiæ poteſtatem habeat vendendi eccleſiaſticam terram, niſi contra aliam terram, nec mancipium, niſi alium mancipium receperit, & ſi Concambium fecerit, aut de mancipio, aut de terra, ſemper epiſtolam firmitatis faciat, vt contentio non fiat, nec eccleſia perdat, quod legitime poſſidere debeat.* 7
Primariæ erant eccleſiæ, quas hodie *Cathedrales* vocant: ſecundo loco, ſed 8

eximio tamen, illæ quæ *Parochianæ* seu *Parochiæ* dicebantur: quibus ornandis tuendisq; veteres illi Principes & Episcopi incredibili benignitate affuerũt, non pastoribus modò, sed & plebi gratificantes, quoniam in plebem præci-
1 pua pastorum liberalitas demanaret. Nec deerat illis, vnde liberalibus esse liceret, & magna opum pars, quæ in ecclesias collata fuisset, pauperũ & ho-
2 rũ qui mediocri fortuna essent vsui & necessitati cedebat. Hodie rebus aliter habentibus, ecclesias parochianas reditibus spoliatas cernimus, non paucis furto illo *Incorporationis*, Fucum dicere volebã, ita nup expilatis & direptis, vt ne de victu quidẽ satis esse prouisum sacrificis queat, nisi plebis beneficẽ-tia adiuti malè natis ritibus, ipsoq; sacrarũ rerum abusu, quæstũ faciãt. Hoc enim supra modum noxio malo nostra etiam ætas miserè infestata est. Nec mirum, etiamsi dolendum est, omnes vrbes, pagos, vicos, villasq; Germaniæ pauperum hinc inde discursantium mendicitate tot annis fatigari, cum ecclesiæ plurimæ à Pontificibus, Episcopis & Abbatibus direptæ, ne Pastores quidem suos, vt iam est dictum, satis alant, nedum pauperes, quorum tamen vsui propriè deseruiebant, quæ illorum immoderata cupiditate sublata sunt, vt interim de rapacitate illa taceamus, quam summi Pontifices; bullarum suarum licentia otiosis hominibus hactenus indulserunt. Ale-
3 manni, quum pars essent regni Francorum, pauperes suos adeò vagari non sinebant, quin domi eos veluti ex Canone alerent: bonis etiam quæ ecclesiis donabant, ita alicubi partitis, vt in ditioribus ecclesiis pauperum subuentui
4 partes duæ, in tenuioribus æquales partes & clero & pauperibus diuiderentur. Enimuero, vt supra quoq; dictum, Episcopi ipsi & Abbates Collegia & Parochias interdum instituerunt non paruis reditibus donatas & auctas, quas & ipsas demum successores sui multis in locis, quibuslibet de causis adducti, præterea & damnoso illo *Incorporationis* aucupio animati, ecclesiis ademptas, suos rursus in vsus conuerterunt. Antè autem diximus nec Ecclesias nec Collegia fundari solita fuisse, nisi Principis consensu. Nec tum erat Papæ ius illud comprobationis, quam *Inuestituram* vocant, sed Regis aut Imperatoris. Et extant diplomata, quæ, quod dixi, palam testantur. Sed alio in loco de iure illo commodius referemus. Illud non tacendum,
5 Caroli legem extare, quæ cauebat, ne Parochiæ sine mansis instituerentur.
6 Mansos autem illi sæcula vocabant Villulas cum prædiis, quæ singulæ singulis Ecclesiis fuissent attributæ, omni quidem onere exemptæ, nisi si quid Ecclesiæ deberetur. Durat adhuc Germanicũ nomen Kelthoff, quo Mansam gens illa, ni fallor, significauit. Quanq; autem Synodi Francicæ Principum authoritate ratificatæ non Monachis modò & Nõnis, sed etiã Clericis
7 vsum coniugii negarent, & nihil tamen minus omnẽ fornicationem seuerè coercerent & vindicarent: tamen haud ita multis post Carolum annis pu-
8 blico quodam consensu, & quod diuersum scripturæ in vetustissimo cõcilio Nicæno ad eum sensum receptæ & probatæ docerent, factum est, vt Presbyteri per Germaniam legitima connubia celebrarent: Laici autem scortationem & concubinatum non ferentes, Pastoribus suis vt coniugati essent libẽ-
9 ter permitterẽt. Quem morem plusculis sæculis receptũ, quum Hildebran-
10 dus monachus Papa factus, q. Gregorius Septimus transnominatus est, Cõcilio quodã cum suis in Italia habito, ceu impium & Patrum decretis aduersum condemnasset, confestim litteras Episcopis Germaniæ plenis minarum misit, & honore sacerdotii priuari iussit, q. decreto cõcilii sui præterito coniugati esse pergerent. Antistes igitur Magonciacensis, Synodo Heresfordiæ congregata, cum litteras Papæ vel inuitus prælegisset, oraſsetq; Papæ edicto
11 audientes esse, quæq; cõcilio placuissent recipere vellẽt, repentè tanta sedi-

tio

tio in eo consensu exorta est, vt parum abfuerit, quin Præsul ipse de cathedra deturbatus, celerique in tumultu trucidatus esset, clamitantibus multis satius esse Episcopum Papæ fautorem occidi, quam dogma tam væsanum & hæreticum cum tanta sacerdotii contumelia promulgari. Neque exemptus periculo est Præsul, antequam promitteret, primo quoque tempore curaturum se, quo Pontificem ab huius sententiæ austeritate deduceret. Quod quidem se viuo, hoc est, Heinricho Quarto imperante, accidisse circiter annum Domini M LXXX. Lambertus monachus Hirsfeldensis prodidit. 1 Mirum autem aduersum coniugia sacerdotum statuere Caroli ætatem potuisse, cum Concilia tamen illo tempore habita, ac illud imprimis, quod sub Carolomanno Prætorii Præfecto Wunefridus Legatus cum aliquot Franciæ Episcopis celebrauit, in hæc ferme verba ingenue confessa sint; 2 *Non licere Episcopis, aut Imperatori, aut cuiquam pietatem custodienti, quicquam contra diuina mandata præsumere, &c.* Et Sole interim clarius fit, nihil tam aduersum Apostolicæ doctrinæ, quam lege lata ad castitatem seruandam 3 cogere, quam nec voluntas, nec conatus hominis, sed vnica diuina gratia largiatur. 4 Sed sæpe accidit, vt quæ palam impia sunt, fucatissima illa specie pietatis Ecclesiis obtrusa sint. Atque hæc quidem de Collegiorum statu hactenus dicta sint: Nunc quæ reliqua sunt de Monachis & Monialibus subiungemus, interim & alia quædam, quæ obiter nobis, (vt in farragine) ad summam argumenti adumbrati magis quam expressi pertinere visa sunt, inserturi.

Monachorum disciplinam priuatim Abbates, generatim etiam Episcopi exigebant: 5 Abbatissis autem (vt illorum temporum vocem vsurpem) ministri seu Lectores dabantur, qui sacris peragendis & moderandæ disciplinæ præessent. 6 Primum quidem rariora erant Virginum cœnobia, quæ paulo post fœminæ Augustæ & nobiles aliæ, non tam pietate, vt videtur, quam sexus amore illectæ summopere auxere. Vnde laude virginitatis & commendatione quibusdam permotis placuit etiam fœminas, seu malumus puellas velare, tondere, vestiri, congregare, certamque ad normam vitæ instituere & exercere. 7 8 Quod vtinam tanto cum fructu pietatis esset factum, quantis sumptibus constitit. 9 Et laudari fortasse institutum posset, si & hæc puellaria cœnobia, ceu prima illa Monachorum scholarum instar habita fuissent, in quibus teneram & imbecillam, & affectibus obnoxiam ætatem viri graues & sancti, ac si ita libuisset, matronæ etiam moratæ & castæ certo aliquo, sed conducibili tamen ad pietatem, disciplinæ genere ad tempus formassent & erudissent, quo maiore pudicitia & continentia petitæ iam & litteras etiam edoctæ, reliquum vitæ, quod sibi vel nuptis vel innuptis concessum fuisset, multiplici cum fructu transigere potuissent. Nunc cum longe aliud, nisi fallor, spectatum videam ab illis, qui eo modo virgines incluserunt, profecto non habeo quod cœtibus illis vel probatissimis tribuam præter otium plusquam delicatum & superstitionem immodicam. Primum enim humanis doctrinis persuasæ, virginitatem velut de suo vouent & offerunt Deo, iactata deinde pudicitia, quam nemo tamen, 10 ceu diximus, veram assequitur, nisi donante Domino. Deinde scripturis sanctis, quæ liberam faciunt optionem castitatis, vel ignoratis vel contemptis, votum suum, hoc est, decretam temperariæ voluntatis sententiam, tanti æstimant, vt honestis etiam & piis caulis vrgentibus, probatæ semel & receptæ opinioni renuntiare scelus esse ducant: 11 cum D. tamen Paulus causas habeat, cur in casu aliquo nubere virgines malit cuicunq; conditioni mancipatas, quam innuptas manere: 12 Cumque idem non audeat perpetuam vir-

ginitatem vllis præcipere, nimirum dono Dei &quidem raro obuenientem; illa contra peſſime imbutæ, vel hac de cauſa perpetuam eſſe volunt, quia ſemel in corriphæorum ſuorum verba iuratæ illam promiſerunt & vouerunt, duplici, in fallor, contumelia culpabiles coram Domino: Vna quidem, quod rem alienam & concreditam ſibi, etiamſi vere virgines eſſe conſtaret, magna fraude & ingratitudine pro ſua vſurpant & venditant: altera autem quod munere & dono Dei aduerſus Deum, velut debitorem & nexu aliis obligatum, elatæ ſanctitate illa carnis vaniſſime iactata, ſibi referunt acceptum, & velut de ſuo profectum offerunt & conſecrant Deo, quod ſoli miſericordiæ Domino erat referendum.

De operibus enim & ceremoniis quibuſdam propemodum ridiculis vt nihil dicamus, non video quibusnam rebus aut commodis vſui eſſe poſſit genus illud vitæ tantopere laudatum multis, niſi aut Paulas, aut Marcellas, aut Hedilias illa latibula nobis ederent, quæ dignæ eſſent doctrina & pietate, quibus libri inſcriberentur. Nec enim vocari poſſunt monachæ noſtræ ad vllum Eccleſiæ famulatum, nec vllo cœtui rite præeſſe, denique quod ad pietatis captum attinet, ne ſibi quidem ipſis adeſſe aut conſulere, longe minus prodeſſe proximo, videlicet incluſæ & ferarum in morem parietibus ſeptæ, adeoque religione obſtrictæ, vt ne cum parentibus quidem & cognatis, nedum cum proximis aliis vel tantillum commercii & familiaritatis habeant. Et reuera dici poſſit, quod à doctiſſimo quodam viro dictum eſt: *Cœnobia aliquot non monialium ſolum, ſed monachorum etiam, non aliud eſſe, quam conditoria quædam in quæ viui homines otio ſcilicet & inertia conſepiti ſepeliantur*, & ſic (ſi Diis placet) mundo ſint mortui. Contrà alia quædam, quæ ſic iactant religionem, vt domus non hominum nec orationis, ſed Dei ipſius dicantur, ſic aliena ſint à cultu diuino, vt qui in illas recepti & initiati mundo renuntiarũt, re ipſa nihil magis, quam quæ mundi ſunt, profiteantur & colant. Cantus enim illi & preces, quibus fidunt quasque aliis negotiando impertiunt, quid aliud (oro) ſunt, quam elementa, hoc eſt mandata hominum & ceremoniæ de doctrinis hominum, ſolida refragante pietate, inſtitutæ, indignæ profecto, quæ vlla ex parte cum eximiis illis charitatis fructibus & officiis cõferantur, nedum ex ſeipſis vllo modo poſſint aut debeant in bonorum operũ numero cenſeri & æſtimari. Sic autem aliena ſunt ab operibus charitatis illarum ſomnia, quę in eccleſia tamen habent locum, vt iactata illarũ virginitas cum operoſa virginũ verè Chriſtianarum caſtitate cõferri nullo modo poſſit, vt interim coniugatorum & cœlibum caſtitatem non attingamus, quæ non minus laudis apud Apoſtolum, quàm illorum, qui thorum ignorant, aut harum, quæ illæſo dum & inviolato corpore exiſtunt. Laborioſior imo illarum continentia eſt, quæ vel habent coniuges, vel habuere, quàm harum ſit, quæ coniugalium deliciarum ignaræ ſunt. Nec ſine cauſa factum nouimus, vt iuniores viduas Apoſtolus nubere, & liberos gignere iuſſerit, nihil minus probans, quam ſubitum & præceps caſtimoniæ ſeruandæ conſilium.

Virgines Eccleſiæ, nec religione elatæ nec inflatæ profeſſione, quod Dominus donauit, in Domini gloriam conuertunt, hoc vnum potiſſimum curantes, vt in eo cœtu fidelium, in quo ipſas Deus conſtituit, nihil officii intermittant, quod modò decore ſuſceptum ad proximi vtilitatem pertinere queat: ſuis manibus victum quærunt, vel ita de ſuo victitant, vt ſuperſit, quod egentibus impertiant: adhæc & parentibus, & ægrotis, puerperisque, & ſenio confectis benignè ancillentur: ſubinde diuitum beneficẽtiam exſtimulantes, ne deeſſe miſerorũ inopiæ velint: totum autem nihil non ferẽtes laborũ & vigiliarũ, quo cõformes eſſe vitæ Chriſti, hoc eſt omnib. prodeſſe,

& ex æquo de omnibus mereri q̃ optime possint. Quod si quæ sunt, quæ vel valetudine vel conditione retrahantur, quo minus in cœtu famulentur, tamen aliis interim donis & fructibus præesse multitudini non desistant. Tales fuere primæ illæ Ecclesiarum ministræ virgines & viduæ; quarum Paulus & Lucas meminerunt: tales & hodie ex opulentis & magni nominis virginibus nonnullæ, quæ domum pauperculas inuitant, nec carnis modo, sed animi etiam cibo satiant & inebriant, scribere iuniores & legere docent, ad pudicitiam interim & parsimoniam & patientiam magno studio inhortantes. quippe hoc vno fine innuptas probat Apostolus, quia liberiore conditione donatæ, hoc magis quæ Dei sunt curent; quo minus colendis maritis liberisq; educandis, & reliqua coniugatis operæ molestia, impediunt. Nec minus interim probat cõiugii statum, vt qui malit virgines cœlibesq; nubere quam vri, & confessus sit, honorabile esse inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Verum regno Dei promouendo intentus, potiorẽ esse existimat, cum statum; qui ad pietatem colendam & supplenda charitatis officia quam minimum moræ habet, qui proprie quidem illorum est, qui in hanc libertatem dono castitatis asseruntur. Porro illa virginitas, quæ votis auctorata, & septa parietibus, otio præterea & inerti vacuitate flaccessit & diffluit, adeo nihil habet cum Apostoli laudibus commune, vt & reiectam eam & damnatam ab eodem constet: reiectam quidem, quia cum otio & inertia (vt nihil de superstitione dicamus) cõiuncta est: damnatam autem, quia nec liberam nec gratuitam, sed humanarum sanctionum tyrannide institutam, inuitæ etiam & coactæ puellæ profitentur, quibus tamen succumbentibus & palam lasciuientibus Præsulum indulgentia, (quemadmodum & Clero omni) vt scortentur permittit, vt nubant non permittit. Constat autem Paulum in viduis vel maxime arguisse otium ceu fomentum impietatis, nec alia magis causa virginitatem & cœlibatũ extulisse, quam quod instrumentum forent & adminiculum præcinctæ iam & operosę beneficentiæ: in epistola autem ad Corinthios, vbi de cœlibatu & virginitate disserit, præcipue dãnasse quidquid aduersum scripturæ, hoc est fidei libertatem, de humanarum sanctionum præscripto cum conscientia recipitur. Diserte enim inquit; *pretio redempti estis, nolite serui fieri hominum*. Adhęc palam testatur, nemini se laqueum propriæ sanctionis iniecturum. sed liberum relicturum, quod liberũ nobis reliquit Dominus. Neq; equidem ignoro, quid magistri quidam Scholastici, cõtemplationi & orationi, & plusculũ inter se puellarum priuatæ scilicet & captiuatę sedulitati & beneficentiæ tribuant: sed hoc maiori fiducia horum opinionem reiicio, quo certior sum, nullum vsquã instituti eiusmodi in vniuersa scriptura extare exemplum. Nec mirum quidem plerosque tantopere laudasse, quod ipsi sunt professi. Suum enim (vt in prouerbio) cuiq; pulchrum est: At non statim pium, quod quibusdã pulchrum, & in speciem religiosum etiã visum est. Vetat enim scriptura id agere, quod tectum est in oculis nostris, nisi Dominum idipsum iubere constiterit. Et vt aurum non est, quidquid auro tegitur, aut autum splendore imitatur, ita non est repente virgineum, quod nomine virginitatis cum iactata & inutili corporis integritate iactatur: siquidem virginitas, quam de carnis integritate metimur, adeo non est pietas, vt & piis & impiis communis existat. Prudentum enim & stultarum virginum Christus meminit, neque eas probat, quæ lampades gerunt exterius nitentes, sed eas quæ internæ puritatis oleum gestant. Proinde nec seris, nec obicibus, nec repagulis opus habent, quæ veræ sunt virgines; neque sane parietibus seu viuariis includi necesse est ne quis corpus violet. Violatur enim non tam corporis actu, quam animi consensu

virginitas, neque *locum mentem* (vt ait Gregorius) *muniunt, quod si deſit Spiritus, non adiuuat locus.* Tota eccleſia, quocunque loco eſt, corpus Chriſti eſt, quæ Apoſtolo teſte id curat in primis, ne quam ſpeciē mali in omni credentium cœtu ferat. Nemo facile caſtus eſt, qui vel ſolus, vel cum paucis cōiunctus eſt, nec virium eſt propriarum, ſed eximiæ gratiæ, cum illo carnis incentiuo luctari, vt victoriam triumpho dignam reportes. Proinde hoc ſanctior erit virginitas, præſertim fœminea, quo pluribus fidelium ſeſe commiſerit. Atque ita feciſſe vetuſtarum eccleſiarum virgines conſtat. Satis enim tutæ ſunt vel caſtiſſimę virgines ſub magiſtratu, qui vim, fraudem & iniuriam vindicat, nec inuitæ continebunt, quæ vulgo præſtant, quod donauit Dominus. Vtinam autem carere hominum doctrina potuiſſemus, quam certum eſt adeo infelicem eſſe in religione promouenda, vt quamlibet fortibus adminiculis adiuta, nihil tamen proficiat, ſed hoc fere ſolum perpetuo conatu ſuo aſſequatur, vt dum à Domini doctrina ad ſua placita deficit, poſtrema iuxta D. Petri dictum peiora primis efficiat. Quæ vero non ſunt virgines, vtcunq; incluſæ & obſeratæ, adeo corollam non merentur, vt meliore conditione fuerit Afra illa in lupanar tracta, quæ animi interim puritate inter Angelos verſata eſt, quàm illæ ſint, quæ virginum in cœtu poſitæ de lupanari cogitant: in quibus iuxta illud poetæ Satyrici:

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore &c.

Vt profecto conſtet optime ſenſiſſe illos, qui Gynecia pluſculis in locis ad diſciplinam modo capiendam fundarunt, libera interim optione relicta ingreſſis, vt vel nuberent ſuo tempore egreſſæ, ſi iuſtæ cauſæ inuitarent, vel cœnobio delecto virgines manerent, modo in eo ſtatu nec ceſſare, nec ocium alere, ſed adeſſe & prodeſſe Eccleſiæ ſtuderent. Verum & has ædes ocio & ſuperſtitione contaminatas videmus. Nam & ipſæ certæ normæ addictæ, cantu, veſtitu, preculis, votis, ſeſe iactant & venditant ita delirè, vt canere & in ſacris legere pium iudicent, etiamſi nihil horum, quæ vel muſſant vel modulantur, penitus capiant aut intelligant. Adpingunt & hoſtiis ſuis Franciſcos & Benedictos, vt vel inde cōſtare poſſit, intus eſſe Nonnas quæ reiecta Chriſtianiſmi puritate ad hominum doctrinas defecerint. Ita nihil ſuperſtitione confidentius, nihil ſupinius, nihil arrogantius eſſe ſolet. Dicunt enim & has optione longè poſthabita, malle fornicari per cœnobia, quam maritos quærere, & coniugali moleſtiæ prurientem libidinem ſubiicere: Quin ſatis eſſe putantes, ſi pingui illo in luxu atque ocio ſaginatæ, nomine & habitu caſtimoniam profiteantur. Id quod in totum illis uſuvenit, quæ vel parentum imperio, vel cognatorum perſuaſione, vel præcipiti aliquo conſilio, cœnobium ingreſſæ votum ſuſcipiunt ſeruandæ Caſtitatis, quam niſi Dominus donarit, ſimulare quidem poſſunt, vt alia pleraque, præſtare non poſſunt. Perinde enim atque animalia quædam non manſueſcunt, quantumuis blandè tractata, ſed dimiſſa ad ingenium redeunt: ita caro noſtra, quantumuis attentis hominum conſiliis demulſa per ſuaſaq; ſubſidat tamen non manſueſcit, nec ponit libidinem, ſed ad naturam recurrit, niſi Dominus ipſe dono eam caſtitatis cicurarit. Viderunt, niſi fallor, proxima ſæcula, quam probe quorundam conſiliis ſucceſſerit, qui in hominum gratiam, & priuati commodi magis quam pietatis aſpectu, inuitas filias cœnobiis intruſerunt, violentiſſimo illo caſtitatis iugo impoſito: quod quidem poſt diſciplinam nuperrime per otium & opes luxatam, ita repente excuſſum eſt, vt monaſteria non pauca propemodum in lupanaria degenerarint. De Germanicis autem loquor, neque his omnibus, (ſatis enim caſte,

caste; etiamsi impiè, vel etiam caute; si non caste, multis in cœnobiis viuitur) de his modo sentio, quorum ita præstituta est castitas, vt memorare libidinem citra pudorem nequeamus. Et monere quidem hactenus de castitate hominum decretis instituta libuit, ne quis hoc ipso probare me hodiernum monachismum putaret, quia veterem eius disciplinam veluti dignam memoratu recenseo. Non enim probatur aliquid, quod iudicatur, & memorandum proponitur. Quanquam cuperem (quod antea quoque sum testatus) talia hodie esse, & tribus proximis sæculis fuisse vetera monasteria, qualia tunc fuerunt, cum instituerentur. Profecto minus nobis turbarum vitiata quorundam licentia dedisset, neque auctus in tantum fuisset numerus cœnobiorum, quæ vix æstimandis sumptibus hactenus ecclesiæ Latinæ sustinuerunt. Adhæc, arma nobis fortasse in promptu essent, quibus horum conatus reprimeremus, qui iustissimis de causis moti totum illud hominum commentum, scandalis nimirum & erroribus refertum, nec vno nomine pernitiosum, non damnant modo, sed abrogant etiam & tollunt, satius esse arbitrati, desperati carcinomatis contagionem rescindere de reliquo ecclesiæ corpore, quam committere, vt medelæ prætextu malum serpat, & amplius noceat.

Ad cœnobia autem Monachorum vt reuertamur: constat Abbatum electionem per initia magna parte ad Principem pertinuisse, cuius ea cura erat, vt non nisi idonei eligerentur. Qua in re nec opibus, nec generi admodum, sed ætati & virtuti deferebatur, & iubebat Regula, vt in Abbates illi maxime eligerentur, qui sacræ scripturæ periti, præterea casti & misericordes essent, nec nisi è Domini præcepto suos erudirent & instituerent. Vnde clare apparet, quod ante diximus, primos monachos præscripto illo vitæ arctioris, non aliter quam adminiculo quodam & ornamento vsos fuisse. Clamat enim vel Benedicti Regula, se aliud non esse, aut profiteri, quam legem quandam pro his initiandis & instituendis, qui Christo olim essent militaturi: imo addit, aliud se non vrgere, quam talem obedientiam, quæ Christi fidem professos, nec elatos faciat in opere, nec quicquam sibi tribuat de his, quæ dedit Dominus, sed operantem Dominum magnificet. Simul tamen magno errore, & salutem docet ex obseruatione doctrinæ hominum, & operum fiduciam fortiter inculcat multis in locis, vt vel hac vna causa negari non possit, Regulam illam, quam hodie Benedicto adscribunt, nec vno aliquo tempore, nec ab vno scriptum, sed dogmatum & ceremoniarum accessione subinde ab aliis atque aliis mutatam & auctam fuisse. Porro Carolus Imperator cognomento Magnus, communi edicto permisit monachis, 1
vt Abbates ipsi legerent, quod ante se & Pipinus pater multis cœnobiis indulserat, adiecta tamen conditione, vt & Regum authoritatem pro more agnoscerent, iussisque illorum parerent & acquiescerent: quod insecuti tamen Principes neglexerunt, sæpius ordinatis selectisque etiam externis, qui monasteriorum habenis adhiberentur. Sed nec electione ambitio sublata, aut auaritia repressa est. Nam & à monachis lecti his vitiis obnoxii erant, & raros dedere Principes, qui per luxum & intemperantiam cœnobiis abusi non fuerint. Vsque adeo enim Carolo mortuo, ad quæstum & desidiam per domos illas declinatum est, vt Ludouicus filius, Concilio Aquis habito, coactus fuerit, abusibus quibusdam correctis, veterem disciplinam monasticam reuocare. Eutichii cuiusdam doctrina fretus, quem magno in pretio apud Ludeuicum fuisse Vincentius scribit. Ceterum ne sic quidem vtcunque redintegrata disciplina durauit, quin mortuo Ludouico Abbatiæ non clericis modo, sed etiam laicis homi-

nibus, in beneficium (sic vocabant) concederentur. Legimus autem & sub Dagoberto, quo regnante Columbanus Rhetiam ingressus est, eodem morbo laboratum fuisse. quod ipsum palam indicat diploma Regium, quo cauetur, ne vel Episcopi, vel laici quicquam iuris sibi inreditus monasteriorum aut potestatis vsurpent. Alienos autem & exortes, qui regundis monasteriis impositi sunt, partim eximia fide fuisse inuenimus, partim rapacitatis tantæ, vt monachi multis in locis exemplo territi viuis dum Abba-
1 tibus alios surrogarent, ne priore moriente lupus aliquis Principis conniuentia immissus grassari, & nocere cœnobio posset. Illud constat, immodicam quandam licentiam etiam Episcopos, Regum fauore fretos, in monasteria sibi vsurpasse, haud raro nequissime tractatis monachis, plerumque autem ita vexatis, vt vel inuitis Abbates darent, qui suo nomine rerum potirentur, nec aliud illis permitterent, quam quod ipsi iussissent. Celebri autem more est obseruatum, vt qui à monachis electi fuissent, honesto aliquo comitatu ad Principem mitterentur, qui ratam electionem haberet: contra autem electi fidem dabant Regi, idque iuramento intercedente, ne aliud præsumere vellent, quam Principes de religione & publica æquitate constituissent, neve aliud suis permittere, quam monasticæ disciplinæ normæ expostulasset. Quem quidem confirmationis morem durasse satis constat vsque in Rudolphum Auindspurgensem Romanorum Regem, qui circiter annum Domini MCCC. ex humanis excessit. Adeo recens & nupera est inuestitura illa Abbatum Germaniæ, quam proximis annis Pontifices suam fecerunt, tot antea sæculis non nisi in Regum manu positam. Nec indignum enim, nec alienum ab æquitate videbatur illis, quorum maiores, quique ipsi collegia passim & monasteria fundassent, priuatamque electionem monachis permisissent, quique ante non nisi Principe designante Abbates accepissent, non minus iuris in instituendo confirmandoque habere, quam antea in eligendo habuissent. Suas quippe opes illis impenderant, suo in regno posuerant ædificia, suis legibus institutisque erant tutati, denique sua cura & diligentia intra metas veteris disciplinæ continuerunt. Legimus autem
2 veteres Francorum, ac post eos, primos illos Germanorum Reges & Imperatores, sic large eam potestatem exercuisse, vt & Episcopos darent ecclesiis, & defunctis alios surrogarent, Præsulum quidem aliorum, sed non nisi domesticorum consilio freti. Sed & idem ius aliis principibus ita contulerunt, vt & legere & surrogare Præsules apud ecclesias suæ ditionis licuerit. Verum vt omni in negotio pietatis & religionis est factum, videlicet vt cottidie deteriora fierent, & subinde degenerarent, quæ minime improbe instituta videbantur, ita hoc quoque more sensim luxato detritoque hodie non nisi REGALIVM, vt vocãt, nomine fidem Abbates Regibus præstent. Quod nomen ante annos, ni fallor, trecentos monasteria nostratia longe tum à dominatu aliena, in totum ignorarunt: nulla magis causa præsentatis Abbatibus, quam vt fideles esse suæ functionis ministri pergerent. *Regalium* enim *donationum* nomine (quod veteres chartæ præferunt) non regalia illa nuper vsurpata, sed agri & prædia & seruitia etiã Regum beneuolentia monasteriis donata, intelligenda sunt: *Regalium* nomen recentius non legimus in Chronicis veteribus. Nec fuit quicquam illis patribus regulæ, qui pulla veste induti, vltra & supra baptismi votum, suo etiam, hoc est proprio, mundum & gloriam eius adiurarunt. Illud constat, longe minus nocituram fuisse multis cœnobiis Principum electionem, quam priuata & domestica nocuit. Imputos quidem sæpe dedit Regum authoritas, qui certe magno & rerum & disciplinæ damno admissi sunt. Monachorum electio multo sæpius,

studiis

ſtudiis & factionibus efferata, nihil non commouit, turbauit & perdidit, atq; id quidem proximis maxime ſæculis, quæ palam ſuppreſſa religione non niſi dominatum & tyrannidem quæſiuere. Perinde enim atque in vrbe quondam, ita in collegiis & monaſteriis quibuſdam Germaniæ noſtræ eſt actum, i corruptis & contaminatis ſuffragiis ſæpe diuerſi lecti ſunt, qui repente ambitione exſtimulati, ac velut furiis acti, nec cedere inuicem, nec monitorem ferre norant, ſed odiis alternis, (quæ ambitionis eſt rabies) inteſtinas & exitiales diſcordias ita exercuere, & opes illas religioni dicatas bello abſumere, & cede etiam partium victoriam reportare libuerit, gloriantibus ſcilicet & exultantibus quibuſdam, ſi vi & armis obtinuiſſent, quod Maiores ſui Regum curæ & tutelæ ſummiſerant, ne nocere vlla violentia poſſet. Ita mira quadam rerum cõuerſione factum eſt, vt mucronem etiam in ſeipſam ſtrinxerit monaſtica auaritia & ambitio, ex quo tempore in honorem & dominatum abiit, quod antea non niſi oneris & laboris fuiſſet. Sed ſero tamen illa peſtis, nec niſi opulentiora monaſteria tentauit. Prima enim, vtcunque vitiata, nec ſanguine ſuorum vnquam, quod ſciam, fœdata ſunt, nec bello infamiam contraxerunt. Sed & Abbates veteres quum grauius diſſidium immineret, non armis carnalibus, ſed ieiuniis & orationibus pugnabant, nec tanta illis aut rerum aut titulorum cura, vt horum gratia Chriſtianæ modeſtiæ, & ſponte receptæ diſciplinæ liberet obliuiſci. Quadamtenus quidem & illos tentauit cupiditas, quæ mehercule vel primis illis monaſteriis adhæſit, ſed pluris tamen innocentia æſtimabatur, quàm vt permittendum ſibi illi duxerint, quod poſtremi illi monachi, nihil minus quàm monachi, ſibi licentiſſima procacitate permiſerunt. Nec iam nobis ſermo eſt de ſectis & ſodalitiis fratrum, qui *Mendicantes* cognominantur, ſed de his tantum cœnobiis, quæ longe ante natos mendicantium ordines fundata & reconcinnata fuerunt. Quorum quidem religioni & vacuitati vt cõſuleretur, Regum edicto conſtitutum erat, vt quemadmodum collegiis ita & monaſteriis *Aduocati* adhiberẽtur, quos *Vicedominos* alicubi vocabant monachi, nec paruo honore dignabantur: Principũ nomine, à quibus impoſiti monaſteriis fuiſſent. Horum munus erat redituũ, ſeruitiorũ, prædiorum, rerumq; aliarum, quæ iuris monaſteriorũ erant, curam gerere: frequenter quidẽ & Abbate ipſo & fratribus in cõſilium adhibitis, ſi quid incidiſſet horũ cognitione dignum. quanq̃ minima hæc & omnium poſtrema monachis cura erat, longe magis religioni quàm ſæculi negotiis addictis: præcipuam, vt dixi, gerebant Aduocati, qui ea cauſa fere de vicina Nobilitate legebantur, quo maior foret authoritas, ne damni quicquam cœnobia vel errore vel ignoratione ſuſciperent. Raræ tamen in monaſteriis *emptionum tabulæ* viſebantur, frequentiſſime erant *Donationum*, vt quæ tum fere non niſi donatis rebus alerentur. Vnde mox paulo opes illæ enatæ ſunt, quibus longe lateq; omnia patuerunt, tanto ſpatio agrorum prædiorumq; cõtracto, quantũ (vt ait Perſius) *miluus oberret*. Tabulas omnes *Abbatis* nomine inſcribebantur, cuius quidem abſentis vicem *Decanus*, nonnunquã & *Præpoſitus* gerebat. Addebatur aũt in chartis, & fratrum & Aduocati cõſenſus, vt exempli gratia: *Ego Bernardus Augiæ Abbas cum conſenſu fratrum meorum & Aduocati mei Wichardi. &c.* Ad quem modum, abſente Abbate, Decani & Præpoſiti ſeſe ſæpiuſcule præſcribebant. Mirum autem vel ſimplicitate barbaræ gentis, vel ſtudio breuitatis factum, vt neque in tabulis, neque in chartis Francicis aut Alemannicis, quas quidem videre mihi contigit nuſquam cognomina vel Abbatum, vel Aduocatorum, vel teſtium aut Comitum aſſcripta cernantur, cum hodie prope omnibus in tabulis & Syngraphis ita requirãtur, vt ſi deſint omni prorſus fide & æſtimatione careant.

Nec

Nec dubium tamen esse queat, quin illis sæculis etiam seruiles & infimo in loco habitæ familiæ suis cognominibus non caruerint. Porro soli Abbates morem antiquum retinent, nomine scilicet edito, nec adiecto cognomine: quod & ab Episcopis humilius natis custoditur. Nobiles enim fere genus edunt cognomine prodito, quod veteres Episcopi in totum neglexerunt. Nam & Romanis Episcopis ea consuetudo est, vt nomen solum edant, sed numero tamen adiecto, vt quoti eius nominis existant, intelligi queat. Quin & à Regibus & Imperatoribus veteribus Francorum ea moderatio custodita est, solis nominibus æditis, vt antiquis in diplomatis & tabulis non facile inter Carolos, Pipinos, Carolomannos, & Ludouicos, (potissima Regum nomina) nisi temporũ ratione aliunde obseruata, discernere queamus. Criminalium causarum cognitio ad Comites pertinebat, à monasteriorum administratione adeo aliena, vt facinoris loco fuisset habitum, si quis affectasset. Posteriores quidam Abbates, & proximis quidem annis, dominandi libidine inflammati, Regumque abusi indulgẽtia, ne hoc quidem gladii & sæculi iure, vtcumque prophano, & cum monachismo pugnante, carendum esse duxerunt: satis interim religioni factum arbitrati, si non ipsi, sed laici ministri suo nomine cognoscant, quum ipsi tamen & suo, & fratrum suorum nomine ius illud horrendum hauriendi sanguinis à Regibus & Imperatoribus suscipiant, eoque nomine fidem illis, à quibus accipiunt, iurent, quod ne Episcopi quidem longe minus quam monachi addicti & iurati, iure vllo in sese (modo Christi sint ministri) transferre possunt. Dabantur autem & Abbatissis curatores, vt supra dictum est, quos & illa ætas Aduocatos & Vicedominos vocabat: quibus nesciis, non licebat vllum contractuum pactorumve genus, quod modo in tabulas referretur, perficere. Vetuerat & Ludouicus, ne Episcopus aut Abbas, aut Abbatissa centenarium Comitis Aduocatum haberet, atque id quidem quo minus suspecta iudicia essent, in quibus de monachorum monialiumque causis sæpe cognoscebatur. Erant autem *centenarii* iudices ferme Nobiles, à Comite constituti, & à numero, vt videtur, appellati, qui certis de generibus causarum cognoscebant, quemadmodum ex Caroli & Ludouici legibus patet. Ad Comitem autem referebant Aduocati, si quid dignum eius cognitione iudicassent. Iudicia celebriora Legati Principis tempore constituto, post hos autem & Comites & Centenarii, aut horum vicarii peragebant; quæ quidem Francis & Alemannis, barbara voce, *placita* dicebantur, & *placitare* pro eo vsurpabant, quod est placitum celebrare, quam vocem in Caroli etiam diplomatibus legimus. Moris erat primum, vt Aduocati cœnobiorum nomine placita, si quid negotii incidisset, adirent; inde inoleuit, vt & Abbates irent. Nec absimilia sunt iudiciis illis veteribus & conuentibus, hodierni conuentus & iudicia, quæ hodie vulgo **Reichstag / Cammergericht / Hoffgericht / Landtag** nominamus. Quippe placiti vocabulo etiam comitia imperialia intelligebantur. Ludouicus enim Pii filius, post pugnam ad Fontanetum cum fratribus habitam, & obtentum Germaniæ regnum, placitum apud Vlmam celeberrimum legitur habuisse. Et extat præclara Ludouici Pii sanctio, qua iubebat, *vt in Mallis & placitis primum omnium, viduæ, pupilli & pauperes audirentur: & si ad causam agendam inhabiles essent, datis patronis iuuarentur*, *Mallum* vocabant conuentum iudiciarium, **Landtgericht** / in quo præter alia etiam de libertate & seruitute, & assertionibus agebatur. Extat etiam Lex Carlina, quæ *rem iudicatam in Mallo repeti* non sinebat. Refero hæc, non vt probem, aut imitandas existimem voces barbaras, sed vt de statu temporum admoneam, nec fileam vel barbare vsurpata, quo queant, quæ illis sæculis

Iis scripta sunt intelligi. *Placiti* enim & *Malli* lex Salica & Alemannica crebrā faciunt mentionem, nec tacent voces illas Chronica nostratia, quæ ante annos trecentos scripta sunt. Arbitror autem diuersa fuisse ex parte ab iudiciis suprà nominatis, illa quæ Latine *publica iudicia* vocamus, vulgo Hochgericht. In his enim de facinorosis plectēdis statuebatur, quorum cognitionem Comites fere absentibus Principis Legatis agebant, quæ & *meri imperij* significatione intelliguntur. In aliis autem de appellationibus, aliisq; id genus ciuilibus causiis, quæ Legatorum Regiorum aut Comitum præsentiam requirebant, iuris ditione magis, quam potestate, cognoscebantur. Qualem hodie annuum conuentum illustres Heluetiorum pagi, sub festum Ioannis Baptistæ in castello Thermarum agunt, non modo de appellationibus cōmunium Præfecturarum, sed de relatis etiam & obiter enatis causiis, quarum cognitio ad summum magistratum pertinet, decernentes.

Loca ipsa condendis monasteriis delecta, principio non nisi Principum fauore concedebantur. Quæ si liberorum hominum fuissent, & donata non 1
essent, permutatione compensabantur: si fiscalia, religionis caussa dabantur Abbatibus. Vnde verisimile est, quod in Chronicis cœnobii ad S. Gallum legimus, Sigibertum Francorum Regem, non illum Austrasiorum, qui Brunehildam vxorem habuit, sed iuniorem Dagoberti & Ruaguedrundæ filium, Beato Gallo partem syluæ, quæ fiscalis erat, quam Abtzellanam hodie vocamus, pro monasterio ordiendo donasse, quod annis minimum centum ante imperium Caroli factum esse colligitur. Vt vel hac de causa constare possit, vix aliud monasterium per Alemanniam, quæ tum regni Francici pars erat, vetustius extare. Siquidem Dagoberto illo regnante, qui sedem Constantiensem primus instituit, Rhetiam nostram Gallus ingressus est, nec multo postea nemus illud Submontanum ad riuum Stainaham situm, incoluit, cuius proxima loca ei demum Sigibertus donauit. *Eremum* quidem atque etiam *solitudinem* Monachi Chronographi nominant, verum paulo frequentior hic secessus fuit, quam aut Eremi aut deserti nomen gereret. 3
Desertior quidem erat ager Abtzellanus & incultior multo, quam hodie existat, illo maxime in tractu, qui à monasterio recta ad Alpes protenditur, sed colonos tamen habuit non paucos, seruos videlicet fiscalinos, per syluas illas & dumeta dispersos, quos dono Gallus ā Sigisberto accepit. Nec prorsus solitudo fuit, vbi hodie monasterium est: quippe sua ipsorum historia in literas relata constat, proxime monasterium agros fuisse nobilium & liberorum hominum, qui Gallo denati postea fuerint. Indiciis certissimis constat, illo in loco, quem vrbis nostræ mœnia cludunt, ante Galli aduentum, non frequentem modo, sed veterem etiam & Romanam vetustatem præferentem habitationem fuisse. Et sunt nuperrime intra pomeria oppidi nostri reperti in hortis haud procul æde parrochiali D. Magni, argentei & ærei nummi Romani cum Imperatorum veterum inscriptione, qui vel remotam antiquitatem, aliis quoque de coniecturis apparentem indicant, de quibus nunc dicere omittimus. Ad institutum interim reuersi, sciendum est, monasteria vetera libenter illis Episcopis paruisse, in quorum diœcesi essent exstructa: nec multo erant Presbyteris parochianis celebriores Abbates, nisi amplius illos religio commendasset, nec maior erat ex lege pœna illi constituta, qui monachum pulsasset, quàm qui Diaconum. Abbates enim paucorum, Presbyteri multorum curam gerebant, vtrique salutaribus Episcoporum monitis obsequebantur. Carolo Magno placuit, vt Episcopi veteri more competentem monasteriorū curam gererent: contræ autem monachi, horum dicto audientes essent, quod 5

&c

& Ludouici filii lege cautum est, nec licebat Abbatibus, vt externis sese negotiis miscerent, nisi eos Episcopi vel sua authoritate, vel Principis iussu, ad
1 necessariam aliquam functionem euocassent. Iisdem enim etiam concilia omnium sæcularium officiorum vsum adimebant. Primum omnium auaritiæ accessione factum est, vt Episcopi suis ecclesiis non contenti, de occupandis expilandisque monasteriis consilia captarent, non iam ad disciplinam retinendam, sed ad quæstum & lucrum faciendum intenti. Vnde mox Abbates calumniis contumeliisq; petiti & exagitati de iugo excutiendo, & declinanda Episcoporum tyrannide deliberarunt: quandoquidem & ipsis non hominum modo priuatorum, sed Regum etiam & Imperatorũ fauor & indulgentia nihil non pollicebatur: nec paulo optabilius videbatur, proprio dominio præstare, quam alienis parere imperiis. Adeo verum est, quod quondã à Fa-
2 biano Philosopho dictum Seneca in controuersiis retulit; *Diuitias* scilicet *frugalitatem & pietatem impugnare*, præterea *malos patres & malos filios facere*. Tũ primum enim labascere religio cœpit, quum qui illi præfuere, diuitias sentire, admirari, & consectari cœperunt. Quare Francis etiamnum regnantibus contigit, vt Abbates opulentiores veteri more & instituto violato, resciſsisque obedientiæ vinculis, totos sese reiectis Episcopis tutelæ Regum commiserint, & diplomata impetrarint, quibus adeo asserebantur, vt nemo quicquam iuris, excepto Principe, in eos sibi vendicare posset, qui hoc honoris & authoritatis Episcopis habebat, vt disciplinæ monasticæ retinendæ gratia eo iure potirentur, quo in monasteriis administrandis & exigenda religionis puritate, veterum Principum authoritate & cõstitutione donati essent. Prima igitur exemtionis species, qua vel bonorum & piorum Antistitũ iugo sese monachi subtraxerunt, illa fuit, quam Episcoporũ insolentiæ & auaritiæ acceptam retulimus. Secunda quę pessima fuit, ipsis monachis debemus, qui Principum patrocinio elati, & suam illam ad opulentiam admissi & cõuersi, demum ne ipsos quidem tam bene meritos Principes adeo reueriti sunt, quin sæculis insecutis & proximis quidem, quum Romanorum Pontificum potestas non modo ingens, sed formidabilis etiam facta esset, & contemptim iam ab illis Germaniæ Imperatores tractarentur, sensim est ad vrbis Antistites discessum, & Romanæ sedi *immediate* (vt vocant) subiecti sunt, qui Francis & Transrhenanis Germaniæ Principibus opes omnes & fortunas suas debebant. Tanta enim indulgentia habiti, vt illos merito parentum loco vereri & amare, neque alios quærere patronos debuissent, quorum fidei & protectioni sese committerent, quando ita ab illis iam inde à iactis fundamentis protecti & defensi fuissent, vt præter omnium rerum securitatem, ad opes illas & satietatem plus quam modicam, non nisi Principum fauore peruenerint. Primum quidem nostri regnum illud nouum vrbis, quod reiecta Imperatorum authoritate sibi ipsis nullo iure Pontifices arrogassent, admirati, de suis etiam, hoc est de priuatis Dominis, cogitare cœperunt. Quid enim aliud erat, sedi Romani subiici, quàm Imperatorum & Episcoporũ veteri iuri & authoritati nuncium remittere? quando iam orbis sibi persuasisset, ita omnem ecclesiasticæ administrationis potestatem illinc pẽdere, vt quidquid semel sedis illius nutu & voluntate decretum esset, illud ipsum ne Imperatoribus quidem, nedum Episcopis, rescindere liceret. Pontifices igitur qui alienis opibus inhiabant, hoc vno per initia erant contenti, quod isto tutelæ patrocinio; prætextu ditissima Germaniæ monasteria suarum partium fecissent, donis etiam & priuilegiis honoratis Abbatibus. (Mitra enim & pedum & annulus & sandalium, & manicæ gemmatæ, Paparum illorum maxime, qui & ipsi monachi fuerant, munera sunt, quibus Episcoporum dignitati

Abba-

Abbates iam ſuos æquarunt.) Iam enim ditiſſimos quoſq; Præſules noſtrates eandem in naſſam illexerant, ac velut muro ſepſerāt ſuæ ſedis potentiam, ne quid in illam impune præſumere Imperatores noſtri poſſent. Cui conatui vbi ſucceſſit, facile alia ſecuta ſunt. Vallii videlicet redemtio, annatæ, inueſtiturę, indulgentiæ, quæ noſtri, Pontificum potentia & amplitudine cōmoti, ſed & elati tutela, quæ vel Regum manus coerceret, vltro etiam illis cōceſſerunt. Verū iuri illi & mori exemptionis nuper nato cum vere ſanctus Abbas Bernardus reſiſteret, negaretq; id licere Abbatibus, vt hoc modo otio & libertati cōſulerent: (quippe iam videbat, quem in neruū iſthæc cōſilia demū eſſent eruptura) tamen ſolus fatalē illā calamitatem adeo arcere non potuit, quin breui poſtea tępore, quum cōfecta iam & bona ex parte oppreſſa p Italiam Regum dignitas iaceret, cœnobia fortunatiora Papæ ſeſe tutelæ cōmittere magno numero perrexerint, moremq; nec probum admodū nec honeſtum, literis aut tabulis ac titulis etiam ſuo nomine æditis, palam oſtentarūt, quod à nōnullis tamen primum ducentis annis proximis factū eſſe conſtat. Vſq; enim ad Rudolphum Auindſpurgenſem Germanorū Regem, Alemanniæ monaſteria vel prima & ditiſſima electorum Abbatum cōprobationem, quam vulgo *inueſtituram* vocāt, nō à Papa, ſed à Principe, vel Rege, vel Imperatore petiere; nec ad Pōtifices, ſed ad Principē iuramenti præſtandi gratia miſſi ſunt (quod alio in loco admonuimus) qui priuatim & domeſtico fratrū cōſenſu in Abbates electi fuiſſent. Vetus n. illud & ſanctū ius, tum dignitati, tum etiam authoritati Romanorū Principum, à Conſtantino vſq; Maximo, cum fructu eccleſiarū omnium tributum eſt, quod ipſum poſtea ingenti diſpendio & horribili cum perturbatione religionis, nec ſine armis & ſanguine, illidē Pontificum ambitione eſt adeptū. Francis quidē illud per Carolū, vt diximus, Hadrianus Papa donauerat: quod quidem minime neceſſe fuiſſet, niſi iiſdem etiam Imperii nomen & curam donaſſet. Perpetua tum fuit Imperatorum vrbis facultas, electos vt Epiſcopos cōprobarent, aut ſi iuſtæ cauſæ fuiſſent, reiicerent. Primus omnium Gregorius ille, vt Vincentius tradit, qui VI. eo nomine Papa fuit, Heinricho III. imperante, circiter Ann. Dom. MI. Hadriani conſtitutione violata, inueſtituram ſedium Italicarū vēdicare ſibi eſt auſus. poſt quem Gregorius VII. Heinrichi IIII. dignitate ſupra modum contempta & vexata, idem molitus eſt, nitenti licet ex animi ſententia non ſucceſſerit. Demum Calixtus II. idem ſaxum voluit, Heinricho V. ea maxime cauſa, in vrbem admiſſo, q; Legatis eius apud Sutriam obuiam factis promiſiſſet, iure ſeſe inueſtiendi ceſſurum, quum minime tamen ceſſerit. Vnde diris deuotus & anathemate percuſſus, plurimis annis ingentē proſecutionē magna & prope incredibili cōſtantia ſuſtinuit, donec etiā à ſuis minas Pontificias declinantibus deſereretur, ſpeq; omni atq; ope demū deſtitutus, vetuſtiſſimo illi & æquiſſimo iuri imperatorio renuntiare coactus fuit, exhibito etiam diplomate, cuius hæc verba ſunt: *Ego Heinrichus Dei gratia Rom. Imp. Aug. pro amore Dei, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo ſanctæ Catholicæ eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus eccleſiis fieri electionem & liberam conſecrationem*, &c. Cōtra Calixtus, iam potitus voto, in hæc verba cōdixit Imperatori: *Ego Calixtus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio ſuo Heinricho Dei gratia Rom. Imp. Aug. concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſq; ſimonia, & aliena violentia, vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & prouincialium conſilio vel iudicio ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Rom. eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ*

ex his iure tibi debet, faciat, &c. Extant n. diplomata apud Vrſpergenſem data Anno Dom. MCXXII. 9. Kal. Octobris. Ex quo tẽpore nomen Regaliũ vſurpatum Abbatibus, iusq; inueſtituræ ſediũ Germanicarum in Pontificum manum delatũ, quod mox paulo ſimonia ingenti cõtaminatum eſt. Cõiicio aũt eodem fere tẽpore, & Principes & Eccleſias noſtrates inueſtituræ & electionis poteſtate veteri ſpoliatos fuiſſe. Sane & ſub Heinricho IIII. aliquouſque cõprobandorum Epiſcoporũ Italiæ facultatem ſuã fecerant Pontifices, verum iure adeo arcto, vt citra Imperatorũ conſenſum irrita fuerit illorũ ratificatio, q̃ Quinto primũ Heinricho ſuccumbente in totã noſtri amiſerũt, repetitã quidem ſæpius, ſed clade innumera, quum non cõtenti inueſtitura Vrbani Præſules iura etiã imperii, & multarũ vrbium Italiæ, quæ antea imperialis fuiſſet, ſui iuris ac poteſtatis facerent. Sæpe aũt hac ipſa de re cogitanti mihi viſum eſt, inſignem illã cõtumeliam Heinricho V. non ſine euidenti vltione irrogatam fuiſſe, non ſolum q; clariſſimum parentem abiici à regno, ſeq; Pontificum ſtudiis eligi, regniq; honore exaltari paſſus fuiſſet, verum etiam quod à Papa perſuaſus iiſdem de cauſis patrem vt hoſtẽ fuit perſecutus, quibus poſtea & ipſe telo illo triſulco percuſſus, fuiſq; prope omnibus ab Epiſcopis deſertus ignominioſam ad palinodiam compulſus eſt. Nec me fefugit, eſſe quoſdã, qui ius illud Pontificiũ defendentes, neſcio quid originis in Paſchalẽ primũ reiiciunt, aiuntq; ex vrbe in Gallias ad Ludouicum Pium profectum, id primũ oraſſe Imperatorẽ, ne iniquo animo ferret, q; Pontifex ſe neſcio creatus eſſet, q; ille ceu cõdonans, nõ modo æquo animo tulerit, ſed indulſerit ẽt vt liberã in vrbe, Principũ cõprobatione nõ exſpectata, electionẽ peragerent. Quod quidẽ ita cõtigiſſe à quodã bibliothecario proditũ ferunt, autore haud ſatis idoneo, ne dicã ſuſpecto. Verũ ſi ita res ſe habet mirũ eſt, poſteriores Pontifices in tam lõga diſcordia nihil, q; ſciam, de cõceſſo illo ſibi iure refricare aut allegare voluiſſe, ſed in cõciliis horũ temporũ, Heinricianã & Vuigbertinã hæreſin, videlicet, vt catholicæ traditioni & Spiritu ſancto aduerſam, ſentẽcia ſua damnatã & exploſam fuiſſe. Mirum etiã, q; Hadrianus III. Carolo Craſſo regnãte in Põtificem lectus, ad Senatũ vrbis referendũ duxit, ne in eligendo Põtifice Principis authoritas exſpectaretur, ſed libera foret electio. Latuit ne Senatũ Ludouici pmiſſio? aut eſt veriſimile, nepotis tẽpore fuiſſe ignoratũ, quod auus cõſtituerat? Vt ſileam, q; inſecuti Imperatores eodẽ iure quietè ſunt vſq; in Heinrichũ III. vſi, quinimo certo cõſtet, Francos q. Ludouicũ ſecuti ſunt, vſq; in Ludouicũ Arnolphi filium, non Italiæ modo regnũ ampliſſimum, quod ante Lõgobardi tenuere, ſed etiam ipſam vrbẽ Imperii ſedem ita obſequentẽ habuiſſe, vt illis vel tributa penderet, quoties eſſet flagitata, nec facile quicquã Epiſcopi denegarent, lõge aliter tunc tẽporis animati, q̃ recentes illi fuerint, qui rerum ſuarum immodicè ſtudioſi negandũ optime merentibus exiſtimarunt, q; optimi quiq; & pientiſſimi Põtifices ante ſe tot ſæculis, Regib. & Imperatoribus ſuis detuliſſent, nimirum vt canonicè electus Epiſcopus aut Abbas à nemine conſecraretur, niſi prius à Principe cõprobatus & inueſtitus eſſet. Quod ad me attinet, fateri habeo eius rei vẽdicatione Romanæ ſedi plurimũ & dignitatis & potentiæ acceſſiſſe. Verũ enimuero cõducibilius fuiſſet, tum publicę trãquillitatis, tum etiã religionis & charitatis Chriſtianæ gratia, pede premere conſilium, tam noxium & violentum, quo Præſules Romani deſponſis animis illud enitendum eſſe cẽſuerunt, vt omniũ ordinũ, gentium, eccleſiarũ, obedientiam expoſcerent ſuam interim ipſi nec profiterentur nec præſtarẽt, ne ſuos quidem, hoc eſt, Romanos Imperatores ita agnoſcentes, quin vniuerſæ vrbis ius & imperium ſolis ſibi vindicarint. Hoc enim vno velut fonte quodam

peſtis

peſtis illa diſſidiorum & ſimultatum ſcaturiuit, quæ tutoribus illis & patronis eccleſiarum Chriſtianarum tot bella nocentiſſima peperit, tot tumultus excitauit, tot millium hominum caſu & internecione eccleſias afflixit, denique tot inteſtinis odiis Clerum diſtraxit à Laico, non ſine lachrimabili diſciplinæ ſubuerſione. Quæ mala omnia vel leui & innoxia importunorum etiam & inſolentũ Principum permiſſa tollerataq; iuriditione declinare, & ſummum in bonum eccleſiarum conuertere potuiſſemus. Quando enim Apoſtolus Paulus iuſſit, vt *anima omnis* vel Ethnico & ſæuienti Magiſtratui ſubdita ſit, cur non idem longe magis Chriſtiano & optime merẽti magiſtratui largiendũ eſſe agnoſcimus? Quando & Petrus Romanæ vrbis Antiſtes; *ſubditi*, inquit, *eſtote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue præſidibus*, &c. Et eodẽ in loco; *Deum*, inquit, *timete, Regem honorate*. Nec dubium ſit ipſos Apoſtolos Petrum & Paulũ tam detuliſſe Principibus, in quorum vrbe & populo victitabant, quam alios, vt deferrent & omni honore proſequerentur, inhortati ſunt. Summus aũt Magiſtratus Romę quum Romanus Imperator exiſtat, quis cõſequi non videat, & his ipſis Apoſtolorũ exẽplo parere vrbis Præſules neceſſe eſſe, nec frigidos agere vicarios, ſed horum veſtigiis inſiſtere, quorum nomine functionem ſuam tuentur. Quod ſi adeo ab Epiſcopis Romanis ſimulatũ non eſt, quin Francos & Germanos alios, quibus & nomen & inſignia obtulerũt, pro ſuis Imperatoribus & agnouerint & venerati ſint, cõſequitur certo, non minus his parendũ fuiſſe, quam illis, quibus & ius vetus & inſignis illa authoritas cõprobandorum Epiſcoporũ ſemper in manu fuit. Si nõ agnouere & fucato officio ſunt proſecuti, ne dicam perſecuti, haud aliud profecto illa ſua periculoſa diſcordia quæſiuiſſe & ambiiſſe videntur, quam vt ablegato procul q; ſummoto nominis honore, ſemel & Imperatore vacare, & vrbem ſuam facere, ſuumq; in ea firmare regnũ poſſent. Sed paulo longius inueſtituræ tractatione ab inſtituto digreſſum me video, quanquam multa forent digna memoratu, de quibus fortaſſe alio in loco cõmodius referemus. Nunc de Monachorum obedientia, vt dicamus, ſatis cõſtat D. Hieronymum non vno in loco prodidiſſe, Ægypti monachos & Syriæ, ſua ætate Epiſcopis parere, ſtatisq; diebus frequentibus eccleſiis ſeſe coniungere, & ſacris etiam myſteriis intereſſe ſolitos fuiſſe. Hoc ipſum enim & ſacræ litteræ iubent, vt Domini miniſtris, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei concredita eſt, reliquus cœtus obſequatur & pareat. Neque hæc refero, ceu meam opinionem inculcans, ſed vt cõmendans Bernhardi conatus, cuius admonitioni ſi Romani Epiſcopi paruiſſent, in hunc vſq; diẽ Epiſcopis ſuis monachi parerent. Nullam enim iuſtam cauſam habent, qua tueri ſe queant, quo malorũ metu bonos etiam Antiſtites agnoſcere & reuereri deſierũt. Certis enim remediis malorum Præſulum auaritia cohibeti & ſine labore ambitioni quorundam & inſolentiæ frænum imponi potuiſſet. Ex eo enim tempore, quo ſordidi quidam Epiſcopi hac vna, quam diximus, cauſa in aulas Regum ſe conferre, Ducesq; & Comites ſalutare, orare, tentare muneribus cœpiſſent, Abbates & ipſi neceſſitate quadam adacti, nec minus exemplo allecti, pari de cauſa in media ſeſe Principum palatia contulere, partim quidem vt inter Palatinos cenſi, ſua tuerentur, partim etiam vt aliena occuparent, quæ (vt erant cupiditatum ſerui) pactarum rerum cumulo adiicerentur. Quanquam me non lateat, Francos veteres, ex quo tempore ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, libenter & Epiſcoporum & Abbatum cõſuetudine vſos fuiſſe, ſed & hos frequentius in conſiliũ adhibuiſſe, quo ardentius publicæ pietati cõſultum eſſe cupiebant. Quod quidẽ & Germanici poſtea Imperatores & plerarumq; gentiũ Reges, quę in poſtremis fide imbutę ſunt,

more velut translatitio custodierunt. Tamen graues viri & sancti erant primi illi Antistites & patres, ornamẽta videlicet Palatiorum & lumina, quorum hoc potissimum studium fuit, vt Regum felicitatem & potentiam mitigarẽt, & Christo Domino lucrarentur; pronosq; deinde animos religionis amore inflammarent: quod ipsum sane non doctrina modo, quam sacra lectio suppeditabat, sed vitę etiã innocentia, qua erant spectati, assequebantur. Quum è diuerso nuperi illi Præsules & Abbates, ambitione & auaritia distenti, non iam Christum in aulis, sed Antichristũ quærerent, nõ diuitiis modo publicis collegiorum & cœnobiorum, sed suis etiam & priuatis dediti. Quæ quidem quum satis iam pollerẽt adeoq; ad summũ auctæ viderentur, tamen hoc maior erat diuitiarũ sitis, quo magis opes illæ creuissent. Quæ res postremo intẽperantius exercita materiem illis malorũ omnium subministrauit. Satis n. & plus satis experta sunt proxima sæcula, duobus illis dominis, Christo & Mammonæ, neminem fidelẽ seruire posse. Defecere siquidẽ à Christo, qui Mammonã sunt secuti. Et est indubitatũ, cum aliis honestis actionibus institutisq;, quibus hominũ societates cõsistunt, tũ inprimis religioni obesse solere studiũ illud opum & potentiæ, quod ꝓximis aliquot seculis religionem simulantes homines nõ auertit modo à veritate, sed omnino etiã (vt libere dicã) subuertit & pdidit. Quod ipsum si nullæ vsquã scripturæ docuissent, certũ tamen cogitanti facerent Ethnicorũ querelæ veteres, quæ bene institutas religiones suas dolẽt luxu & auaritia corruptas & cõtaminatas fuisse. Quod si in tenebris suis nihil æquabile aut moderatũ ferre potuit pater ille mendaciorũ Satanas, quid eum in luce tantopere ꝓbi aduersa & inuisa intermisisse putamus, quo minus omnia religionis nostrę decoramẽta sursum deorsumq; iactata cõtaminaret. Sũma malorũ etiã hoc errore creuit, q; Episcopi & Abbates haud raro minime bonis cõsiliis instructi, fucatis persuasionibus tanq̃ præstigiis quibusdã vsq; adeo illuserunt Principũ animis, vt deuicti demum non modo conniuerent licentissime agentibus, sed cõprobarent etiã diplomatis signatis, quæ illi nulla iusta causa flagitassent. Ad quam quidem intemperantiam hoc promiores erant, in duris illis & barbaris sæculis horũ animi, quo plus dignitatis & authoritatis monachis & presbyteris omniũ ordinum persuasione deferebatur. Vt n. olim Tribunorum in vrbe, sic illorum in orbe Christiano vteunq; degenerante, sacrosancta erat authoritas, licet nec mores sancti, nec vita amplius pura, nec syncera admodum studia essent. Abbates n. quidam, dum opum curam gerunt, morum & disciplinæ iacturã ingentẽ faciunt, & reiecta religione nihil amplius q̃ sublime & Regium cogitare, aulæq; delicias suis cœnobiis inferre, ac pestes quasdam tanq̃ dotes illis relinquere, imo obtrudere perrexerunt, quorum habitus & professio iam inde à Paparum exemplo & instituto deducta, nihil minus ferebat, quam quod illis diuitiarum accessione tot modis excœcatis placere semel & arridere cœpisset. Quare factum est, vt Abbatum documento perculsa monasteria quædam ditiora, vsque adeo maiorum relictis institutis degenerarint, vt Deo, nõ mundo mortui viderentur, qui sacris tamen illis monasticis initiati, Deo se, non mundo victuros tam sanctè promisissent.

Caroli quippe sæculo, vigente etiamnũ disciplina, hãc vnam gloriam ferebant Episcopi & Abbates, si doctrinæ & pietatis nomine laudati fuissent. Pullulabant quidem iam tum seminaria quædam ambitionis & auaritiæ in multis monasteriis, sed interim deprehensa in annuis illis Synodis Episcoporum vel emendabãtur, vel certe coercebantur. Ad hæc & Regũ cura morbis illis quadamtenus medebatur, missis nimirum grauibus viris, qui de disciplina monastica singillatim perquirerent. Quare & operis addicti monachi,

nachi, constitutis horis laborabant, & certas psalmis dabant, & sacra biblia versabant, non diurna modo, vt ab illo est dictum, sed in bruma & frigore nocturna etiam manu, additis insuper & collatis expositionibus, quæ à præclaris doctoribus orthodoxisq; & catholicis interpretibus æditæ fuissent. Curam enim aliquam studiorum illis sæculis fuisse illæ bibliothecæ, quarum supra meminimus, testantur, præcipue Fuldensis illa & Lauresheimensis & Hirsaugiensis & Cæsariensis prope Nordlingam aliæq; in Germania nõ paucæ, quas inter & ea, quæ Sangalli est, merito censetur, optimis quondam libris & selectis, exque ipsa Italia allatis referta, sed multo sæpius expilata. Primus eam Gozbertus Abbas Ludouico Pio imperante instruxit, neglectum antea ac prope nullo librorum vsu habitam. Multæ enim coniecturæ sunt, quæ docent, primos illos monachos, qui à morte Galli monasterium incoluerunt, non tantum laicos, verum etiam literarum ignaros, aut certe semilatinos fuisse, quod & chartæ vetustæ, quas libro secundo referemus, palam innuunt. Auctiorem postea Grimaldus reddit Ludouici iunioris *Archicapellanus*, (sic eum vocabant, qui à sacris Imperatoris erat) quem Bernuico Abbati, quia Lotharii factionem secutus esset, depulso, idem Ludouicus monasterio S. Galli præfecerat. Hic tametsi nec ipse monachus, nec aliis à monachis lectus, sed Principe iubente Abbatia donatus esset (iam tum enim in beneficium cœnobia cõcedebantur) tanta tamen in monachos iam suos humanitate, liberalitate & beneficentia fuit, quanta vllus ante se Abbatum. Primus enim omnium haud aliud maiori sollicitudine nixus est, quàm vt vetus illa studiorum ratio, aut certe proxima veteri, in suo quoque monasterio excoleretur. Eandem curam HARTMVTVS, quem ille viuus sibi successorem destinarat, susceperat, insuper & hunc honorem sacris libris largitus, vt codices duos scripturæ sacræ, auro & gemmis appararit. Extat etiam nunc in bibliotheca monasterii psalterium in membrana aureis literis iisq; elegantissimis exaratum: præterea duo illi codices scripturæ Apostolicæ, auro, ebore, gemmis vestiti, qui sacris in celebrioribus inferuntur. Tale quid & sua ætate factum Hieronymus scribit, parum tamen probans fucatam quorundam hypocrisin, qui pauperum cura neglecta in membranis Dominum colerent, in corde & animo non gererent. In epistola enim ad Eustochium; *Inficiuntur*, inquit, *membranæ colore purpureo, aurum liquescit in literas, gemmis codices vestiuntur, & nudus ante fores eorum Christus emoritur*, &c. Quod quidem & nostra ætate assolent, qui ceremoniis, nescio quibus addicti & consecrati, Christum ipsum, hoc est pauperes suos, non modo non iuuant, vel morbo afflictos, vel egestate laborantes, sed insuper spoliant & expilant, gratam rem se Deo facere arbitrantes, si iure in illos suo per summam iniuriam & contumeliam abutantur. Veteres monachi sæculum auersati, non animum solum studiis honestarum artium, sed corpus etiam præscripto aliquo laboris genere exercebant. Et erant operæ omnes in Abbatis arbitrio, qui & laborem & tempus pro cuiusque vel ætate, vel conditione moderabatur, ad victum etiam & alimoniam intenti, quo publicam eam multorum industria sustentarent, quam solertiam postea & à nostris imitatione quadam receptam donationes fregerunt, simulq; opere illo manuum collapso lucri studium omne ad sacra est translatum. Regula Benedicti veros esse monachos testatur, qui manuum labore victum quærunt, & negauit Gregorius, *eum esse monachum, qui in terra possessionem quærat*. An igitur veri sunt monachi, qui sacra & sacrificia licitantur, ipse viderit. Nos institutum prosequemur. Ac de victu quidem vt dicamus, Cõmunis antiquis victus erat, & extabat lex Carolomanni, Maiorisdomus Franciæ, *ne monasteriorum & ecclesiarum bona diuidentur*,

rentur, neve ex diuisione iacturam vllam paterentur. Quem vere vtilem morem, nobilitas postea collegiorum cœnobiorumq; bonis potita violauit, partitis scilicet & priuatum in vsum diuisis reditibus, quibus priuatim diuisimq;, seorsum etiã exstructis ædibus, fruerentur. Hunc abusum plusscula postea monasteria emendarunt, contractis iterũ vnumq; in corpus redactis reditibus, plusscula non sine insigni rerum omniũ licentia retinuerunt: Neq; enim vigilant alicubi Abbates, sed merũ (vt vulgo dicitur) & talos ponunt, quo parem ad ludum fratres inuitent. Cibus omnibus modicus, & paucis ferculis distinctus. Constabat aũt fere pulmentis & leguminibus, interim & carne apposita, si vel locus vel tempus postulassent. Negligebatur enim institutũ, quod ab esu carnium arcebat monachos: & ipse sane Rabanus, Benedictini sodalitii monachus, in libro de institutione Cleri, cibariorũ discrimen dãnat, superstitiosum esse affirmans iudiciũ, *quod hoc esse licere, illud non licere asserit; præterea*
1 *mundum hoc, illud immundum cogitat.* Certe quo cordatiora fuere cœnobia, hoc liberius cibo sunt vsi, longe dissimiles illorũ dementiæ, quos hodie *Obseruantes* vocãt, libertate Christi reiecta, vinculis sese mandatorũ captiuant. & probe consultũ abstinentiæ putant, si carne nõ vescantur, interim vino optimo
2 & esculẽtis exquisitissimis distenti & farti. Vini vsus rarus & temperatus erat, veteribus plerisq; nullus. Cereuisiam bibebant multis cœnobiis nostratibus fratres, qui vsum eius hodie in totũ ignorant. Ieiunia ipsa nõ vt hodie prandio distenta differtaq;, sed more veteri, cuius meminit Augustinus, diei inedia cõstabat, monachis interim nõnullis biduo etiã sese affligẽtibus. Qui die ieiunassent, cœnulã multa vespera capiebãt, quæ *Collatio* dicebatur, haud quidẽ à ferculis, vt arbitror, velut Symbolũ significarẽt, sed à dogmatis, quæ quidem vel vescentes conferebant. Silebatur n. initio cœnæ, & erat qui vescentibus vel ex scripturis, vel sacra ex historia depromptũ quiddã prælegeret, quem finientẽ collatio excipiebat. Durant hodieq; lectiones tam diurnæ, tã etiã nocturnæ, sed ita translatæ in cantũ & fistulas, imo vero in opus & meritũ, vt aliud re ipsa nõ sint, quam ceremonia quædã, quæ veteris instituti nec fructum quidem vllum nec modũ habeat, nedũ vllam veræ pietatis speciem.
4 Canuntur n. fere à nostris, quæ veteres voce paululum intẽta recitabant, neque id agebãt, quo meriti quicquam ex eo labore foret, sed vt instructi imbutiq; sacrarũ literarum ministeriis, audientium mentes hoc ardentiori obsequio religioni sese accõmodarent. Et euocati qui in cœnobiis agebãt, publicisq; functionibus adhibiti, prodesse hoc amplius aliis possent. In totum aũt antiquis tantus (vt sic dicã) rigor abstinentiæ, tantus tenor disciplinæ fuit, vt monachi posteriores luxati iam & fracti Abbatũ quorundam liberalitatẽ nõ alia magis causa extulerint & cõmendarint, quam q, mensas sibi numero ferculorum aucto, lautiores & pinguiores fecerint. Incredibile enim est dictu, quantum postea vitiata religio non modo in frigidas quasdam ceremonias, quæ præcipuo tamen in loco habebantur, sed etiam ad sagenam & pastum quendam deiecta fuerit, nominatim etiam expressis ferculis edulijsq; & vini mensura in dies mensasq; certa, velut è scripto & canone recitata, quæ monachis & Presbyteris deberetur. Extantq; hodie id genus indices passim adscripti, qui dierum anni prope omnium prandia, cœnas, fercula, & vt summatim dicam, esculentum & potulentũ omne, in singulos dies descriptum, continent. Vnde colligi possit, postremos ceu ad carnem & otium, & (vt Satyricus inquit) ad bacchanalia conuersos, inter præcipua habuisse & coluisse, quæ primi monachi sola naturæ necessitate contenti, admisere potius quam excoluere. Nam & vestitu quondã adeo neglecto fuere, vt exituri monasterio melioribus è vestiario allatis induerentur. Interulæ fiebant de pan-

no

no fusco, de nigro autem tunicæ, oblongæ quidem sed arctæ, cuculla superducta, quod antiquæ picturæ satis clare indicant, Cõstat autem aliquoties mutatum fuisse Benedictini sodalitii habitum. Et authores habeo, qui negãt Benedictum alio vnquã vestitu fuisse vsum, quam illo ipso, quo homines honesti ætate sua vterẽtur. Vestes enim illæ tam laxæ & sinuosæ posteriori ætate, sathiscente iã disciplina monastica, & hypocrisi glisscente, receptę sunt. Et nuper vsurpatũ, vt Abbates quidam opulentiores sericis atque etiam byssinis vterentur indusiis. Sed & barbam alere Caroli sæculo decorũ erat monachis, qui in vertice tamen rasi spectabantur. Raræ aũt sunt ex vetustis imaginibus monachorum, quæ barbam nõ præferant. Arbitror aũt vel disciplinæ seueritate, vel professionis cõditione factum esse, vt & criminosorũ latibula haud raro ipsa monasteria fuerint. Regibus etiam & Episcopis rasis & intrusis, qui vel mentis inopia, vel animi libidine facinus aliquod designassent, aut indigni essent iudicati, qui publicæ rerum administrationi præessent. Sic enim intrusi perinde atque in exilium relegati, aut in insulam deportati habebantur. Pipinus Caroli Magni filius ante Carolomannus dictus, quum aduersus patrem conspirationem iniisset, demum scelere detecto per iudicem attonsus & in monasterium detrusus est. Ad quem modum & Tassilo Baioariorum Princeps, regnante Carolo, in publico iudicio læsæ Maiestatis accusatus & conuictus, quum capitali sententia damnatus esset, Carolo demũ miserante, (frater enim consobrinus erat) vna cum filio Theodone detonsus in monasterium trusus est. Contra multum existimationis attulit cœnobiis antiquis, quod horum sese disciplinæ vel Reges ipsi, sæculi cura vltro abiecta, summiserunt: quod à Carolomanno Pipini fratre & Lothario Ludouici filio, factum esse legimus. Iam quibus de caussis acciderit, vt mediæ ætatis monachi Benedictum, pueros etiam vixdum infantiam egressos raserint, & vestierint, haud admodum constat, nisi putandum est tantum ceremoniæ illi monasticæ tributum fuisse, quantum hodie quidam votis suis tribuunt, dum consecraneis suis religione initiatis, nomina etiam imponunt diuersa ab his, quæ in baptismo Christi susceperant. Verisimile tamen ita rasos & vestitos fuisse, quo libentius propositum illud vitæ institutum susciperent, nec dissimiles essent incessu, quorum curæ & disciplinæ erant commissi. Obiter memorandum mihi Chunradi Imperatoris, hoc nomine primi, humanissimi Principis dictum, qui tempore quodam Italia relicta, per Rheticos Alpes ad monasterium S. Galli cum deflexisset, sisti sibi quodam die pueros istos iussit, manuque inserta in loculum ac velut bellaria expromens, labris singulorum aureos nummos immisit, quos cæteri quum digitus excerperent, vnus haud satis fidens Imperatori, addubitansque quid dedisset, & scabricie monetæ offensus, repente expuit nummum. quod ille videns; *Hic*, inquit, *si vixerit bonus monachus erit*: satis innuens, bonorum in numero non habere se, qui auri amore allicerentur. Per monasteria autem iuuenes, quemadmodum & senes, paulo indulgentius habebantur. Siquidem & illis laxiore victu opus erat, quo vires adolescerent; his lautiore, ne succumberent, qui prouectiore ætate erant, officia tum publica, tum priuata, tum etiam sacra vicissim obibant, tanta quidem sedulitate, vt vilia etiam & abiecta ordine quodam gererentur, & essent, qui culinariam vestiariamque præscripto numero dierum administrarent. Distincta autem erant officiorum nomina. Ac primum quidem *Cancellarii*, *Scribæ*, & *chartularii* dicti monachi, qui omne genus contractuum, aut donationum tabulas & chartas conficiebant, haud raro surrogatis substitutisque,

qui horum vicem gererent. Vnde illud eſt, quod in antiquis diplomatis ſæpe hæc & ſimilia verba leguntur: *Ego Inquirinus ad vicem Luituuardi Cancellarii ſcripſi & ſubſcripſi.* Item: *Ego itaque Notker ad vicem Winidharti monachi ſcripſi & ſubſcripſi.* Item: *Ego Purgolfus indignus monachus ad vicem Ruodini ſcripſi & ſubſcripſi*, &c. Non licebat enim paſſim & promiſcue ſcribere chartas; ſed certi & delegati muneris ea facultas erat, quam Abbates & Aduocati Regii ea ætate nō niſi monachis cōferebant. *Camerarius* dicebatur frater Oeconomus, qui penum curabat, condus ſcilicet & promus, vt ille ait, & procurator peni. poſteri etiam illum hoc nomine vocauere, qui Abbatis cubiculum procurat. *Sacratarium* aiebant, qui ſacrarium: *Cellarium*, qui cellā vinariam. *Hoſpitarium*, qui peregrinorum hoſpitiū curabat: qui bibliothecæ præfectus eſſet, *Bibliothecarius* vocabatur. *Lector* autem, qui fratribus vel diſcumbentibus quiddam ex ſacris prælegebat, vt antea diximus. Erant eo tempore & *Eccleſiaſtici Lectores*, qui officio ſuo non niſi in ſacris peragendis, veteri more, fungebātur. *Portarius* erat ex monachis, qui ad portā aſſidebat monaſterii. Nec enim omnibus nec obiter patebāt cœnobia, & arcebantur ingreſſu mulieres, niſi ſi quas benemerentes religionis cauſa veniſſe conſtitiſſet. Erant & qui vigilias agerent contra noctis incommoda, vſque adeo non tædebat operæ vllius aut oneris priuatim obeundi fratres illos, qui & illud inprimis, ne qua frequentia alienorum hominum, quantumuis induſtriorum, profeſſionis quietē inter-
1 turbaret, ſummopere curabant. Abbatum autem quanquā in re omni ſuprema & dignitas & poteſtas eſſet: tamen adeo ſibi non tribuebant, quin & Ad-
2 uocatis ſuis, quos multo in honore habebāt, & monachis, qui ordinariis functionibus præerant, non grauatim non conſilia modo omnia cōmunicarent, ſed vicem etiam adminiſtrationis committerent, ſi quibuſlibet de cauſis abeſſe monaſterio fuiſſent coacti. Erant ex monachis *Præpoſiti* dicti & *Decani*, q
3 & ipſi rei monaſticæ curam gerebant. Perinde enim atque in veteri militia, præfecti erant & Cēturiones & Tribuni, & Decani, præſides ſcilicet exactiſſimæ diſciplinæ, ita & illis genus illud vitæ monaſticum, quia ſpecimen quoddam militiæ Chriſtianæ de ſe exhiberet, ceu tranſlatis diligentiæ vi-
4 gilantiæq; nominibus inſignire libuit. Quæ res ſane vel primis & recēter natis monachis arriſit. D. enim Hieronymus de monachis Ægypti ad Euſtoch.
5 ſcribens, *Diuiſi*, inquit, *ſunt per decurias atq; centurias, ita vt nouem hominibus Decimus præſit, & rurſus decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat*, &c. Vnde intelligimus non decimos modo ſeu Decanos, ſed centeſimos etiam ſiue cēturiones, ab illis præpoſitos dictos fuiſſe. Durāt adhuc in cœnobiis (vt etiam in caſtris quibuſdam) nomina, nec ſine fœnore: (noua enim multa & ignota veteribus acceſſere) quum interim diſciplinæ non parum multa ſint detracta, nec habēt hodie plures Decanos vel frequentiſſima ſodalitia, præter vnum: & multa ſunt monaſteria, quæ præpoſitis ſuis carent, quos olim tamen celebres ha-
6 buere: trāſlato interim in illos nomine, qui vel villis vel humilioribus eccleſiis impoſiti, ſolis prope reditibus & prouentibus, reiecta animarum cura,
7 rationem habent, alicubi & *Vicarii* & *Locumtenentes* dicti, qui & in oppidis re-
8 ſident, & daniſtas quoſdam, ſiue malumus publicanos, reditibus cenſibusq; cogendis referunt. Tantum enim hodiernis monachis duntaxat veterū cœnobiorum in diuitiis ſuis negotii & laboris eſt, vt operæ quantumuis prophanæ aptiſſimos quosque præſciant, iuratæ interim profeſſionis autoramento intermiſſo, nec niſi inertioribus ad cultum illum monaſticum adhibitis, cuius tamen prætextu omnia ſua, ceu iure debita, tuentur & propugnant. Habent enim diplomata Imperatorum, habent breuia Pontificum, quibus ſane velut exultantes, hoc plus tribuunt, in terrā videlicet proni, quo minus ſcri-

ptura

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [64] - 32
PUBLIC DOMAIN

pturæ præceptis, patrumq; iactatis cõstitutionibus obsequuntur. Ad operas aũt vt reuertamur, prope notius est, quã vt relatu opus sit, multis in monasteriis, præter opifices vulgares, & librarios & pictores, sculptoresq;, quos Græci *Anaglyptas* vocant, extitisse. Fuere autem qui medicinam & herbariam profiterentur, tanta facilitate, vt externos etiam & peregre profectos ad curationem admitterent. Adeo nihil illis vacuum aut neglectum transmittebatur ad operam quamcunq; honestam, modo & sua professione dignam, paratis. 1
Nec caruerunt aũt & laicis Presbyteris monasteria, præsertim frequentiora, 2
qui Præpositum agnoscebant, ad certam & ipsi normam vitæ, sed monachismo tamen laxiorem, adstricti, nec nisi contigui monasteriis, Præposito ipso fere seorsim habitãte. Horum munus erat, plebis curam gerere, infirmos inuisere, solari, pascere, sacramenta poscentibus administrare, sacræ lectioni incumbere, sacris cum priuatis tum publicis interesse, cui prope vnicæ & soli functioni ab initio fuerunt, cõsecrati. Parebant & Episcopo paulo amplius quam monachi, nimirum Dominicæ functionis ministri. Verum eam molestiam cœnobitæ postea delicatiores facti, & ad sæculum à Christo conuersi, abiecerunt, plebe demum adhortata impetrataq;, ut seorsim & magnis quidem expensis ecclesiæ exstruerentur: in quas (quod plurib. in locis factũ est) ius illud Euangelicũ, quod *Parrochiale* vocant, translatũ est. Monasteriũ Sangallense insignẽ quondam Præposituram habuit, verum reditibus postea, incertũ quibus de causis, in cœnobium cõtractis abrogata est, quod & in externis aliquot præposituris accidit, nempe illa, quę ad ædem S. Alexandri fuit in Ahadorff Durgauiorum, & via, quæ proxima iubut bio nostro in æde D. Leonardi eximiis reditibus fuerat instituta; qui ferme omnes collegio subuerso in monasterium sunt translati. quod ipsum & sacerdotiis nonnullis priuatim institutis accidit. Extant quidẽ & hodie in monasterio pauci ciuium nostrorum liberalitate magna ex parte donati & instituti, qui instar Canonicorum suparis pelliceis hæteromallis perq; interualla caudatis induuntur, haud aliis fere q̃ priuatis supplicationibus, sacrificiisque intenti, sed & ad famulitium obsequiumque Abbatum sacra peragentium astricti. Illud quoque non omittendum, & laica collegia multis olim monasteriis coniuncta fuisse, nec 3
sine regula, quæ nihil tamen præter obsequium & famulatum cum certo quodam precularum numero exigebat. Mirum autem mihi sæpe visum est cogitanti, quomodo acciderit, vt vel ipsa Caroli ætate, votorum superstitioni vsque adeo tributum fuerit, vt semel ingressis egredi iterum & desererе institutum non liceret. Summouebantur quidem ex cœnobiis etiam inuiti, qui nec admoniti, nec correcti resipuissent: nuperque ingressi vestes recipiebant. At si quis voto solemniter constabilito renuntiasset, vt apostata & desertor habebatur. Tondere & velare minorennes parentibus inuitis non licebat. Si quis totondisset pœna erat banni Dominici, qui sexaginta solidorum summa æstimabatur. *Solidus* vulgaris duodecim denarios valebat: maior erat pœnalis ille, quem Francicæ leges quadraginta denariis supputatum æ- 6
stimarunt, vt si quis (exempli gratia) fœminam grauidam occidisset, pœna duorum millium & octingentorum solidorum mulctabatur: lege Salica talem summam in septingentos solidos supputante, quod dum fiebat, denarii quadraginta singulis solidis tribuebantur. Sic enim habet lex Salica: *Si quis fœminam grauidam occiderit, duorum millium octingentorum denariorum, qui faciunt solidos septingentos, culpabilis iudicetur.* Item: *Si quis puellam ingenuam, infra annos antequam infantes possit habere, occiderit, octingentorum denariorum, qui faciunt solidos ducentos culpabilis iudicetur.* Et enim plurima capita videre est in lege Salica, quæ solidum ista ratione supputant.

Paupe-

Pauperibus autem & peregrinis vetusta cœnobia, tanta liberalitate prouidebant, vt re ipsa non tam monasteria quam xenodochia viderentur: siquidem proxima cœnobiis, & iisdem sæpe conceptis inclusa pauperum erant hospitia, quæ *Hospitalia* appellabant, quale & Sangalli quondam Hospitale S. Othmari proxime ædem sacram, cuius nomen etiamnum durat, cum nihil tamen duret veteris moris, sed illud teneant fraterculi aliquot laici ceremoniarii, ad famulatum monachorum astricti, quorum reditus longe sunt tenuiores, quam illorum antea fuerant, qui pauperibus alendis consultum prouisumque esse cupiebant. Erant enim monachi, qui ad pedes ægrotorum vltro sese dimittebant, Christum recipere se hospitio arbitrati, quum egenum suscepissent. Hærebat animis illud Christi: *Pauperes semper habebitis, me autem non habebitis.* Quod igitur Domino non poterant carne ipsa in cœlum receptо, hoc afflictis infirmisq; officii impendebant, qui quidem non ex agro modo vicino, sed longinquis etiam à locis, religionis ergo venissent. Et tanta animi propensione eam curam susceptam à multis legimus, vt nec à leprosis quidem adeo abhorruerint, quin benignissime & exceperint & tractarint. Vtinam autem eo amore in pauperes essent monachi hodierni tam opulenti, quo maiores ipsorum fuerunt. Durat quidem multis in cœnobiis pinguioribus minime vulgaris hospitalitas, sed quę parum egentibus, ac non raro vel indignis impertitur, quum eorum interea, qui vere sunt pauperes, postrema ratio habeatur, exutis alicubi & spoliatis egenis, qui indiu tamen in Christi nomine & eleemosyna donari debuissent. Olim ad Abbatis mensam peregrini vocabantur honestiores, qui vel casu aliquo, vel causa religionis aduentassent: hodie largis epulis excipiuntur, qui bene meruisse, vel bene meriturі iudicantur, & fauore non iudicio res agitur. Religionis enim seueritatem, non assentatione modo leui, sed etiam dissimulatione & palpatione, ab illis qui eam profitentur, contaminatam esse videmus, omnium animis eum ad modum affectis, vt rebus præsentibus, quo iure quave iniuria partis conquisitisque longe magis quam aut religioni aut pietati consultum esse cupiant.

FRANCI veteres tanti disciplinam maiorum exemplis confirmatam æstimarunt, vt quoties visum esset, ad monasteria & collegia graues aliquot & pios viros perquisitum mitterent, rectène an secus clerici & monachi præstarent quod Episcopi illis & Abbates iniunxissent. Ea de re *missi Dominici* illis sæculis, præterea Regum & Imperatorũ legati dicti sunt, quibus hoc muneris delegatum fuisset. Atque horum quidem sententia velut censura notabantur, qui licentius vel à Canonum vel Regulæ præscripto exorbitassent. Licebat autem & aliorum ordinũ dicta factaq; cognoscere, & ad Principem referre, si quid in leges & instituta vel à Duce vel Comite, vel Episcopo vel Abbate commissum fuisset. Regia diplomata ea tum dignitate & honore habebantur, vt qui contrairet, aut contemptim haberet, si publico officio præditus esset, eo priuaretur; si homo priuatus, expensis legationis damnaretur, si seruus ad palam (Ludouico Pio decernente) nudus vapularet & tonderetur. Mittebantur autem fere Comites, Episcopi, Abbates, qui doctrina, prudentiaq; & integritate, vt tunc habebant tempora, præcellebant. Verum & hic mos vel probatissimus breui post tempore ita refrixit & elanguit, vt quum antea nulli prope parti pietatis retinendæ maiori cura inuigilatum esset, ter quaterve missis in anno, qui de collegiorum disciplina cognoscerent, demum Principes cessatione, an disciplinæ tam vmbratilis ac prope desperatæ fastidio grauati vix singulos ac sordidos quidem illos & ignobiles mitterent. Auditum est quidem postea *Inquisitorum* nomen; sed Hæreticæ tantum

tum prauitati obiectum, nec nisi monachis, atq; his quidem Mendicantibus delegatum, qui necdum vllum offenderunt suis in cœnobiis, qui criminis illius reus exstiterit. Illud cõstat post Carolum & Ludouicum F. raro vnquam æquis animis admissos à monachis fuisse, qui cœnobia eorum ingressi de disciplina rationem exigerent, & corrumpi se pecunia passi sunt legati primum Regii, postea Pontificii, ne in monachos suo more victitantes inquirerent. Ad hæc in literas relatum est, tempore Otthonis primi, monasticæ disciplinæ reformatæ adeo impatientes fuisse monachos quosdam Germaniæ, vt non solum iugum illud vetus & monachis dignum ferre recusarint, sed mutatis etiam vestibus è monasteriis aufugerint. Atque hic rursum de Francorum diligentia referendum, quanquam id supra ex parte fecimus, qui amplissimum Regnum suum Ducum maxime & Comitum opera moderabantur, qui in illa quidem ætate non suam ceu propriam, sed publicam regni ditionem administrabant. Perinde enim vt apud Romanos, Proconsules, Præsides, Quæstores, Procuratores, ita in Francorum regno Duces, Comites, & qui Cameræ nuncii dicebantur, alienæ potestatis functionem gerebant. *Duces* rei maxime militari intenti erant, quod è Germanico ipsorum homine hodie quoque durante discimus. Herzog enim exercitus Ducem significat. *Comites* autem & eis inferiores *Centenarii* & ipsi vicarii Principis iustitiæ administrandæ vindicandisque criminibus & publicæ tranquillitatis retinendæ, tanquam præsides agebant. *Cameræ nuncii* per Franciam & Alemanniam rediuum Regiorum & fiscalis pecuniæ rationem exigebant. Missi ipsi quater in anno causis cognoscendis præsidebant. Hyeme quidem in mense Ianuario, vere in Aprili, æstate in Iunio, autumno in Octobri. Quorum omniũ hodie certa vestigia exstant in iudicio illo publico apud Rotvvilam, cui fere Comes præsidet, sed finibus tamen iurisditionis latius, quàm veteri pro more, prorogatis. Pauciorem enim in numerum contractis veteribus cognitionibus, limites conuentuum proferri fuit necesse, quum paucis iam in locis ageretur, quod pluribus antea fuisset actum. Sed & imperiale illud, quod *Camera* vocant, inde retentum est, quod & ipsum Præsidem habet Comitem aliquem insigniorẽ, qui vel Cęsaris vel Imperatoris vicem administrat. Quin & publico hodie sumptu, vt olim ea iurisditio peragitur, appellationibus ordinum imperii præterea decretis, mandatisq; Imperatoriis exequendis præcipue institutum. Quorum haud admodũm dissimilia iudicia sunt hodiernæ Franciæ, quæ diuersis in partibus regni cõstituta *Parlamenta* vocant. Ad Missos autem prouocare aduersum Comitum vel negligentiam vel illatam iniuriam, etiam plebi licebat, actione hinc data cõcessaq;, qui se neglectum fraudatumve, aut iniquius à Comite tractatum quereretur. Quin & munere suo & ipsa officii dignitate sæpe priuabantur Comites, quemadmodum & Episcopi & Abbates haud raro & capite plexi, si quid atrocius superbiusve commissum fuisset. Fuit enim tempus regnantibus Francis, quo nec Duces, nec Comites Germaniæ sui iuris essent, quod quidem Pipini & Caroli frequentes victoriæ effecerant, Germanicis gentibus passim ad vsq; Sarmatiam & secundam Pannoniam deuictis & subiugatis. Verum vt diu nõ durant coacta & violenta obsequia, ita veteri libertati, simul atque res Francicæ collapsæ sunt, Germani sunt restituti. Quanquam autem Francorum vel animositate vel liberalitate est factum, vt quæ vi aut iniuria priuati homines admisissent, leui fere pœna vindicata sint, tamen secus cum Clericis & monachis actum fuisse, ex horum temporum synodis palam intelligitur. Hæc enim ordinem illum hoc maiori disciplina coercebant, quo magis noxia esse exempla videbantur, quæ inde in populum demanassent: quum hodie rebus

omni-

omnibus tantopere mutatis ac prope deploratis, multis in locis Magistratus nō ferat, quod Episcopi & Abbates in suis impune ferunt & indulgent. Contra autem vt impia & hæretica damnent, quæ non possunt citra iacturam Apostolicæ doctrinæ damnari & reiici. Intollerabiles erant Francis Presbyteri adulteri aut fornicarii, Lexq; illa Pipino regnante lata in omnium ore erat: *Nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicarius, ad sacrum ministerium admittitor.* Quare & concilia scortatorem Presbyterum flagellatum carceri adiudicabant: Clericum autem aut monachum ter verberatum coniiciebant in vincula: Nonnas impudicas pœna eadem reposcebat, sed rasas tamen toto capite. Erat enim & tonsio infamiæ nota non in Nonnis modo, sed in seruis etiam & liberis sceleratis & vecordibus, qui tonsi in monasterium detrudebantur. Fœdissimum autem habebatur, si Præsides commisissent, quod in subditis dignum pœna iudicassent. Nullum enim vnquam labefactatæ pietatis Christianæ præsentius venenum, nullam pestem magis noxiam experta est Ecclesia Christi, quam horum vita & mores attulerunt, qui aliis quum præessent, Pharisaica iustitia inflati docuere, & non fecere, iussere, & non præstitere, denique impune commiserunt, quod vt turpe & probrosum in aliis damnassent. Quo malo hodie vsque adeo infectum videmus Ecclesiæ statum, vt neque Præsides amplius errorum pudeat, & populus assuetudine quadam induratus, ipso propemodum sensu malorum careat: Principes autem sic in quorundam studia & conatus inclinent, vt videri profecto possint, nihil magis tueri & asserere velle, quam vitam Christi nomine fucatam, quæ longe maxime tamen à Christi doctrina, & veterum Ecclesiarum moribus ceu in Lærnam quandam (vt dicitur) malorum degenerauit, & verbis hodie quidam religionem tuentur, reipsa oppugnant & subuertunt, ac in plurimis eximiam quandam religionem professis verba audimus, & cernimus fucum, facta ipsa, opera & studia certissima animorum indicia non videmus.

Caroli ætate sanctimonialem sollicitasse, abduxisse, stuprasse, capitale erat. Neque id mirum, quum Ethnici Romani Vestales suas stuprum passas supplicio afficerent. Nunc impune monachæ à monachis vitiantur, & in partem gloriæ trahitur de clarissimis familiis prognatas stuprasse. Tantum hodie licentiæ videlicet voto castitatis permittitur, sed in totum mihi rei videntur miseriæ omnis Pontifices illi, nescio quam Felices, qui rerum suarum successu elati, tantum iudicii sibi arrogare veriti non sint, quin diuino consilio non dico reiecto, sed reipsa damnato, legibusq; à se inuentis tam impiis quam impossibilibus, infirmam illam naturæ & longe omnium delicatissimam partem ita grauandam esse duxerint, vt VOTO semel concepto & nuncupato, castitatem ceu suam in manum positam longe maximo animorum casu, imperandam esse sanxerint, & legis humanæ tyrannide grauarint tot modis afflictas conscientias, quas solari tamen & in lege Domini edoceri confirmariq; oportebat. Supra enim dictum CONTINENTIAM nō hominis esse, vt quam libertati voluntatis suæ tribuere queat acceptam, sed solius Dei nostri donum esse. Huius enim solius est à communi illa lege gignendi & crescendi eximere, quam artubus nostris prima illa mundi constitutione inseruit. Proinde & Christus æternum verbum, in quo & per quod omnia facta sunt, de cœlibatu custodiendo Apostolis respondens: *Non omnes*, inquit, *capaces sunt huius dicti, sed hi, quibus est datum*, &c. Potest enim vel morbo vel arte constare castitas, næ vt non possis etiamsi vratis, sed violenta hęc est. Sanis enim & integris corporibus non obtingit, quin ex primæua illa lege, *Crescite & multiplicamini*, &c. ardeant & concupiscant, nisi Domini gratia naturæ

turæ ardorem consopiat. Nemo potest naturam mutare sua voluntate, imo ne pilum quidem vnum aliter tingere, quàm à natura tinctus est. *Naturam mutat solus ille, qui naturam creauit*, sicut in epistola quadam ad Irenæum scripsit Ambrosius. Quod ipsum & Gregorium cuperem vidisse & ipsum (si modo regulam illam conscripsit) Benedictum. Nam vt non flagret aliquo tempore sexus humani fragilitas, seu (vt Apostolus loquitur) non vratur, non vtique natura fit sed priuilegio. Friuolum enim est, quod quidem obganniunt, in hoc videlicet sitam esse contentionis gloriam, quod omnibus campus ille luctandi & pugnandi cum carne & concupiscentia late pateat. Ita enim docent, qui suis velis nauigant, suisque viribus ceu panoplia quadam armati, solis sibi per tot æstuantis pelagi fluctus & procellas integro dum corpore eluctantibus, lauream nescio quam castitatis virginitatisque attribuunt, velut longe melius sit vri, titillari, tabescere, deperire, & dissolui libidine, quàm carnis incentiuo illo naturali laborantis fragilitatem, pronitatem & miseriam non agnoscere, nec mederi & curare pergere, quæ væsania multis sæculis nocuit, adeo obstinatis hominum mentibus (quod humanæ persuasioni acceptum fecimus) vt enatis inde erroribus non ferendis nemo iudicium admouerit, omnes communem miseriam tot vitiis, probris, criminibus pollutam & interspersam susque deque tulerint & transmiserint, cum ex aduerso tamen Apostolus clamet & doceat, satius esse sic vexatos & afflictos contrahere matrimonium, quàm vri & agitari, non nescius quàm inquieta sint mente & conscientia, qui vinculis humanarum sanctionum detenti, æstu illo tam vehementi percelluntur. Neque vero pugnam eam fugimus, quam contra carnem & Satanam in baptismo sumus professi, sed negamus castitatem humani consilii aut arbitrii esse, & asserimus matrimonii remedio succurrendum esse carni, quæ dono illo destituitur. Carnis interim nomine non illam intelligentes quæ spiritui aduersatur, & cum lege Domini bellum gerit, sed illam etiam, qua primi parentes induti sunt, cuique nondum præuaricatæ vim gignendi cum euidenti sexus discrimine indidit, quando inter cætera in Paradyso locatis dixit: *Crescite & multiplicamini*, &c. *At vero virginitas* (inquit Hieronymus) *prior fuit matrimonio & Paradyso fruita est.* Fateor: sed in Paradyso tamen coniugium non institutum modo, sed & laudatum est, cum laudatam virginitatem non legamus, nec vllo loco scriptura doceat, virginitatem matrimonio prærogatiua seu merito, quod illi fingunt, vllo modo præferri, sicut nec viduitati, nec cœlibatui quicquam tribui, quod matrimonio non tribuatur, vnica illa vacatione excepta, qua qui virgines aut viduæ, aut cœlibes sunt, hoc liberius quæ Domini sunt, curare possunt, quo minus vxoriæ rei molestia detinentur. Videat autem Hieronymus ipse, quàm probe senserit, dum castitati sic tribuit, & secundas nuptias adeo eleuat: cum Apostolus contra dicat, & doceat, satius esse copulari, quàm vri, nec admittat viduas in Ecclesiæ ministerium nisi sexagenarias. Iuniores autem non continere, sed nubere iubeat. Solis Ethnicis secundæ nuptiæ displicuere, & est author Seruius, antiquos à sacris coercuisse bis nuptos, & Valerius Antoniam laudat, quæ Bruto mortuo vidua permanserit. Dido quoque apud Maronem secundas nuptias culpam vocat, & pudorem violari illis putat, quod & soror eius fatetur, dum ad nuptias illam adhortans, inquit; *Tu modo posce Deos veniam*, &c. sed nihil tale in scripturis legimus, quinimo nõ esse bonum, vt homo sit solus, quod ipsum si ab artifice illo vniuersæ creaturæ dictum non fuisset: tamen ex ipso corporis habitu & forma, marisque & fœminæ natura & cõditione intelligi posset ad coniugium & fecunditatem factos eos & creatos fuisse. Iam cum Theologi

affirment, & ipsa scriptura satis testetur, non cõiugio, quod sanctũ & immaculatum est, sed præuaricatione amissas esse Paradysi delicias: adhæc gignendæ prolis vim & benedictionem vel ipso in Paradyso duraturam fuisse videre profecto Hieronymus potuisset non tam virginitatis tantopere à se laudatæ quàm matrimonii à Deo instituti capacem fuisse Paradysum, modo in fide & obedientia duratum fuisset. Benedictio enim est Domini, quod ad gignendum proni sumus, quamuis non sim nescius, vt alia multa ita & hanc à Deo nobis inditam affectionem non parum præuaricatione vitiatam esse. Accessit enim huic iniquissima rerum æstimatrix CONCVPISCENTIA, quæ quoniam cum lege Domini pugnat, procul dubio mala est. Verum quicquid in hoc vitii & infirmitatis existit, in credentibus per spiritum reconciliationis & fidei emendatur. In illo enim & proles in peccato conceptæ sanctificantur, & eluitur baptismo culpa originalis, quam primo de parente contraximus, *non quidem vt non sit* (vt ille ait) *sed ne noceat*. Quando igitur Christus & Apostolus Christi Paulus diserte admonent, non nisi matrimonio ardori & inquietudini illorum subueniri posse, qui donum castitatis non habent, patere arbitror non vno nomine errare & peccare, qui legibus suis miseras conscientias captiuas retinent, viamque intercludunt liberrati Christi, non paulo æquius ferentes, si scortentur Nonnæ, Monachi, Presbyteri, & virgentem Venerem per nephas satient, quàm vt nubant, & matrimonio immaculato sese Domino dedicent. Quum constet tamen solius matrimonii honestum esse cubile, reliquam Venerem omnem vt execrabilem damnatam. Fa-
2 cessant igitur pugnæ & luctæ illorum, qui ad coniugii molestiam arcendam armis tam fœdis & spurcis velitantur: facessant remedia pollutionum tot libris prodita, indignis quos vel pudici legant, vel verecundi audiant: facessat Francisca illa Romana, quam miror laudari à Volaterrano potuisse, quæ Veneris incentiuam ardenti larido verendis admoto repressérit. Quasi vero vri maluerit quàm nubere. Hæc autem omnia non diximus, veluti paruo castitatem æstimemus, quàm & nos summè extollimus, & etiam omnibus commendamus eius præstantiam, modo vera castitas à Domino donata sit. Hanc solam damnamus, quæ coacta cum sit, castitas esse nequit, quæ ve summa in spurcitie sese ostentat & venditat.

Sed ad monasteria reuertendum nobis: quæ & ipsa Franci quemadmodum & collegia quædam asyla esse voluerunt, hoc est sacra & inuiolata, vt nec rapi inde quisquam nec extrahi aut vi vlla peti sine graui pœna posset.
2 Mulctabantur enim fere sexcentis solidis, qui *immunitatem* (sic tum asylum vocabant) violasset, hoc est pœna banni Dominici seu Regii. Et in lege Ale-
3 mannorum de liberis seruisve ad Ecclesiam fugientibus hæc verba leguntur: *Si autem vi abstraxerit, & iniuriam Ecclesiæ fecerit, decem & octo solides ad Ecclesiam componat, & fredum soluat in fiscum sexaginta solides, quia contra legem fecit, & Ecclesiis honorem non impendit, & Dei reuerentiam non habuit, & ut alii cognoscant, quod sit timor in Christianis, & honorem Ecclesiis impendant.* Hactenus legis verba retulimus illo haud dubie scripta tempore, quo plurimi Alemannorum fidẽ Christianam nondum receperant. *Fredum* autem (vt obiter notemus) vocabant Franci pœnam fisco, id est Magistratui, debitam ob vim iniuriamve illatam & violatam legem, quam maiores nostri mutata voce *Fred.l* dicebant, nunc corruptius vulgo Freuel nominant. Er muß den Freuel/ das ist die Buß/ oder die Straff/ oder den Frieden zalen. *Fredum* ergo pacem legibus sanctã & constabilitatã vocarunt, quæ & *publica Pax* dicebatur, non priuatis & pactis, vt hodie fere, sed publicè, vt in gente bellicosa & fera, indicta hodieq; per Germaniam fit, vulgo ein gemein Fried/ Landefried/ Friedstand/ pacẽ cõtra vim

& iniuriam indictam vocamus. In asylo autem Episcopum, Presbyterum, Abbatem, aut Monachum trucidasse multis in locis capitale erat: cum de id genus tamen homicidiis alibi perpetratis, pœna pecuniaria transigeretur. 1
Ludouicus Pius in illos, qui Presbyterum sacra in æde cum fuste sanguinolentum fecisset, grauem pœnã statuit, cuius vna pars Ecclesiæ, duæ Presbytero, qui pulsatus esset, dabantur. Erat autem & de Diaconis & Subdiaconis, adhæc & Abbatibus & Monachis cautum, neque adeo legis vtcunque vindicata seueritas proficiebat, quin in gente illa (vt verum fatear) animosa & vltoria subinde Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Abbates & Monachi trucidarentur. Qui Episcopum occidisset, nongentis solidis: qui 2
Presbyterum, sexcentis: qui Diaconum, quadringentis: qui Subdiaconum, trecentis: qui Monachum, quadringentis transigebant. Vetustissimis sane & ab Ethnicis etiam exstructis templis hoc honoris habitum est, vt extrahi inde quemquam aut vi rapi, nisi grandi aliqua causa, non liceret. Quod postea & Franci in Deo dicatis locis magna cura obseruarunt: tametsi homines palam criminosi & scelerati asyliæ iure non gauderent, ac eorum quidem numero habebantur, qui iureiurando aduersum Principem aut Magistratum conspirassent. Licebat autem Comiti in vincula reposcere criminosos, qui ad collegia monasteriaue confugissent, triginta solidorum pœna in eos decreta, qui postulatos confestim non reddidissent. Quod si elapsi fuissent, iuramento se Præsides purgabant, quod nihil esset dolo malo commissum. Si collecta manu Comiti perquirenti repugnatum fuisset, pœna erat sexcentorum solidorum. Merum enim imperium penes Comites erat. Hodie *immunitatem* vocant libertatem illam asyliæ veterum Regum diplomatis 4
cõfirmatam. Vnde illa postmodum Pontificum suggestione immunitas enata est, quæ magno quidem horum ordinum commodo, sed pessimo tamen exemplo, sacrificos & monachos nõ asylos modo & tutos reddidit, sed omni prorsus onere tributorum exemit, vt ne in vrbibus quidem positi quicquam 5
ferant ciuilium exactionum, nec populi cura aut studio vlla in parte tangantur. Numerant quidem Regibus sæpe, nonnunquam & Papæ, sed inuiti fere, nec nisi maioris damni metu: tanta illis suarum rerum cura est: cum interim de publica multorum salute & cõmoditate ne somniare quidem, nedum solliciti esse videantur. Neque vero nos præterit antiquorum Regum benefi- 6
centia, quæ etiam hac in parte Collegiorum & Monasteriorum quieti & tranquillitati consuluit: sed monendos tamen duximus Principes & Magistratus ætatis nostræ, meminisse velint, immunitatem & libertatem, quam illi fundatoribus suis acceptam ferunt, non nisi doctrinæ, virtuti, moribus, disciplinæque & religioni concessam fuisse. Has enim dotes animorum dignas duxere publica immunitate Imperatores antiqui. Nihil auaritiæ, nihil ambitioni, longe minus quicquam otio, luxui, superstitioni aut tyrannidi concessum est: nisi verisimile iudicamus adeo vecordes fuisse primos illos Collegiorum & Monasteriorum authores, vt in illo tam sumptuoso promouendæ pietatis negotio pestem ipsam, puta opes, luxum, otium, dominationem, adeo vel admittẽdas vel retinendas esse putarint, vt immunitate etiam & asyliæ iure munierint. Quis vnquam tam insanus aut furiosus fuit, qui horum insaniæ & furori cõferre possit; qui his modis pietatem professi bellum simul exitiale contra pietatem instituissent; & pestes illas religionis pro defendenda demum religione muniissent? Inuolutæ quidem iam tum erroribus non paucis fuerunt res monasticæ; sed pauci eos sensere, aut certe nemo erat, qui magnopere impugnare fuerit ausus. Proinde videndum, num vitæ sanctimonia & abstinentia tales hodie sint quidam, qui aui-

tam illam libertatem & asylíam tantopere iactant & prætexunt, quales fuerunt, quorum otio negotioso, haud omnino absre, cum eximia quadam benignitate Regum consultum est: videndum, inquam, si virtutem auitam, an vero magis pestem auitæ virtuti & religioni aduersam retineant & amplexentur: videndum, si reipsa profiteantur, quod nomine habituque & ceremoniis fucant & simulant. Vt enim merito ridentur Nobiles quidam male feriati, qui maiorum stemmata & præclarè res gestas subinde extollunt & prædicant, ne micam quidem interim virtutis suorum referentes, ita sane indigni mihi fauore nedum authoritate aut dignitate videntur, qui religionem professi, maiorum suorum disciplinam, abstinentiam, & pietatem iactant & commendant, & festa etiam celebrant, nec præstant tamen vlla parte vel disciplinam vel abstinentiam, vel pietatem, qualem maiores sui sunt professi: & interim tamen (si Diis placet) ea gaudent immunitate, qua gauisi sunt, à quorum institutis & disciplina recesserunt. Quasi vero pari militiæ iure gaudeat miles legitimus, desertorque & transfuga, hisque vt illi iure militari vti liceat, quos tamen vsque adeo leges militares non agnoscunt, vt supplicium etiam & capitis quidem in eos statuant. Quanto magis non gaudebunt veteri immunitate, qui veterum morum nihil habent, quod reipsa iustis arbitris exhibeant. Sed recentia diplomata obiiciunt? Agnosco quidem illa, sed de iure (vt nostri aiunt) non de facto sentio. Quare non immunitas modo illa, quam Græci ἀσυλίαν vocarunt, sed alia quoque dona, & munera, quæ vnquam Collegiis & Monasteriis Principum, Nobilium, populi plebisve liberalitate & beneficentia obtigerunt, soli atque vni pietati & religioni donata & dicata sunt. Nemo hoc animo quicquam donauit, vt vitia cum errore coniuncta foueret, omnes virtuti, omnes pietati, omnes disciplinæ consultum esse cupierunt. Est quidem & animarum salus his mediis (publica illa meritorum persuasione obtinente) credita & quæsita: verum & hoc religioni nostræ tribuebatur, vt qui ea gratia donassent sua & obtulissent Cœnobiis & Ecclesiis, de summa meritorum in se transferenda nihil dubitarint. Vsui igitur non abusui donatum expensumque fuit ad hunc vsque diem, quicquid vnquam sacris peragendis & exercendæ religioni est impensum. Quis igitur horum sentẽtiam vt sanam aut fauore dignam recipiat, qui errorem cognitum & deprehensum tueri malunt, quàm abolere, & rerum commutatione diluere? Vt obiter horum refutemus insciciam, qui opinione & simplicitate patrum nostrorum commoti parum æquo animo ferunt, si ad vsum hodie non pietate modo, sed charitate nitentem, hoc est legitimum & Christianum transferamus, quæ ab illis errore certo, sed innoxio tamen id genus ritibus & sacris peragendis sunt legata, quæ non manifeste modo, sed infrugifero etiam abusu peraguntur.

Iam & hoc Collegiorum & Monasteriorum Germanicorum dignitati est datum, quod argenti signandi facultas illis quondam cõcessa est, nõ alia magis causa, quæ quidem explorata existat, quàm quod earum rerum, quæ singularem fidem & synceritatem requirunt, cura tuto illis delegari videbatur, quibus summa ipsa pietatis & integritatis omniũ consensu & opinione concredita fuisset. Lex iubebat monetã excudi licere vel in curia Principis vel illis in locis, quibus id muneris à Principe cõcessum esset. Vnde hodieq; maxime per Heluetiã, quæ magna quondã Alemanniæ pars erat, antiqui nummi cernuntur Præsulũ & Abbatũ atq; etiam Abbatissarũ imaginẽ præferentes, quos *Augustos* vocauere maiores, quia Augustorum nomine, indepta inde facultate, signarentur, & nomina etiam veteri more altrinsecũs exstantibus literis

teris multi nummi indicant. *Anguſti* vocati poſtea à noſtris, u, litera in n. conuerſa, vulgo Angſter/qui rectius Augſter/id eſt Auguſti dicerentur. Et vidimus nummos argenteos facie muliebri non ita pridem proxime Salodurum repertos, duabusque literis altrinſecus & ex aduerſo quidem notatis B. & A. quæ *Bertradam Auguſtam*, niſi fallor, innuebant. Fuit enim Bertrada, vt eſt notum, Caroli Magni mater, quæ quanquam ante indeptum à Carolo imperium ex humanis exceſſit, tamen hoc honoris ei amantiſſimus filius etiam mortuæ tribuiſſe videtur, vt memoriam eius Auguſto nomine conſecrarit, vt taceam quod ab aliis eſt proditum, Salodurenſem Eccleſiam Bertradæ liberalitate eximiè donatam fuiſſe. Nec ignorant, qui temporum illorum hiſtoriam tenent, *Auguſtorum* cognomentum, ſolemne vel primis Imperatoribus, eo tempore ad Francos tranſlatum fuiſſe, quo iiſdem imperij nomine, reiectis Orientis Monarchis, oblatum eſt, ac deinde à noſtris in hunc vſque diem retentum; ſed illo quidem abuſu, quod cum veteres, quorum electionem Senatus probaſſet, imperium ingreſſi Auguſti ſalutarentur, noſtris non niſi ab Vrbis Pontifice delibutis, quidam *Auguſti* cognomentum permittant. Ergo & Franci Auguſtorum nomine non in nummis ſolum, ſed etiam in ſigillis ſuis oſtentarunt. Ac nummi quidem per Alemanniam excuſi, altera tantum parte monetam præferebant, altera vacui, id quod hodie in illis fit, quos vulgo denarios, Heluetii alicubi *Anguſtos* littera 1
inuerſa, vt dixi, cognominant. Qui in curia ſignabantur, effigiem Principis gerebant, nonnullis ita excuſis, vt & imago oliuæ ramuſculis altrinſecus ſurgentibus ornaretur: quod in ſigillo Caroli Iunioris, qui & Craſſus cognominatus eſt, obſeruauimus. Sed & aquila inſigniti apud nos paſſim reperiuntur. Et magno quidem numero illi, qui à Collegiis & Monaſteriis ſunt excuſi. Id genus officinas monetales habuere in Alemannia primum Monaſterium S. Leodegarii, quod apud Lucernam vetuſtiſſimum exſtitit, poſtea Monachiſmo abrogato in Collegium Canonicorum commutatum eſt: item Monaſterium Virginum, quod Thuregi fuit (ſic tum Tigurum vocabant.) Præterea Monaſterium S. Galli, cuius nummi agnum vexilliferum, hoc eſt, Paſchalem, præferebat. Quam monetam maiores noſtri poſtea prope pari effigie ſignarunt: quod abunde docent ferramenta excuſoria, quæ in archiuo Senatus etiamnum cum aliis formis antiquis viſuntur. Sed agno poſtea ſucceſſit vrſus, ſæuum quidem & militaribus ſignis dignum animal, à Monachis tamen receptum & adamatum, quia creditum ſit, Gallo recens heremum ingreſſo vrſum quendam ligna attuliſſe, quæ foco illius ſufficerent. Eſt enim apud Gregorium in libro Dialogor. 3. vrſus ille Cherbonii Epiſcopi pedibus aduolutus, ad cuius effigiem facile fuit illum noſtrum depingi, qui obſequio naturam frangeret, nec viſo ante hoſpiti ſarmenta eremi conuerreret: ſicuti & Othomari vaſculum ad exemplum illius, quod Bonifacius Epiſcopus Fecentinas apud eundem Gregorium habet, effictum videtur. Quod ipſum tamen non hoc animo ſentio, veluti parum tribuam miraculis, ſed quod conſtet illorum temporum Monachos pleroſque in illis referendis leui ac prope nulla fide fuiſſe. Et experta eſt noſtra ætas, quid æmulatio religioſorum poſſit, vt morbum illum ſinamus ſectis religionum cognatum, quo in ſuis laudandis efferendisque nullum modum tenuerunt. Illud certum eſt, clariſſimas vrbes in inſignibus vrſum habere: quo quidem & ipſo maiores noſtri ante à me relato commento, vt arbitror adducti plurimis annis non ſignis modo militaribus & imaginibus paſſim adiectis, ſed argento etiam ſignando ſunt vſi, hodieque veteri more vtuntur. Sed vt finem 2

huic libro imponamus, id postremo nemini mirum videri debet, quod in antiquis illis Francicis & Alemannicis nummis puris putis (cum moribus enim postea numisma vitiatum est) Episcopos cernimus mitra bicorni & pedo insignes: Abbates autem infernè barbatos, supernè rasos (nullæ tum Abbatum mitræ erant:) Abbatissas velatas Regum munere. Maiora enim his dedissent religioni Principes illi non pietate modo, sed nobilitate etiam & liberalitate commendati, si constantem eam & certam Canonici & Monachi professi fuissent: verum ita declinare & labascere sensim vetus illa disciplinæ custodiendæ sollicitudo tum in monasteriis, tum ipsis etiam in Collegiis cœpit, vt nullo prorsus loco certa eius aut solida ratio constiterit, subinde aliis atque aliis vitiis grassantibus adeoque instabiles animos agitantibus, vt luxu & libidine & intemperantia superantibus omnia ad extremum abusum manifestè conciderint, quæ initio tamen haud improbè recepta & obseruata videbantur.



IOA-

IOACHIMI VADIANI CONS. SANCT-GALLENSIS,

DE COLLEGIIS, MONASTERIISQ. Germaniæ veteribus,

Liber II.

SVPRA dictum est à nobis, Donationes illas tam frequentes, quæ non aurum modo & argentum, sed agros etiam & fundos, & mancipia Cœnobiis addixerunt, haud alio fonte, quàm fiducia demerēdi & operum dignitate prognatas fuisse. Aliæ enim causæ fuere, (ne quis nobis id obiter obiiciat) cur prima in monasteria tum publici, tum etiam priuati homines tam liberales extiterint. Siquidem nec merces vllo pro opere dabatur, nisi quod manus Monachorum absoluissent, quodq; ex officina væniisset, nec sic vænalis pietas erat, vt prætextu eius negotiari liberet, longè minus ita inflati erant Monachi, vt quod dicerēt facerentve dignum mercede vlla iudicarent, & sic liberum illud vitæ & disciplinæ genus hominibus ceu meritorium conductitiumq; prostituerent, quod ipsi lege non nisi humana formatum & institutum profitebantur. Gregorii primùm ætas operibus rituum sacrorum, in primis autem monasticis fauere cœpit, quæ nostri demum exitiali errore circumuenti & imbuti primum admirari vt religiosa, mox transferre in sese pro mercede, postremò & augere donationibus profusionibusque perrexerunt. Immodicas autem eas, ne dicam noxias, ipsi Principes fecere, qui cum Cœnobiis ornandis donandisq; prodigi magis quam liberales fuissent, reliqui ordines exemplo commoti, ne non & ipsi certam sibi viam ad salutem præpararent, adeoque operum monasticorum participes fierent, donaria multo sæpius maiora, quàm pro conditione aut fortunis, templis sacrisque intulerunt. Francis quidem, tametsi liberum non esset monasterium ingredi nisi Principe consulto, quod iam tum essent, qui conditione delectati otium magis quàm pietatem sectarentur: tamen hoc amplius monachismo Alemanni fauebant, vt instar voti Mosaici lege etiam cauerent, ne quis eum qui liber esset, remoraretur, quin res suas adeoque seipsum ad Ecclesiam tradere & legare posset nullo cōtradicente. Sic enim habet primum caput Legis Alemannorum de hominibus liberis res suas ad Ecclesiam tradentibus; *Si quis liber res suas vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, non vlla persona, sed spontaneā*

voluntate liceat Christiano homini Deo seruire, & de propriis suis semetipsum redimere. Et qui voluerit hoc facere, per chartam de rebus suis ad Ecclesiam, cui dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & coram sacerdote, qui ad Ecclesiam seruit, super altari ponat, & proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneat. Et si aliqua persona, aut ipse qui dedit, vel aliquis de haeredibus eius, postea ipsas res de Ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis qualiscunque persona haec praesumpserit facere, & effectum quem inchoauit, non obtineat, & Dei iudicium incurrat, & excommunicationem sanctae Ecclesiae, & multam, quam charta continet, persoluat, & res illas ex integro reddat, & fredum in publico soluat, sicut Lex habet. Hactenus legem retulimus. Non licebat autem agros fiscales, aut prædia, quæ censum Principi soluerent, ad vllam Ecclesiam contradere, sed Comitis consensus requirebatur, cuius erat donationem rescindere, quæ Principalium redituum detrimento esset facta. Vnde videmus in chartis donationum Comitis nomen, imo fere semper loco adscriptum, interdum autem & Ducis, sed rarius. Præcipua enim hac in re Comitum authoritas erat. In vetustissimis chartis Regum interdum nomina, præteritis Comitibus, leguntur. Iubebat autem & Ludouici Pii lex, vt qui vel pro suæ animæ vel propinquorum salute donare vellet, sub suo Comite id ageret, testibusq; fide dignis donationem faceret ratam. Chartæ legitimæ omnium contractuum & donationum primùm nomina illorum continebant, qui pacti essent aut donassent: inde testes reliquos: tertio loco Notarii nomen addebatur, cum die & mense & anno regni imperiive Principis, qui tum rerum potitus esset. Et notandum est, veteres chartas priuatorum hominum non appensis signis sigillisve, sed tantum ad nomina testium inscriptis confirmatas fuisse. Principes autem quanquam & ipsi nō minus quàm scribæ & Cancellarii peculiaribus notis ac signis, quæ diplomatis inscribebantur, quarum quasdam asscribere libuit: tamen nihil minus sigilla etiam appenderunt.

NOTA CAROLI REGIS.





SIGNUM ARNOLFI IMPERATORIS.

Pontificum autem prorsus nulla tum fiebat mentio, vt quorum parua per Germaniam ratio haberetur. Annum autem à nato Christo haud scio an vlla in charta veteri viderim, qui plures tamen vidi. In diplomatis quidem Regiis subnotatum legimus, vt in illo Dagoberti, quod Nauclerus operi suo Chronico inseruit, & item alio Caroli Crassi nuper à me viso, cuius partem infrà citabimus. Vidi & Berengarii Primi diplomatis cuiusdam exemplum, quod annum Domini habebat, & inseruit quædam libris suis rerum Germanicarum Beatus Rhenanus, in quibus idem videre est, vt iam propemodum constet, hac maximè nota mediæ ætatis diplomata Christianorum Principum à chartis differre. Fuerunt autem *Chartæ* Episcoporum, Abbatum, priuatorum hominum. *Diplomata*, (quæ vulgo *Priuilegia*) Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, qui vel fundassent collegia monasteriave, vel fundata ampliori prouentu ditassent, aut immunitate aliqua decorauissent. Breuiter, *Tabulæ* erant publicarum aut eximiarum sanctionum, quas quidem ab Vrbis Episcopis profectas propriè hodie *Bullas* vocant. Tum primum

mum enim prodiisse existimant id genus diplomata Pontificum Romanorum, quum dominatum illum non vrbis modò sed vicinarum etiam ciuitatum & agrorum Italiæ Episcopi Rom. ciuili iurisditione suppressâ sibi vindicarunt, veteremq; amplissimi imperii sedem suam fecerunt, non iam Apostolorum, qui Principem vel Ethnicum vel tyrannidem exercentem agnouerunt, sed Regum ac Imperatorum munere functi: quippe qui hoc ipsum agant in Vrbe, quod antea Imperatores & Reges egerunt, vt ea de causa bullæ esse videri debeant litteræ tabulæq; omnes, quæ huius potestatis prætextu & fuco mittuntur. Sic enim sentiunt & iudicant hodie doctissimi quiq; viri, qui ministeriũ Christi à potestate & administratione gladii ita separant iure diuino, vt vtriusq; administrationẽ nemini vni permittant. Palam enim Apostolicæ functioni gladii potestatem scripturæ adimunt, quæ tamen eandem Magistratui vindictam exercenti sic tribuunt, vt omnem etiam animam illi subiiciant. Concludunt ergo eius solius esse ius dominatus, cuius est vindictæ potestas. Potestatem autem vindictæ ministrorum Euangelii non esse, proinde ne gladii quidem & dominatus ius esse. Et sic bullas esse meras, quæ vel dominatum asserunt Episcopis illis, vel tam districte, vt vocant, præcipientes vindictam & vltionem intentant. Equidem vt non laboro, diplomata sint nec ne. Põtificiæ bullæ, cum sciam hoc nomine codicillos prope omnes censeri, ita sane maxime cuperem talia esse summorum Pontificum diplomata, qualia summorum Apostolorum fuere, quorũ functionem in se translatam gloriantur. Extat autem diploma Apostolicum Actor. 15. cap. à fastu, minis, ostentationẽ, vltione, & vindicta tam alienum, quam pute & syncere Ecclesiasticum. Non enim dominatus in ipso, sed ministerium indicatur. Sed ad chartas reuertamur: quæ Francorum tempore donationibus fere priuatis deseruiebant. Donantibus autem seu Principes seu Nobiles siue plebei fuissent, meritum MISSÆ applicabatur, inscriptis memoriæ gratia horum nominibus, qui donassent, quique obtulissent: nec missæ solum, sed orationum etiam & vigiliarum operumq; monasticorum omnium communicatio tanta confidentia & viuis & mortuis addicebatur, vt & vestitus & cibariorum modus veluti meritorius donaretur, & sordes etiam (vt vere dicam) monasticæ in pretio essent. Chartas autem rescindere aut violare negareve religio erat: neque in vllius manu erat, rem semel donatam repetere, aut fidem chartæ præstitæ rescindere. Quod ab his demum maximè est neglectum, qui religionis sibi nomen præcipue vendicarunt. Episcopi enim, summorum Pontificum consensu admissi, multorum monasteriorum reditus in totum suos fecerunt, non alia magis causa, quam vt ad manum esset quod luxui & splendori arrogatæ potentiæ sufficere posset. Monachi quoque quidlibet causati non ea modo auferre Ecclesiis fuere ausi, quæ maiores sui donassent, sed aliena etiam in rem suam conuertere speciosо illo Incorporationis fuco, cuius superiori libro meminimus. Ex lege vero Alemannorum adeo non licebat semel factæ donationi contraire, vt mulctam etiam fiscalem chartæ in illos decernerent, qui diuersum tentare fuissent ausi. Si quis patrem aut auum donasse negasset, testibusq; iure requisitis conuictus esset, magnæ pœnæ subiacebat. Quod si exusta aut perdita charta esset, nec produci testes possent, iuramenti interpositione obligatio soluebatur. Ille autem, qui fundum, aut agrum, aut prædium Ecclesiæ donatum precariò recepisset, censum in charta expressum soluebat. Quo defuncto hæres bonis cedebat, nisi ampliorem possessionis conditionẽ chartula determinasset, aut ipsa in charta donationis posteris cautum præscriptumve fuisset.

Chartæ ipsæ Latinè scribebantur, aut certe semi latino sermone scriptas dicere

dicere malim. Non potest enim negari barbaries, atque ea quidem crassissima, quam redolent. Quæ quidem imperitiane sæculorum, an studio magis ac veluti data opera, accidisse putandum sit, non facile dixerim. Rudia fuere sæcula, rudes nostratium ac prope elegantiæ omnis expertes animi. Sed videri potest propius ea sæcula intuentibus, aliquid tributum vulgo & plebi fuisse Latinas literas vtcunq; noscenti, nec nisi consultò ineptitum à scribis, vt tot modis barbari & asperi videri voluerint. Quanquam negari non potest in illa ætate, vt in nostra quoque, longe maximam partem Monachorũ cum suo, tum etiam temporum vitio rudis & asperæ Latino sermone vsos, qui Latine tamen loqui se & scribere putarint. Necessitate autem factum videtur, vt in gente illa Francorum & Alemannorum armis & bello assueta, quæ nec scribere sua nec legere assoleret, Latinæ, hoc est Prouincialis linguæ vsus qualiscunque retineretur. Sero enim scriptus est Germanicus sermo, & videtur Caroli Magni primùm studio factum, vt idem in literas paulo fusius referretur: quippe & mensibus ab illo (vt Eginhardus scribit) nomina imposita
1 sunt & alia quædam ad vulgaris linguæ vsum ampliorem excogitata, quæ priorum se Principum curam præterierant. Franci igitur limitem transgressi primo non tam suam, quæ nec arte nec lege continebatur, quàm alienam in prouincia repertam linguam addidicere, ingenua quadam verecundia talem linguæ suæ barbariem confessi, quæ ciuilitati & humanitati prouinciali merito submitteretur. Quare demum ad fidem Christi conuersi tabulas vulgares conuentionum, chartasq; & leges etiam ipsas & diplomata Latino sermone scribi curarunt. Prior hic erat sine dubio, quum Romani prouincias tuto dum limite tenerent: impurus postea tarditate & inertia nostratium factus, quum rupto limite non modo prouincias Europæ maximas, sed etiam Italiam & ipsam Vrbem linguarum altricem inuaserunt. Illam enim post Herulos & Rugos Gotthi etiam, Lõgobardi & Franci successione quadam regni multis sæculis tenuerunt. Arbitror autem & religionem stimulos addidisse nostratibus, quo eam linguam addiscerent, sine cuius peritia religio constatura non videretur. Sacri libri, veteres interpretes, Conciliorum decreta non nisi Latinè scripta extabant. Durabat quidem & Græcæ linguæ vsus, sed paucis nec nisi gustu aliquo frequentis lectionis notus. Mysteria sacrificiorum & ceremoniarum Latini libri continebant. Posteri certe hoc honoris huic linguæ tribuerunt, vt & in sacris vti ea continenter, licet paucis nota, libuerit. Quod vtinam tanto cum fructu factum esset, quanta est simplicitate factum. Deferre quidem & merito linguis debemus, sed negat Apostolus ea lingua recte vti Ecclesiam, quam nulli aut pauci intelligant. Sane Rabanus author est, ætate sua (vixit autem sub Ludouico Iuniore) lectionem sacram & cantum omnem in missæ, id est cœnæ Dominicæ celebratione ad plebis fructum & institutionem valuisse. Vnde certe colligemus istis sæculis tritiorem fuisse Latinæ linguæ vsum, quàm sit hodie, aut certe cantata & lecta esse Germanicè per Ecclesias, quæ pauciores Latine orassent aut cantassent. Quod quidem sub Otthonibus, Conradis & Heinrichis factũ esse certum est. Caroli sæculo lege admonebatur populus, vt in sacris peragendis & ipse SANCTVS SANCTVS, &c. caneret, Græcorum nimirum τρισάγιον imitati, qui illo in publicis supplicationibus vtebantur, ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, &c. Quod adhuc multæ Ecclesiæ in parasceuæ tempore etiam decantant. Porro Principes & Magistratus in sigillis inscribendis Latina quàm Germanica etiamnum vti malunt, licet certissimam hodie Germanicam linguam habeamus. Sed & hoc fortasse linguæ celebritati est datum, quæ nusquam non habet sui peritos, cum linguam

Germa-

Germanicam pauciſſimi homines externi intelligant. In totum autem conſtat tabularum Germanicè ſcriptarum recentem eſſe vſum, & ſunt anni pauci, ex quo hæc lingua vulgo ſcribi cœpta eſt. Scripſere quidem & veteres, ſed pauci & rari, & velut periculi faciundi gratia. Extat apud nos Sangalli Pſalterion à Notkero monacho; quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominarunt, in noſtram linguam tranſlatum Arnolpho imperante, tanta verborum difficultate, vt non niſi ab attento & immorante lectore accipi & intelligi queat: tam dura olim & anhelans vetus illa Francorum & Alemannorum lingua fuit. Sed præſtat fortaſſe (vt in farragine) orationem Dominicam cum Symbolo eodem in codice, adſcriptam referre, quæ ad verbum ſic habent: 1 2

Fáter vnſer, du in himele biſt. Dîn ná̃mo vuérde geheíligot. Dîn ríche chome. Dîn vville geſchéhe in erdo á̃lſo in hímele. Vnſer tágolicha brót kib vns hiúto. Vnde únſere ſculde belá̃z úns, álſo óuch vvir belázend vnſern ſcúldigen. Vnd in chórunga nit lúteſt du únſich. Nú belôſe únſih fóme úbele.

Non reperiebam autem Angelicam ſalutationem tranſlatam, vt quam ætas illa inter preces non habuerit. Primùm enim, vt coniicio, á Fratribus Mendicantibus in preculas illas numeratas & meritorias relata eſt. Germani *Choren* dicebant, quod Latinè dicimus tentare vel prehendere: atque inde *Chorung*, captatio, prehenſio. Symbolum aũt, quod Apoſtolicum vocatur, Germani *Gvverf* à coniiciendo nominabant, q̃ illi articuli coniecti & conſcripti ab Apoſtolis crederentur, ſicut ex verbis Notkeri Symbolo præpoſitis deprehenditur, hoc modo; *Daz Graci Ché dent ſymbolum, Latini collationem, daz ché den vvir gevverf, vvanda íz Apoſtoli geſá̃menoton, unde zeſammine gevvúrfen, dáz íz zlichen ſî Chriſtianæ fidei. Álſo ouh in prælio ſymbolum héizet daz zeichen, daz an ſkilten alde an gemóten Worten iſt, tannan tógliche iro ſócios irché̃nnent.* Alluſum igitur eſt ad Græcæ vocis originem, quæ ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν deducta eſſe videtur. Tranſlatum autem eodem in libro reperiebam in hæc verba:

Ih keloubo an Gót a'lmá̃chtigen fatere, ſkéffen hímeles únde erdo. Vnde an ſînen Súnden gevvíchtere haltáre éinigen únſeren hérren: der fône dé̃mo héiligen gé̃iſte infá̃ngen vvard: fône Maria dero má̃gede gebórn vvard: kenôthãffiat vvard pi Pontio Pilato: únde bi ĩmo an crucem geſtá̃hter ĩ ſtarb: únde begraben vvard: ze hélla fúor: an demo dritten tá̃ge ſône tôde irſtúont: ze, him' ele fuor, dár ſízzet ze Gótis zeſſuun dé̃s almá̃chtigen Váter: dánnán chúnftiger ze irté̃llene die er dá̃nne víndet lébente alde tôte. Gelóubo an dé̃n héiligen Geíſt: kelóubo heíliga diá̃ alléichun geſá̃menunga: kelóubo zehãbenne dé̃ro heiligen gemeínſame: ablaß dé̃ro ſúnden: gelóubo des flíſkes úrſtendede: gelôubo ẽ vvigen líb. Amen. Daz tuên ih kenuá̃ro.

In ſacello peruetuſto Leproſorum vrbis noſtræ, quod haud procul ſuburbio Orientali ſitum eſt, proximis annis libellũ reperi Omelias aliquot Germanice ſcriptas continentem, quem ante annos plus minus trecentos ſcriptum eſſe colligebam, terſiore iam & mitiore ſermone. Prima enim Omelia de Domini natiuitate ad hunc modum habebat: 3

Vns iſt erſchinen der guote vville, vnde die menniſheit vnſeres haltares, des almachtigen Gottes ſhunen, nih von deheinen rehten vverchten, die vvir ſelbe hángetan, vvan nach ſiner michelun erbarmede hat er vnſih gehalten, &c. In eodem Oratio Dominica his verbis reddita legitur;

Gott Vater vnſer der biſt in den himel-n: Geheiliget vverde dein name: Zuchome din riche: Werde dein vville hie in erd-n alſo da ze himle: Vnſer tagolich brot gip

vns

vns huito: Vnd vergib vns vnser schulde, als vvir tuon vnsern schuldigen. Vnd leite vns in dheine bechorunge: Vnd erlose vns von allem vbele.

Retuli hæc eò libentius, vt constaret dialectum, quam hodie retinemus, aliam esse quàm illa fuit, qua maiores nostri intra spatium trium sæculorum sunt vsi. Sed iam ad exempla donationum & chartarum mediæ antiquitatis veniendum. Quæ tametsi parum lectori probatum iri præsertim delicato viderem, non stylo modò incultissimo, sed vili etiam materia conscripta, tamen digna duxi quæ adponerem, quod in illis ceu in speculo quodam illorum temporum tum simplicitatem, tum etiam barbariem & ignorantiam intueri liceret. Neque enim alia æquè certa esse existimo animorum indicia, quàm quæ id genus litteris & monumentis exprimuntur. Libuit autem illis fere solis vti, quæ hodie extant Sangalli in monasterio, quo haud scio, an aliud vllum apud Alemannos antiquius duret: dignius quidem semper & celebrius habitum est Augiæ monasterium, sed minus tamen longæuum nostro. Tœdii autem leuãdi gratia paucula, ceu commentaria quædam, de nostro adiecimus, quæ vel temporum historiam, vel rerum seriem, vel Regum notitiam propius indicarent, arbitrati hac à parte vel parum eruditis consulendum esse, ne & illis barbaries officeret, si sine fructu parum perspecta aut cognita vulgo tempora proponerentur.

EXEMPLVM DONATIONIS VETVS, PLVSCVLIS ANNIS ANTE OTOmarum scriptum.

IN Dei nomine bona pacis. Placuit atque conuenit atque adcreuit mihi voluntas, vt terram iuris mei facerem donationem ad honorem sancti Gallonis & sancti Desiderii, in loco nuncupato, qui dicitur nomine villa Athorins Wanie hobas tres, & in Gundishespuria hobas IIII. Quod & feci, quòd ita & feci terram donationis ego Aloinus, & per hanc chartulam donationis, quæ ad diem præsentem firma permaneat. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut vllus de heredibus meis contra hanc donationem venire aut agere conauerit, in primis Dei iram incurrat, & à communi corpore vel sacerdotio extraneus sit, & cum fisco auri libras II. argenti III. componat, & quod petit vendicare non valeat, sed præsens hæc donatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum in monasterio sancti Gallonis. Signum Aloini, qui hanc donationem fieri reguit. sig. Stephani. sig. Iactati. sig. Petri. sig. Vualaonis. sig. Landelhelmi. sig. Valoti. Notaui quod feci in mense Iulio XIIII. *Calend. Augustas.*

Ego Petrus scribsi & subscribsi sub Theodorico Rege.

FVit hic Theodoricus Tertius huius nominis Francorum Rex. Quatuor autem fuere Theodorici. Primus Ludouici primùm Christiani, quẽ vulgo Clodoueum nominant, filius, clarissimus Princeps. Secundus Hilteperti, quem alii Childpertum vocant, filius, nepos autem Sigeberti illius, quem Columbanus Gallias ingressus adiit. Tertius, cuius hæc charta meminit, Ludouici Secundi filius varia regni fortuna, haud ita multis annis post excessum B. Galli, necdum vllo Abbate in cella eius constituto, agitatus. Quartus Dagoberti Secundi filius à Carolo Martello Maioredomus, patre amisso, liberaliter educatus, ac deinde breui Rex constitutus, cuius vetus quædam charta his verbis mentionem facit; *Notaui quod feci mense Iunio, 5. Calend. Iulias in anno* XV. *regnante Domino nostro Theodorico Rege supra Carolum Maiorem domus,* &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [80] - 48
PUBLIC DOMAIN

&c. Post quē Lotharius, ac nō multo post Chilpericꝰ ille regnauit, qui à Ste- i
phano Papa per ſpeciē ſocordię ſubmotus Pipinū Martelli filium (qui ſtirpis
erat nō Regiæ, ſed Maiorumdomus) in Regē vnctū ſucceſſorem habuit. Fue-
runt & Sigiberti tres, duo Francorū Reges, quorum ita mentionē faciūt mo-
nachi quidā Chronographi, vt cōfundere ipſos videantur. Senior Sigeber-
tus Lotharii filius, qui coniugem habuit Brunehildin illam Tanagildis Viſi-
gotthorū Regis filiā, ex qua Hiltepertum ſuſcepit, illo regnāte Columbanus
relicta Hybernia primūm Galliam, dein Rhetiam primam, poſtremo & Gal-
lia & Rhetia pulſus Italiam ingreſſus eſt. Iunior Sigebertus, cuius ſupra quoq;
meminimus, eius Dagoberti filius fuit, qui Epiſcopatū Conſtantienſem &
Argentoratenſem inſtituit: ad quē & ipſum Columbanus dimiſſus à Lotha-
riō peruenit. Fuit n. Dagobertus Francorum Auſtraſiorum Rex, qui palatiū i
ſuum apud Troniam, qui locus hodie **Kirchem** dicitur, nō longe ab Argen-
torato, habuit, Lothario interim patre interiorem Franciā gubernante. Sæ-
pe id factū eſt in Francorum regno, vt & filiis habenas regni parētes ex parte
cōmitterent, ſæpe & vnà fratres regnarent, plerumq; aūt diuerſis in partibus
pater & filius regno præeſſent. Ampliſſimum n. erat Francorum regnum, &
in ipſa Francia nō ſolum Sangalli & Augiæ, ſed etiam Campidonenſe mona-
ſterium, quod in extima tamen prima Rhetia eſt, cenſebatur. Alamannia n.
iamdiu in ius & nomen Francorum tranſierat. Puto aūt nō indignum nota-
tu, veteres chartas Alamannorū, teſtiū nomina vel prouincialia habere, hoc
eſt Latina & Græca, vel barbara ſaltem Latinè declinata, vt in hac Charta,
Petrum, Iactatum, Stephanum, Latina & Græca: dein *Aloinum, Vualaonem, Lan-
dolhelmum, Valotum*, barbara ſiue Germanica, ſed Latinè deflexa. Quod minus
videre eſt in Chartis, quæ poſt Pipinum & Carolum M. filium eius ſcriptæ
ſunt: certiſſimo argumento linguæ Prouincialis ſenſim mutatæ Germanorū
migrationibus, ſuccreſcēte ſcilicet Germanica lingua, & Latina qualicunq;
retēta, quæ ſcriberetur. Equidem veteribus & ante Martellum ſcriptis char-
tis euoluendis, quaſdā in Rhetia, quam Curienſem Chronographi quidam
cognomināt, ſcriptas obſeruaui, quę teſtium nomina nō niſi Latina aut Pro-
uincialia cōtinebant. Submōtana n. Rhetia, ac illa maxime, quæ ſecundum
Rheni decurſum fontibus eius imminet, ſero admodū Germanicā linguam
recepit. Nec de hoc dubitandum, quum hodieq; duret linguæ veteris veſti-
gium corruptum quidē, ſed q; Romanum tamen ſermonem palam referat.
Vidi aūt venditionis chartā Carolo regnante ſcriptam, cuius initium in hæc
verba habebat; *In Chriſti nomine, &c. Domino noſtro Carolo Rege anno* XV. *ego Lu-
bicio Subdiaconus rogatus à Caluione, qui eſt à vice populi Romani*, cum his quæ ſe-
quuntur. Et in fine chartæ teſtes erant adſcripti, *Aurelianus, Volcarius, Guari-
nus, Andreas*, &c. In regno n. Caroli (quod notandū duxi) paſſim & Romani
ſuos magiſtratus habebant, finitimos Francorū ditioni, aut certe immixtos
alicubi, quod multis argumentis deprehenditur. Proinde & Salica Lex *Ro-
manos* vocat, hoc eſt *Prouinciales*, qui Romana Prouinciali lingua vtebantur. Sic enim habet Lex; *Si Romanus homo Francum exſpoliauerit, duobus milli-
bus quingentis dinariis, culpabilis iudicetur: Si vero Francus Romanum, mille ducen-
tis dinariis, qui faciunt ſolidos* XXX. *culpabilis iudicetur.* In alia perueteri charta
mixtim erāt teſtium nomina inſerta Germanica Prouincialibus, hoc modo;
Arnulphus, Landulphus, Loualdus, Iuſtinus, Ioānes, Valerius, Seianus, Campanus, &c.
Item alia in chartula teſtes citabantur, *Valerianus, Eſtradamus, Eſcalco, Creſcen-
tius, Potzentius, Florentinus, Ruſtegus, Exuperantius, Hoſtarius*, &c. Habebat & alia
vetuſtiſſima charta Francica hæc nomina teſtium; *Berengarius, Iordannes, Vi-
ctor, Druſus, Caius, Tanco, Otomarus, Auguſtus, Fonteanus, Lubitio, Præſtantius, Vi-*

uentius, *Valentinus*, *Vigilius*, *Adalramus*: mixta videlicet Latina Barbaris, sed Latinis tamen seu Prouincialibus præualentibus. Et gaudent adhuc Rheti Montani, & obuii sunt apud illos *Lucii*, *Gaudentii*, *Valentini*, *Donati*, *Dominici*, *Vrsicini*, *Victores*, *Sylueſtri* & *Beati*, & ad Latinorum nomina deflexi *Chunradini*. Illud etiam sciendum *Hobam* barbaram vocem etiamnum nostris in vsu esse, & fundi partem significare, maxime pascuam, vulgus nostrum *huob* vocat. Verbum autem, *Componat cum fisco*, huic sæculo vsitatū fuit, & in Cod. Theodosiano haud absimili significatu legitur. Ab initio autem regni Theodotici III. sub quo hęc charta scripta est, vsq; ad ætatem nostrā anni DCCCLXXXIIII. numerantur.

ALIVD EXEMPLVM DONATIONIS.

SAcrosanctæ Ecclesiæ sancti Gallonis Confessoris, & aliorum plurimorum Martyrum & Confessorum, quæ est constructa in situ Durgauensi, in pago Arbonensis castri, vbi nūc præest Autmarus Abbas, qui secundum religionem Deo seruire videtur, & sub norma regulari confirmati. Ego itaq; in Dei nomine Lautpertus filius Landoaldi quondam & Beatæ coniugalis ipsius: talis mihi decreuit voluntas vel deuotio pro Dei intuitu & animæ meæ remedio, vel pro aterna retributione, & adhuc propter meam substantiam, quam ad ipsam Ecclesiam me viuente habere cupio, vbi me plenius commendo, & pro anima genitoris mei Landoaldi, & matris meæ Beatæ, omnia quicquid mihi supernominatus genitor meus Landoaldus, vel mater mea Beata de compaternito vel seu conquisito aut cōparato mihi dereliquerunt, vel quicquid ego postea acquisiui, omnia ex integro à die præsente de meo iure in donationē Ecclesiæ S. Galli vel Autmaro eius Rectori, & eius Monachis, qui ibidē Deo seruire videntur, trado atq; transfundo pro animæ meæ salute, & patris mei, & matris meæ salute. & sicut superius diximus, dū viuo pro meæ substantia, quæ mihi necessitas est: hoc est in loco nominatis in villa qui dicitur Illinauuia, & in alio qui dicitur Erbpbratinchoua, & in tertio qui vocatur Magistinchoua, & in quarto loco qui cognominatur Brunnica, & in quinto loco qui dicitur Madoltesuuilare, & in loco qui dicitur Hunisinuuang & Tekilinuuanc, & in loco Hunichinunilari, & in alio loco Tunriude, & in villa quæ dicitur Vzzinacha, & in alio loco Berolfesuuilari, & in alio loco Lucikinse. Lucikunauuia. Hæc et loca supranominata cum seruis, ancillis, peculiaribus, tum domibus, ædificiis & mancipiis domesticis, tum curtis clausis cum hortiferis, pomiferis, vel officinis, quæ ibidem esse videntur, cum pratis, siluis, aquis, aquarum decursibus, mobilibus q, atque immobilibus, cultis et incultu vim discedētis et regredientis, cum omnibus adiacentibus et appendiciis, quæ ad ista loca supranominata aspiciunt, sicut superius diximus, omnia & ex integro in donationem Ecclesiæ sancti Galli vel Autmaro Abbati trado atque transfundo cum stipulatione subnexa: habeant, teneant, atq, possedeant, in omnib. liberam et firmissimam habeant potestatem faciendi. Si vero, quod fieri non credo, ego ipse, aut vllus hæredum vel postharedum meorum, aut quilibet vlla opposita persona, quæ contra hanc donationem vel traditionem meam tentare præsumpserit, aut vllam calumniam generare voluerit partibus fisci de multa componat, id est, auri libras V. & argenti pondo X. coactus exsoluat, & ad ipsam Ecclesiam duplam repetitionem restituat, & quod repetit per nullius ingenium euindicare valeat, sed hæc præsens charta firma et stabilis et incontaminata de beat perdurare. Actum in villa, quæ dicitur Illinauue, publice, præsentibus quorum hic signacula continentur. Sig. Landoaldi qui hanc traditionem fieri atque firmari roganit. sig. Hariger eius patrimonio consobr. sig. Almarich consobr. sig. Albrich test. sig. Hegibrecht test. sig. Vuillibrecht test. sig. Ratprecht test. sig. Vuerimbrecht test.

Ego itaq, Sylueſter Lector rogitus & petitus à Landoaldo scripsi & subscripsi.
Data sub IIII. *id. Septemb. anno* III. *Carolomanni Maioredomus,*
sub Chancharone Comite.

Sæpe

SÆpe legitur *Chancharo* in chartis sub Pipino scriptis, vt eritum tum nomen fuisse intelligatur: diuersos tamen & diuersis in locis præfectos Comites fuisse ipsæ chartæ docent. Arbitror aũt illum Kyburgensem fuisse, cuius pagũ Alamanni Thuricensem cognominarunt. *Castrum* porro *Arbonense* oppidum illud est milliario Germanico à nostro disiunctũ, quod vulgus *Arbonam*, veteres *Arborem Felicem* dixerunt, vetustissimum sane atq; illis etiam annis clarum, quibus Romani prouinciam Rhetiam primã administrarunt. Adnumeratur aũt & hodie Dũrgauensi pago. Sæculo illo *Castrum* dicebatũr oppidum, in quo Episcopus non erat: contra vero *Oppidum*, cuius erat Episcopus. Proinde *castrum Arbonense*, *castrum Campidonense*: *oppidum* autem *Constantiense*, *oppidum Augustense* legimus. *Carolomannus* autem *Maiordomus*, cuius hæc charta meminit, filius fuit Caroli Martelli, qui & ipse Maiordomus fuit Franciæ ex Pipino cognomento Breui genitus. Alii erant à Regibus *Maioresdomus*, hoc est Præfecti prætorio, pari plerumq; potestate vsi, licet regiis titulis non vterentur. Qualem Magistratum & hodierni Franci habent, quem vulgo *le grand maistre*, hoc est *magnum magistrum* vocãt, cuius potestatẽ asunt secundum Regem maximã esse. Illud constat Maioresdomus sæpe non virtute modo & rerum gerendarum prudentia, sed victoriis etiam spolisq; ex hoste relatis, Regum gloriam superasse: quod & de Martello proditum est. Cur autem Maioresdomus dicti sint, & vnde ortum nomen videatur, à Beato Rhenano in libro Rerum Germanicarũ explicatum est. Hic est Carolus Martellus, cui⁹ sexto anno initæ præfecturæ Otomarus Presbyter è Rhetia Curiensi accitus, & procurante Waldramo quodam Nobili cœnobiolo à Gallo instituto præpositus, ac omnium primũm Abbas dictus, annos circiter octuaginta post Galli obitum. Gallus enim admodũ senex sub Dagoberto Sigisberti II. filio, quem iuuenem Grimaldus Maiordomus interfecit, apud Arborem decessit, circiter annum Dom. DC XL. cum anno Dom. DC. XIIII. heremũ ingressus esset, sedecimo demũ anno ab ingressu condendi cœnobii cõsilio inito: quod satis clare ex Abbate Vrspergensi colligitur. Nullum aũt certum disciplinæ genus ab his retentũ fuit, qui Gallo mortuo cõfluxerunt: paucas domunculas & ædem arctissimã, nulla parte ab heremi specie abhor 2
rentẽ tum ædificatã, homines quidã Scoti & Alemanni colebant: quam ne Otomarus quide pauper Abbas aliis ædificiis præter adiectũ xenodochium ampliauit, loci humilitate vsq; in Grimoaldũ & Gotzbertũ Abbates durãte, qui monasteriolũ ædificiis paulo ampliorib. ornauere. Primus aũt Otomarus Benedicti institutũ ex libro Regulæ eius, quem dono à Martello acceperat, monasterio S. Galli inuexit. Ad Francos aũt quod attinet, Martello mortuo, tres filii reliqui fuere, Carolomannus, Pipinus, & Griso: quorũ hic, q̃ maior natu erat, suasu vxoris Suuanehildæ fratribus bellum indixit, occupata vrbe Lauduno, in qua mox obsessus captusq; & custodiæ traditus est. Franciæ regno inter Pipinũ & Carolomannũ ita diuiso, vt illi Burgũdia & Westria, huic Austria siue Austrasia, hoc est Orientalis Francia vnà cũ Alamannia & Thuringia obtigerit: sed breui post tẽpore regnũ omne Pipinus obtinuit. Carolomannus n. tœdio curarũ Prætorialium, & q̃ natura ad otium magis quàm res gerẽdas natus esset, monachus factus, primo in monasterio S. Sylvestri apud montẽ Soracten haud procul vrbe Roma degit: deinde frequẽtia suorũ obrutus apud Cassinensem monasterium S. Benedicti, quod reliquum erat vitæ transegit. Abdicauit aũt sese magistratu anno Dom. DCC XLV. vnde chartæ illius vetustas intelligitur. Solus postea Pipinus rem gessit annis septem. Cui sane viro nõ paternæ modo virtutes, sed propriæ etiã plurimũ famæ & dignationis apud exteros peperer unt. Quare Romani Pontifices prior quidẽ Za-

charias ſubornato Wunefrido Epiſcopo Magonciacenſi, qui & Bonifacius dictus eſt: dein & Stephanus II. de exturbandis Italia Longobardis conſilia verſantes, quidquid potuerũt honorum in illũ cõiecere. Zacharias quidem internũcio Bonifacio illo Regẽ eum antea deſtinarat, mox Stephanus aliena potentia pro more in ſuum cõmodum abuſurus, Childerico Francorũ Rege detõſo & in monaſteriũ ablegato, Pipinum Carolingum an. Dom. DCC LII. ſiue, vt Otto Friſingenſ. tradit, DCC LIV. in Regẽ Francorum vnxit, & à iuramento, quod Regi ſuo Childerico præſtiterat, abſoluit: cuius opera poſtea fretus Longobardos adortus eſt, quos nõ longe poſtea Carolus M. Pipini F. Deſiderio Longobardorũ Rege capto & Chorbeienſe in monaſteriũ intruſo oppreſſit, & ad Francos Italiæ regnũ tranſtulit. Primus aũt omnium, quod ſciam, Regum Germanicorũ Pipinus à prætorio ad regnũ accitus, eo more vnctus, quo Græci Patriarchæ Byzantini, Principes ſuos vnxerãt, cõſuetudine poſtea vngẽdi inducta, cuius ſupra meminimus. Huius igitur Pipini anno 7. Otomarus Abbas, cuius hæc charta meminit, pulſus monaſterio & ſtupri ab aduerſariis ſuis, Lãberto quodam delatore, inſimulatus, longoq; carceris ſqualore cõfectus, dein & liberatus, ſed durante tamen exilii miſeria, demum iuxta emerſum Rheni, vbi lacũ Venetum egreditur, ex humanis exceſſit anno Dom. DCC LVII. quo anno Ioannes Epiſcopus Cõſtantienſis monaſterii Sangallenſis adminiſtrationẽ ſuſcepit. Videre eſt aũt in hac charta, q̃ ægrè ſcribæ illi ſemilatini Germanica locorũ nomina reddiderint, melius nimirũ reddituri, ſi tum (vt hodie) vulgo ea lingua ſcriptũ fuiſſet. Cauſam aũt donationum chartę prope omnes produnt. Vulgo erat perſuaſum proximã ad ſalutẽ viam eſſe, ſi his daretur & offerretur, qui religionem profeſſi & hominis præſcriptũ, & humano quidẽ inſtituto, viuebãt. Admirationẽ aũt ſimpliciũ animis, tum raritas, tum etiã nouitas, profeſſionis ingeſſerat. Et monachos vel probiores ita tum auiditas quædã poſſidẽdi corripuerat, vt & profeſſionis & inſtituti maiorũ obliti nõ modo nõ detrectarint vllum donationis genus, ſed ambierint etiã pleraq;, quæ cum monaſtica vita δὶς ἀφ' ἑαυτῶν (quod dicitur) pugnant & diſſentiunt. Satis erat primis illis Patribus fauor Principum, qui cœptã ſemel & inſtitutam religionem diplomatis, quas *immunitates* vocabãt, tuebantur. Erant enim iam tum omnium ordinum homines, quibus partim incognita & odioſa religio, partim pietatis profeſſio tot indiciis auaritiæ cõtaminata, ſuſpecta eſſet. Qua vna re Otomaro cõflatam, inuidiamne, an verius odium dixerim, cõiicio: qui quidẽ immodico quodam ſtudio donationibus vbilibet aucupandis incubuerit: zelo forſan religionis, vt quidẽ credo, ſed zelum illum, quod in cõfeſſo eſt, alii auaritiã interpretati ſunt. Et negari nõ poteſt vel à ſanctiſſimis Epiſcopis nedũ monachis pictatis prætextu exacta tum vulgo & eblandita fuiſſe multa, quæ ſi ad viuum (quod aiunt) reſeces & explores, haud aliud habent in ſe quàm fraudẽ & impoſturã, quod & proximis ſæculis in merce illa & negotiatione indulgentiarum ſumus experti. Nec mirum vel optimos viros falli & ſeduci in his, quæ longa nobis cõſuetudo & frigidis maiorum præiudiciis cõfirmata opinio obtrudit. Vt autem fateamur, quod & antea teſtati ſumus. Principum quorundam beneuolentia pluſculum acceſſiſſe pleriſque monaſteriis antiquis, tum, cum cõdita horum iuſſu, aut reconcinnata eſſent: tamen certum eſt, hoc noſtrum Otomari cœnobion initio priuatis donationibus præcipue auctum fuiſſe. Donarunt quidem & Reges Franci, ſed perparce, nec expreſſa vllo diplomate, aut vllis in chartis indicata, ante Ludouici Pii tempora: cum de profuſis interim priuatorum donationibus & eleemoſynis præter Chronica noſtratia vitæ etiã ipſæ Otomari & Galli in literas relatæ abunde teſtentur. Et fuit tempus, quando

char-

chartarum veterum, non nisi donationes præferentiũ mille ducentæ & amplius in hoc nostro cœnobio asseruatæ: paucis autem ob barbarum characterem lectæ aut intellectæ sunt, postea perditæ & distractæ partim conflagrationibus, quas sane diras perpessum est, partim bellicis turbationibus, quæ reliquere tamen nonnullas, quas mihi casu quodam videre contigit. 1

ALIVD EXEMPLVM PLANE BARBARVM IN IPSO MONASTERIO scriptum.

SAcrosanctæ Ecclesiæ sancti Gallonis monasterio in pago Durgauinsi, vbi Autmarus Abbas esse videtur. Strachfrid in amore Dei nostri & remedio animæ nostræ condonauimus ad ipso loco sancto, hoc est in pago Brisigauinsi in villa, quæ dicitur Aguringas, quicquid ibidem visus sum habere, & in alia villa, quæ dicitur Oninchouia, similiter & in tertia villa Mulinhaimo, hoc sunt cassi, casalis, mancipiis, peculiis, campis, pratis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus atque immobilibus, quæcunque habuit apud se ipso ad ipsos fratres tradidit. Si quis ego ipse aut de haredibus meis, aut ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem ista venire tentauerit, quod nec fieri credo, sit culpabilis cõtra ipsos sanctos duplo repetitione sociente fisco auri libras III. *argenti* V. *& quæ repetit, vindicare non præualeat, stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio, datum* VI. *Kalend. Nouemb. Ego Strachfrid donationem à me factam relegi. sig. Gotzberto. sig. Anno. sig. Putigo. sig.* Otberto. *sig.* Liuttramo. *sig. Frochonolfo. sig. Gundini.*

Ego Thiotbaldus monachus hanc traditionem scripsi & subscripsi, anno IIII. *regnante Pipino Rege Francorum.*

Sub Chancharone Comite.

VIllæ Brisgauicę & Sungauicæ atque Alsatiæ in chartis sub Otomaro scriptis frequenter obuiæ sunt, manifesto argumento & in illis locis vtpote fertilibus & ad vecturam accommodis Galli nomine & fama persuasos fuisse opulentiores, qui suas res ad monasterium tanto interuallo dissitum contribuerint. *Vallis* enim *Rheni* quæ proxime vrbem nostram Brigantium & Confluentes versus longo tractu vinetis hodie cultissima cernitur, tum fere nullas habuit vineas, sed solo tantum pascuo & magna ex parte syluestri & inculto fuit. Id quod exempla veterum tabularum, quæ hodieque veteribus codicibus inscripta cernuntur, indicant. Quare alibi laboratum est, vt vino etiam fratrum necessitati consuleretur, qui cereuisia tamen illa ætate frequentius quàm vino sunt vsi. Celebre autem Galli & Otomari nomen illis in locis fuisse sacella testantur vetera horum nomine exstructa, & vicus quidam ab Otomaro cognominatus. Siquidem rara erant illo tempore (vt dixi) monasteria, ad quæ mortales fama sanctorum increbescente & stimulos addente specie illa religionis noua, sed & miraculis immodicè prædicatis cum votis donisq; concurrerent. Porro qui currebant, ita erant edocti, ne vacua manu comparerent. Vnde & hospitiis & ædificiis paulatim constructis, primùm vici, deinde oppida muris cincta extiterũt. Sicut oppidum ad S. Leodgarium, ad S. Gallum, præterea in Augia Rheni postea exstructo monasterio, quod *Rhinaugiam* vocant, & Schaffhusij altero itidem Benedictino, quòd Burgkardus Comes à Nellunburg instituit, & illud apud Stanium (vt vocant) quod Hedviga Purghardi Sueuiæ Ducis vxor Heinricho primo imperante cõdidit. Quibus omnibus vel recentioribus primùm vici, seu, vt vulgo aiunt, 2

villæ additæ, mox & oppida ex vicis facta coniuncta sunt. Et recte monuit Beatus Rhenanus, sedes Episcopales, quas Franci aut nouas instituerunt aut instaurarunt veteres, causam fuisse vrbium restauratarum, quas Rhenum & Danubium primo impetu transgressi Franci & Alemanni afflixerant. Nec temere factum videtur, vt iidem veteribus præsidiorum locis monachos è Scotia præfectos ceu ad lustrandum expiandumque immiserint & inaugurarint; veluti in Augia lacus Veneti prope Constantiam Cœlio, quem locum Gallus lustrauit heremum nostrum ingressus, quod alias abunde docebitur. Adhæc Campodunum, Fabaria, & Fortibus, quas hodie nisi fallor, Fauces vocant, ad Lycium amnem exstructo monasterio, quod B. Magni nomine colitur, cum oppido eleganti ad amnem Lycium, ditionis autem Episcopi Augustensis. Innuit autem charta illa, quàm rudes sub Otomaro scribæ, quamque imperiti Monachi Latinæ linguæ fuerint, qui tum quidem in pretio habiti sunt. Credibile enim est non nisi aptioribus scribendi prouinciam delegatam fuisse, qui tamen ita barbaro & incompto charactere sunt vsi, vt chartas illius sæculi non nisi semel iterumq; reuisas legere expedite nemo queat. Fuere autem, vt verum fateamur, rudiores Francis Alemanni, serò nimirum, nec nisi Francorum victoriis ad fidem Christi conuersi: quos multo sæpius rebellantes tandem Pipinus cognomẽto Breuis Maiordomus, & Martellus filius eius ingenti cum exercitu vastata Alemannia, pe domuerunt, paucis annis quàm Otomarus ille noster è Rhetia accitus esset. Notum autem Carolum Martellum, Pipinum Regem, & Carolum M. filium & posteros Francorum frequenter ad Rhenum in illa parte Burgundiæ atq; Alamanniæ, quæ hodie Heluetiæ tribuitur, mansitasse. Regiam enim habuerunt apud Thuregum Carolus Pater & Ludouicus Filius neposq; Hludouicus, qui monasterium Felicis & Regulæ instituit, quemadmodum & in Treueris alibi sq; Franciæ Orientalis locis. *Curtim* autem Franci & Alemanni Regiam seu Palatium Principis veluti *Corten* vocabant, comitatum, hoc est turbam palatinam significantes barbaro vocabulo. Sed & vicum & domum etiam quamlibet seu mansionem *Curtim* appellabant. Extabat autem lex de illis statuens *qui in Curte Regis furtum fecissent*. & sunt veteres chartæ, quæ *Curtilem* quoque villulam seu domum rusticanam prædiolo coniunctam vocant. Obseruandum porro putamus, quod ante diximus, etiam Alamanniam illis sæculis *Francia*m dictam fuisse, partem videlicet eximiam regni Francorum, quod licet multis annis ignorarint monachi nostrates, nescio quo loco Franciam statuentes & in illam Otomarum suum mittentes remittentesq;, tamen nõ ignorauit Walafridus Augiæ Abbas, qui Gatzberto regnante Galli & Otomari vitas trium librorum volumine eleganter complexus est.

ALIVD EXEMPLVM DONATIONIS CVM CONDICTIONE PLANE INcomptum & barbarum.

IN Christi nomine, Domino sancto & in Christo venerabili patri Audomaro Abbati Durgaugensi isto de monasterio sancti Gallonis, vbi corpus ipsius requiescit, pro mercede animæ meæ facultatula mea sed ipse redebetis post discessum meum. Dono vobis donatumque in perpetuum vt permaneat esse volo, hoc est in pago Brisigauensi in villa, quæ dicitur Warbinbach, & in Arcionima, & in Minsilindo, & ad Folchmisuuilari, quicquid in istas villas visus sum habere, id est Curtis, casas, casalis, mancipiis, agra, prada, silui, piscuis, aquis, aquarumque decursibus, tam mouele quam immouele, omnia & omnibus parte mea ex integra, quæ mihi inter fratres meos conuenit a die præsente tradо ad Eccle-

siam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [86] - 54
PUBLIC DOMAIN

cleſiam S. Gallonis & ad monachis ibidem ſeruientibus, & pro iſtas res proſeruire volo annis ſingulis, hoc eſt ſolidum vnum. Et ſi mihi infans natus fuerit in ipſo ſeruitio permaneat: & ſi fœmina mihi nata fuerit, ipſas res medias poſſideat & proſeruiat in ipſum ſeruitium quod ſuperſcriptum eſt, & illa media pars de ipſas res ſtet ad ipſum monaſterium, & quæ ita proſcruire voluerit, nulla exinde habeat poteſtate, & ipſa facultatula mea permaneat ad ſupradictum monaſterium, vt quicquid exinde pars monaſterij facere voluerit, libera & firmiſſima in Dei nomine in omnibus habeat poteſtate. Si ego aut heredes mei aut vllo oppoſita perſona quæ contra hanc donationem iſta venire temptauerit, inferat parti cuſtodienti doplam repetitionem, & a fiſco auri libras duas & argenti pondera tres: & nihilominus præſens donatio iſta omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum ad monaſterium Sancti Gallonis publice. ſig. Gautzperti qui hanc donationem fieri rogauit. ſig. Thietones teſtes. ſig. Annomi teſtis. ſig. Fruochonolfi teſtis. ſig. Hutheranni teſtes. ſig. Vulſpert teſtis. ſig. Strachfreti teſtes. ſig. Potichones teſtes.

Ego Luitfridus Presbyter ſcripſi VI. *Calendas Nouemb. anno tertio regnante Dominum noſtrum Pipinum* Regem.

QVanto labore & conatu illud aſſequitur ſcriba iſte ſemilatinus, vt ſignificet Gautzbertum ea cõditione doñaſſe, vt res donatas quoad vixerit, poſſideat ſub cenſu annuo ſolidi vnius: ſe vero mortuo, ſi careat prole, bona monaſterio cedãt; ſi filiũ reliquerit, ex integra poſſeſſione cenſum ſoluat donatũ Eccleſiæ; ſi femellam, dimidiũ bonorũ poſſideat cum cenſu iam dicto, dimidiũ monaſterio cedat: cẽſum dare renuentes iure poſſeſſionis priuẽtur, donataq; monachi recipiant. Mirum aũt in hoc genus chartis nec nomina exprimi prędiorum agrorumve, nec limites indicari, ſed generatim modo omnia ita enumerari, vt ope chartarũ nec diſcerni donata nec probari oſtendive poſſeſſio potuerit. Niſi veroſimile eſt, lite exorta in bonis diſcernẽdis diuidendisq; teſtibus magis quàm chartis illa ætate actũ fuiſſe, cum hodiernis tamen tabulis omnia tam diſerte prolixeq; ad faſtidium vſq; exprimãtur. Equidem vidi ſchedas veteres certa teſtimonia cõtinentes cum adſcriptis teſtium nominibus, qui de his teſtati eſſent, quę vel ipſi vidiſſent vel parentum ſeniorumve relatione didiciſſent. Alamanni, vtpote bellicoſi, gladii quem Spatam vocabant prehenſo capulo teſtificabantur, parati manu etiã tueri ſe veritatẽ, quam ſemel affirmaſſent. Iuſiurandũ etiã in iudicio prẽſtabatur manu dextra ſuper ſcriniolo, in quo quicq̃ reliquiarũ eſſet, impoſita, non aũt leuata, vt nos hodie ſolemus: & ſatis cõſtat, morem eum nõ ſolũ apud Frãcos, Meruuingos & Carlingos, ſed per Otthonũ etiã & Heinrichorũ imperia duraſſe. Arbitror aũt in illa gẽtis ſimplicitate minus tum doli & calumniarũ in pactis & contractibus fuiſſe q̃ eſt hodie. Maiores noſtri paucis verbis multã fidẽ teſtati ſunt, quum nos hodie plurimis tenuẽ adhibeamus. Fortaſſe & illud annotandũ, in chartis viuo Otomaro ſcriptis iam *Autmarum*, iam *Audomarũ*, interim & *Autmarum* appellari, quod dubiũ eſt ſcribarũ ne oſcitantiæ debeatur, an potius idiomati Alamannico, quod pro populorũ varietate (vt hodie quoq;) variũ eſſe potuit. Legi n. & alios hoc nomine in vetuſtis & ante Otomarũ ſcriptis chartis, ſed nõ aliter q̃ *Othomaros*. *Othmari* n. vt hodie vtimur & ſcribimus, nõ meminì me in vlla charta veteri legiſſe. Iam q; *ſanctũ & in Chriſto venerabilẽ patrẽ* vocat, illius ætatis more eſt factũ. Siquidẽ Epiſcopos & Abbates vulgo *ſanctos & venerabiles* dicebant, imo etiam *ſummos* (vt Bernhardus) & *ſanctiſſimos*, ἁγιωτάτους, vt leges Iuſtiniani ſæpius. At hodie *Reuerendos* & *Reuerendiſſimos*. Plerunq; nõ ſanctos, ſed venerabiles tantum, vt in vetuſta charta legi, quæ ſic habebat: *Domino venerabili in Chriſto patri Automaro Abbati, & fratribus de monaſterio S. Gallonis, Ego Lutzerus*, &c. Apud Hieronymum &

Auguſtinum, & priores ætate Cyprianum & Hilarium, *ſanctitatis* nomine honorantur Epiſcopi, monachi, virgines, viduæ, qui vita & religione præ cæteris commendabantur: nec niſi viui *Sancti* vocati ſunt, cum hodie non niſi mortuos eo nomine dignemur, adeo etiam hac in parte à ſcripturæ more digreſſi. *Sanctiſſimus* hodie Epiſcopus Romanus dicitur ſolus, vt ſolum eum *Papam* vocant, qui Gregorii tamen tempore non ſimpliciter Papa, ſed cum loci adiectione dicebatur. Sic enim habet vetus inſcriptio; *B. Gregorii Papæ Romani*, &c. Et Germani quondam Preſbyteros ſuos in totum *Papas* cognominarunt, id eſt Patres, vnde & hodie corruptæ vocis vſus durat. *Papen* enim Sacerdotes Germania inferior, ſuperior Pfaffen nominat. Hieronymus quoq; & Auguſtinus celebrium Eccleſiarum Antiſtites non *ſanctos* modo & *beatos*, ſed *Papas* etiam appellarunt, quod quidem apud Hieronymum frequenter obuium eſt. Scriptura *ſanctos* vocat omnes, qui recte ambulãt coram Deo. Quare & Paulus baptiſmo Chriſti regeneratos ſine diſcrimine *ſanctos* vocat, quod ipſum & Petrus & alii Apoſtoli, quorum epiſtolæ extant, in vſu habuere. Vt vel hinc pateat error & abuſus Pontificum Romanorum, qui hanc facultatem ſibi permiſerunt, vt hodie illi à morte tantum *ſancti* vocarentur, quos ipſi ſanctos & beatos iudicarunt, vel iuſſu eorum in Diuos relati ſunt, quum beatus Thomas ingenue fateatur, *non adſtringi ſibi videri quenquam ad eam fidem, vt ſaluum eſſe & beatum credat, quem Pontifex in beatorum numerum conſcripſit.* Et recte Auguſtinus *multorum corpora in terris venerari* nos dixit, *quorum animæ in inferno ſunt ſepultæ*, &c. Id præterea notandum, videri poſſe donationes iſtas tam liberales etiam ab his factas eſſe, qui monaſtica vita & religione delectati non bona modo ſua, ſed etiam ſeipſos vitæ, vt vocant, regulari ſubmiſerunt. Satis enim cõſtat, Nobiles quoſdam cœnobia ingreſſos multum profuiſſe illorum farinæ, quorum ſodales & conſecranei facti eſſent. Loquor autem de primis religione initiatis. Poſtremi enim partis iam & auctis rebus abuſi magno ſæpe damno collegiis & cœnobiis fuere, ceu alio in loco diximus.

ALIVD EXEMPLVM CAMBETE SCRIPTVM HAVD PROCVL BASILEA, viuente tum & ſatagente Otomaro.

SI aliquid de rebus noſtris ad locis ſanctorum vel in ſubſtantia pauperũ cõferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Igitur ego in Dei nomine Podalus, in amore Domini noſtri Ieſu Chriſti & remiſſione peccatorum meorum, vt veniam dilectis meis conſequi merear in futuro: Dono atque trado de iure meo in iure & dominatione ad ſancta eccleſia, quæ eſt conſtructa in honore ſancti Gallonis, vbi ipſe
1 *requieſcit corpore, ſuper fluuiolum Stainaha in ſolitudine in pago Durgauenſi, vbi in Dei nomine Audomarus Abbas præeſſe videtur. Dono ad ipſum locum ſanctum donatum, in perpetuum vt permaneat volo, hoc eſt in pago Alſaz as ſitas villas denominatas Habuhinashaim, Campiduna ſuper fluuium Rhino ſiue Chambeti, Rudolfuuilare, id eſt cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, ſiluis, caſis, coſalis, campis, pratis, terris, aquis, aquarumve decurſibus ſexus vtriuſque maiori & minori, mobilibus & immobilibus, quantumcunque in ipſas villas genitor meus mihi moriens dereliquit, & Vaſſi mei nomine Amalghiſus & Wunefridus in beneficio noſtro tbi detinuerunt, cum adiacentiis ad ipſam rem pertinentem, totum & ad integrum à die præſente ad ipſum locum ſanctum trado atque tranſfundo, vt ab hac die ipſa Caſa Dei vel congregatio, quæ ibidem adeſt, vel deſeruiunt, ipſam rem ſuperius nominatam habeant, teneant & poſſideant, & ſucceſſoribus ſuis Chriſto propitio derelinquant. Si quis Ego aut heredes mei, vel quilibet oppoſita*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [88] - 56
PUBLIC DOMAIN

posita persona, qui contra hanc donationem à me factam venire temptauerit aut irrumpere voluerit, tunc inferat partibus nostris vel successoribus vestris duplam repetitionē, & sociante fisco auri libras III. *& quod repetit euindicare nō prævaleat sed præsens charta firma permaneat stipulatione subnexa. Actum in villa Chambetz publice. Ego Podalus donationem hanc à me factam scribere rogaui. Sig. Ghisalmundo test. sig. Werinulfo test. sig. Libulfo testis sig. Strachulfo test. sig. Harimberto testis.*

Ego Arnulphus rogitus anno sexto Pipini Regis die Mercuris XII. *cal. Ian. scripsi & subscripsi.*

TEstatur & hæc charta Otomari tempore *Gallonem* dictum, quem hodie Gallum vocamus: quanquā parum refert isthæc expendisse, cum homines barbari & rudes quidlibet etiā alieni in lingua audeant, quod & testium nomina huic & superiori inserta docent, O litera gignendi casum terminantia, vt *Hamberto* pro Häberti, &c. Obseruanda potius sæculi illius opinio, quę id tribuit sanctis, quod scripturæ nō nisi Deo Patri per Iesum Christū tribuunt, imo (quod est insignius) donandū esse docuit illis, qui sanctos ita colunt, vt & adorent, & spem in ipsis ponāt salutis & iustitiæ, amorem interim IESV prætexentes & ad doni doctrinam referentes. quæ cum Euāgelio Christi ex diametro pugnant. Nihil enim vsquā petendum, orandum, postulandum à Deo Patre, docuit Christus, nisi suo in nomine, certò pollicitus impetraturos nos quicquid eum ad modum petierimus. Voluit aūt vt & egentibus largiremur non religionis, sed egestatis nomine, nihil minus ferē quàm otium luxu & crapula cōtaminatum. Quare perinde atq; in se collatū accepturum sese testatus est, quicquid in pauperes suos collatum per nos fuerit: Damnās interim & explodens illorum auaritiam, qui religionis nomine quæstum faciunt. Verum errori fatali non habuere sæcula illa quod opponerent. Receptum iam erat, vt pium & saluti accommodum, quod reipsa impium & noxium fuit. Serpsit aūt malum vsq; ad nostram ætatē ita specie pietatis fucatū, vt antea à pauciſſimis deprehensum & serò quidem, nec sine hæreseos nota inuasum & oppugnatum fuerit. Ex omnibus autē rebus monasterio S. Galli illis in locis donatis, nescio an vllæ sint hodie quæ adhuc possideantur. Reperio enim ante annos minimum trecentos oppignerata & diuendita fuisse prope omnia à prodiga illa & bellicosa nobilitate monastica: quæ profecto nihil inausum reliquit. Non modo enim sanguine & genere, sed etiam religione elata nihil sibi non licere putauit: neq; non suspensum est cæca admiratione vulgus partim religione, quæ dubia erat, obstricta partim eorum potentia & authoritate deterrita, qui magno suo emolumento horū studiis conatibusq; suffragabātur, admisso, & temporum præscriptione cōfirmato errore pertinaciter addicti. Nec aliud enim tum Principes orbis Christiani sentiebant, & piaculum erat priuatum quemquam vel suspicari de his vera piaque essent, nec ne, tanto consensu recepta inoleuissent. Vnde & militiam ingredi & stipendia merere mediæ antiquitatis Abbatibus libuit & licuit. Nostros enim Abbates armatis seruitiis & in militiam eductis Episcopo Basilienſi aduersum clarissimam vrbem Basileam suppetias tulisse olim, nec patum in alea illa Martis monastici de sorte decessisse monasterio, quod alias plus satis intestinæ & mira factionum turba excitatæ discordiæ afflixerant. Adhæc & Regibus affuisse, sed seruitia armasse, missileq; auxiliatum vel in Chronicis nostratibus legimus. Ad chartam autem vt reuertamur, non omittendum *Solitudinis* nomine non aliud illo tempore, quàm secessum, hoc est, heremum, significatum fuisse. Iuxta enim cellam Galli recens positam cultum & fertilem agrum fuisse ipse, qui Gallonis vitam scripsit, Walafridus testis est, & nos suprà attigimus. Potest autem vel in sylua parum

ampla

ampla etiam densa *solitudo* esse, nec aliud *solitudo*, quam à frequentia semotum significant. *Chambetz* autem locus vetustus, sed notus tamen nostris, & à B. Rhenano ostensus est, haud longe infra vrbem Basileam proxime Rhenũ *Cambetis* ab Antonino Aug. in Itinerario suo vocatus. *Vassos* dixit illa ætas quas hodie nõ minus barbaro vocabulo *Vassalles* vocant, illos qui feudi obligatione, quod *beneficiũ* tunc dicebatur, adstricti sunt. CASA *Dei*, barbara vox, sed illis sæculis Latina & protrita, quam nostri vulgo translatam (Gotteshauß dixere, hodieq; durante vocabulo non ambitioso modo, sed etiam affectato, quod æquis iudicibus expendendum relinquimus. *Domus* enim *Dei domus orationis est*, in qua nihil offertur ceu ex nobis (vt quæstum oblationum præteream) sed oratur & inuocatur Dei misericordia, quæ peccata nostra diluat, & resarciat iustitia sua per filium Christum, quæ fragilitas humana nõ potest assequi. Qualem domũ Christus memorabili exemplo semotæ de sacris auaritiæ instituit Matthæi 21. Vt nõ sit opus exeutere, tales sint casæ illæ monasteriorũ hodiernę, quę illis sæculis *casæ Dei* vocatę sunt nec ne? Res ipsa docet, orationum ne an negotiationum domus existant. Sed hac de re suprà dictum. Id nota dignum est, quod fere omiseramus. *In Dei nomine Audomarus Abbas præesse* dicitur, cum posteri *Dei gratia* dixerint: quibus titulis Episcopi & Abbates vtebantur ad humilitatis ostentationem, & quod sui ipsorum consci nihil haberent quod sibi tribuerent præter vnicam humilitatem Dei gratia nitentem. Nunc ea locutio ad factum & supinitatem adeoque apicem ipsum honorum omnem humilitatem abiicientem adhibetur. Denique vel illa ætate legum præscripto factum esse suprà diximus, vt rerum donatarum & legatarum violatoribus & fraudatoribus mulctę modus irrogaretur, & duplo damnarentur, præter pœnam fiscalem, qui res donatas repetere aut legata rescindere fuissent ausi. Hodie in diplomatis Cæsareis simile quiddã subscribitur certa pœna auri puri puri expressa, cuius pars dimidia parti læsæ, pars altera Cameræ Imperiali cedat. Quod sane in priuilegiis vulgaribus perquam vsitatum est, licet alia atque alia pœnæ cautione.

ALIVD EXEMPLVM DONATIONIS PAVLO COMPTIVS SVB CAROlo Pipini filio scriptum.

IN Dei nomine perpetrandum est vnicuique, quod Euangelica vox admonet dicens: Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Et item: Date, & dabitur vobis. Ideoque ego Othram huius promissionis veridica sententia fisus trado ad monasterium S. Galli, atque transfundo quicquid in pago Argunense in villa nuncupata Crimoltesheua nisus sum possidere tam domibus & ædificiis quam campis, pratis, siluis, aquis, aquarumq; ductibus, cultis & incultis, mobilibus atque immobilibus, omne scilicet quod dici aut nominari potest, ex integro ad iam priuatum cœnobium trado perpetualiter possidendum: in eam videlicet rationẽ, vt hoc ipsum ad me recipiam sub vsufructuario tempore vitæ meæ perfruendi, censumq; inde soluam annis singulis vnam seticam in quocunque pretio potuerim, similiterq; filius meus Wolaram faciat post meum obitum, totaque eius ventura cognatio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse (quod absit) aut aliquis de haeredibus vel proheredibus meis vel quælibet vlla opposita persona contra hanc chartam venire, aut eam irritam facere conauerit, affectum quem inchoauit, obtinere non valeat, & insuper etiam damnum incurrat, sociantique fisco multam componat: id sunt auri vncias II. & argenti pondera V. coactus exoluat: sed nihilo minus præsens chartula hæc omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnexa:

xa. Actum in Wazzarburc publice præsentibus, quorum hic signacula continentur. Signum Othram, qui hanc chartam fieri rogauit. sig. Wilhelm test. sig. Ruadini, Ruadpoldi, Reginhelmi. sig. Altrami, Richpoldt, Herigeri, Adalgeri. sig. Sigirochi, Hiltibaldi. sig. Reginonis, Wolfheri.

Ego itaque Hadaperius Presbyter rogitus scripsi & subscripsi XLI. *anno imperii Karoli Cæsaris, notaui diem Dominicum* III. *Idus Februarias.*

Sub Odalrico Comite.

COmes *Argunensis* hodie familiæ est Comitum, qui à Monteforti cognominantur: cuius ditioni vicus ille *Wasserburgensis* non ita dudum paruit. Extant aũt veterum donationum chartæ plusculæ, quæ palam innuunt opolentam fuisse Ecclesiam Wasserpurgẽsem, neq; alia causa postea præda auarorum hominũ facta est. Decimæ omnes illius sæculi Ecclesiarum erãt, quæ Principum (horum erãt inuestituræ) fauore partim nobilibus cõcessæ in beneficium & præscriptione occupatæ, ac dein cœnobiis vel venditæ sunt vel legatæ, partim ab ipsis Abbatibus *iure collationis* (vt vocant) obtento paulatim ademptæ parochiis & in monasteria translatæ sunt, quod & illi Ecclesiæ accidit. Annũ enim circiter MCCLXXXVIII. Chuono monasterii Sãgallensis Abbas iure; vt dixi, collationis animatus iam dictam Ecclesiam Wasserburgensem mẽsæ cœnobii incorporauit. (Sic enim loquuntur) cui rei vt parum dignæ piæq; cum Comites eius loci sese opposuissent, demum à Purghardo Episcopo Constantiensi transigente ea cõditione transactum est, vt aureos numos Rhenenses mille quingentos ab Abbate acciperent, Ecclesiæ reditibus interim pro sorte ipsi & annua vsura oppigneratis, donec prædicta summa numeraretur, quam Huldericus postea eius nominis Abbas postremus soluit & numerauit Constantiæ anno Dom. MCCCLXI. Pertenues initio erant decimæ nostrates, præsertim ex vinetis: nec tantum erat vineatũ plurimis Alemanniæ locis, quantum hodie colitur. Rarus hoc & perpaucus vini vsus faciebat. Inde cum luxu & crapula pretium creuit, & cum pretio cultura: quæ tamen adeo nõ profecit vinetis vel latissime propagatis, quin à proximo sæculo vini æstimatio multis in locis tripli & amplius accessione sit aucta, neq; finis hodie incrementi, cum & mulieres cõmessari & perpotare cœperint. Nõ meminit aũt hęc charta vineatum, sicut superiores Sungauicæ & Brisgauicæ, vt coniectura sit minime leuis Caroli tẽpore nulla dum illo loco vineta, aut certe paucissima fuisse. Porro ne quem moretur aut suspẽsum teneat annus quadragesimus primus imperii Caroli, quem hæc charta ponit, quũ annis ipsum non pluribus quatuordecim imperasse cõstet: Sciendũ est, scriptores rerum & tẽporum Caroli nõnunquam & Regni & imperii annos cõfundere solere, & iam regni iam imperii nomine cõplecti. Quod & viuente Carolo factũ esse præsens charta, quæ sexto anno ante excessum eius scripta est, cõfirmat. Mortuo n. Pipino Rege Carolus filius eius anno ætatis XXV. cum fratre Carolomãno regni habenas susscepit, cum fratre autem annis tribus solus, postea triginta annis regnauit, Inde Imperator factus quartodecimo anno imperii, ætatis aũt LXXII. vt in vita eius Eginhartus scribit, Aquis mortuus est. Colligũtur igitur anni Caroli cum regni tum imperii eius quadraginta septem. Qui numerus in inscriptione tumuli eius, quod Aquis etiamnum exstat, palam legitur. Vnde factum, vt & hic chartularius annum quadragesimum primum imperio Caroli tribuerit, regni scilicet annis ad imperii annos adiectis. Et *Cæsarem* etiam appellarit eum qui nõn Cæsar (vt veteri more loquamur) sed *Augustus* erat. Fuere enim in imperio vrbis

Cæsa-

Cæsares interdum non Augusti, sed ab Augustis viuentibus cooptati, aut aliunde ad imperiũ acciti aut designati: qui demum Senatus authoritate Augustorum nomine consecrabantur. Vidimus autem chartas veteres, in quibus anni regni & imperii Caroli diuisim erant subscripti ad hunc modum: *Anno imperii eius* II. *Regni vero* XXXV. Itẽ hoc modo: *Ego in Dei nomine Vernicher peccator vocatus Presbyter rogitus scripsi & subscripsi, notaui diẽ* XIII. *Kalend. Octob. An.* XLIV. *regnante Domino nostro Carolo* Rege *Francorum & Longobardorum, & anno* XI. *Imperatore & Gubernatore Romanorum. Seigam* autem & item *Saigam* aliis itidem in chartis legimus; qua tamen voce quid illa ætas significarit, nõ omnium vna est opinio. Audiui quidem qui scrofam significare coniicerent, illo moti, quod plusculis in chartis *frisinga Seiga* legitur, interim seorsim etiam *frisinga* quę in censum data sit. *Frisingam* autem dici putant scrofam adultam, quæ ad pariendum lactandumq; idonea esse queat. à lactando enim *Saigam* quasi Seugam dictam: *Frisingam* autem ab ætate adulta. Nam & nostri venatores porcum syluestrum anniculum aut adultum Frischling vocãt. Sunt alii qui mensuræ frumentariæ genus esse putant. Nos in codice nostro peruetusto legis Ripuariæ inuenimus *Saigam vel Seigam quartam partem tremissis* fuisse: *Tremissem* autem *tertiam partem assis*, hoc est solidi habuisse. *Solidus* autem vt primo libro est dictum, duodecim denarios habebat. Verum *solidus* dicebatur apud Gallos numus aureus tempore etiam Francorum. In quodã enim rescripto Leonis Imp. Orientis & Maiorani, qui post Valentinianum Iuniorem & Anisum Rauennæ purpuram induit, in hæc verba legitur de exactoribus: *Nullus solidum integri ponderis calumnioſæ improbationis obtentu recuſet exactor, excepto eo gallico, cuius aurum minore æſtimatione taxatur.* Vt inde coniici possit vel aurei solidi duodecimam partem Seigæ nomine significari potuisse. In codice etiam Theodosiano *solidorum adulteratorum* fit mẽtio. Capite autem plectebantur, Constantino iubente, si quis de margine solidi quicquam decidisset. Illud quoq; in hac charta obseruandum, rerum donatarũ possessionem non videri concessam sub censu, nisi hæredibus recta linea descendentibus, frequenter autem masculis, quibus deficientibus res donatæ monasterio tandem concesserint.

Donarunt autem & Matronæ monasteriis non parum, atq; id quidem sine tutoris indicato nomine: quod iure tamen nostri exigunt, si vel donatum vel legatum ratum esse debeat. Libuit autem exemplum chartæ sub Carolo scriptum adducere, quod in hæc verba habebat:

IN Dei nomine. Ego Cotauuina ancilla Dei, dono atque trado ad monaſterium ſancti Galloni, vbi eius ſacrus requieſcit corpus: & hoc eſt quod trado, quod ego in Lutinach viſura ſum habere, & in alio loco, qui dicitur Beffindorffi *& in locis, campis, ſiluis, & omnia quæ ibidem viſura ſum habere, & caſatos tres his nominibus Ragingærius cum infantes ſuos his nominibus* Rihgero, Wantilo, Waltricho; *& vxore ſua Faſtrata, & filio eorum* Wolfrido, *& ſeruo eius Iſamberto, & alio ſeruo nomine* Wote, *& Haccone qui eſt in concambio cum* Wichardo. *Redemere ſe vult, det alium mancipium* XI. *manuum longum. Hi ſunt teſtes qui præſentes fuerunt & ſignauerunt. ſig. Cotauuinæ quæ hãc traditionem fieri rogauit. ſig.* Wichardi. *ſig. Tuto. ſig.* Wolthahar. *ſig. Amalger. Theotbald. ſig. Maerolt. ſig. Tuilo. ſig.* Wolfberti, *ſig.* Aſthari.

Ego itaque Albuinus Clericus rogitus ab Cotauuina hanc chartulam ſcripſi ſub die VII. *calend. Octob. in anno* I. *regnante Carolomanno* Rege.

NEque hæc quidem charta Comitis nomen habet inscriptum solito more, quod nulli causæ magis adscribendum puto, quam scribarũ, nõ inertiæ

tiæ modo, sed negligentiæ etiam in circumspectæ, tolleratę tamen ætate tam simplici & indoctæ, cum lege Alemannorum aliud postularetur. Barbariem prodit *Gallonis* vocabulum & *sacrus corpus. Carlomannus* autem, cuius hoc loco mentio fit, frater fuit Caroli M. ex Bertha Heraclii Imperatoris filia, quę tribus annis cum fratre regnasse ante dictum est. Supra quidem Carolomanni meminimus fratris Pipini, qui non Rex, sed Maiordomus fuit. Regnauit autem Carolomannus apud Francos Austrosios, quorum pars erant Alemanni mortuus autem non monachus, vt quidā somniant, sed Rex, pridie Non. Decemb. anno Dom. DCCLXXI. ex quo tempore Carolus M. solus Franciæ præfuit. *Casatorum & casalium* sæpe meminere chartæ: qua voce, ni fallor, libertini generis homines & coloni intelliguntur, qui conductum inhabitabant. Locantur n. hodieq; villæ & casæ certa redituum aut census cōdictione, nec vna locationis specie. Diuersi erant ab illis serui, quos hodie vulgo **Leibeigen Leut** vocant, de quibus infra dicemus. Frequēs vero fuit seruorum cōcambium, quali Haco in hac charta pro Wicharolo receptus, optione relicta redimēdi sese sed alio mancipio, q; vndecim manuum, id est palmorum longum existat, quæ mensura adulti mancipii est. Mirum autem seruum ceu truncum mensura magis quàm ætate æstimari solitum ex lege Ripuaria, quę de alieno seruo occiso sic habet: *Si quis seruum alienum occiderit solidos* XII. *in capitale restituat, aut cum alio seruo, qui habebat* XIIII. *palmas cum police replicato & duos digitos in longitudinem, & tres solidos in alio pretio superponat. quod fiunt simul solidi* XV. O dura & aspera fæcula! *Manus* mēsura quatuor digitorum est, quæ & *palmus* dicitur. Atqui hic iterum sese offerunt Germanica testium nomina, aspera quidem & ipso sono horrorem quendā præferentia, sed quæ ipsa tamen Germanis nō minus apte significarint quàm Græca Græcis, & Latina Latinis. Nō temere enim, sed ratione & de natura moribusq; enata causa imposita sunt, quanquā originē & etymologiam in multis hodie perdifficilis sit deprehendere propter vitiata longo abusu nomina, & mutatā à posteris scribendi rationem. De qua re libro rerum Germanicarū tertio scitè ab Rhenano est proditum. Sæpe aūt in antiquis chartis & omnibus fere quas supra posuimus, quum monasterii S. Galli mentio fit, additur q; in eo ipso *corpore suo requiescat*, tanto assueverationis studio vt videri queat, dubitatū de ea re fuisse. Nam Fuldæ dormire Gallum Vicentius affirmat, Volaterranus aūt in Gallia Boruigii corpus ipsius quiescere scribit: apud Walafridū in vita Galli legimus, fuisse qui corpus eius auferre fuerint conati, sed frustra Bosone Episcopo Cōstantiense postea violatum sepulchrum redintegrante, à quo Gallus inter Diuos relatus, & (vt ipsorum verbo vtar) Canonizatus est, sicuti & Othomarum Salomon primus eius nominis Episcopus Cōstantiensis, CXL. demum annis ab obitu eius, tempore Arnolphi Imp. sanctorum catalogo inscripsit. Nulla enim tum in his Papæ authoritas in Germania erat, sed Episcopis ius illud indigetandi, & in canonem sanctorum referendi pro more veteri Francorum in Ecclesiis sibi subiectis competebat, quod Pontifex Romanus soli sibi hodie vsurpauit, vt alia pleraque.

ALIVD EXEMPLVM DONATIONIS CVM CONDITIONE SVB LVDEVVICO Caroli F. scriptum.

IN *Dei nomine. Ego Eburnuin & frater meus Eburhart tradimus ad monasterium S. Galli pro animarum nostrarum remedio & aterna retributione, quicquid in villa*

Morunsuuilare vel in eadem marca vsi sumus, habere, id est, campis, siluis, aquis, aquarumve decursibus, quicquid dici aut nominari potest sub ea ratione, vt ipsas res ad nos recipiamus, censumq; annis singulis inde persoluamus, id est medium solidum in argento, aut in alio pretio. Et post nostrum amborum discessum, prædicti fratris mei Eburhart legitimi procreati filii cum sua posteritate cum eodem censu proseruiant, & si ipsi legitima posteritas defuerit, post obitum nostrum præfatæ res ad ipsum monasterium redeant perpetim possidendæ. Si quis vero istam chartulam irrumpere voluerit, conatus sui priuetur effectu, & in ærarium Regis auri vncias tres, argenti pondera quinq; coactus persoluat, & nihilominus hæc chartula stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio publice præsentibus istis. Signum authorum Eburuuini & Eburharti, qui hanc traditionem fieri voluerunt. sig. Meginberti. sig. Hilti. sig. Tagoberti. sig. Adalperti. sig. Keppo. sig. Kraganhart. sig. Puazo. sig. Wolfgeri. sig. Waldperti. sig. Wolfolt. sig. Magenolt. sig. Fridubert.

Ego itaque Richpert rogatus scripsi & subscripsi. notani diem Dominicum XV. *Kalend. Octob.* XVIIII. *anno Ludouuici Imperatoris.*

HIc est *Ludouuicus*, quem Carolus M. ex Hildegarde Sueuorum Ducissa genitum prius Regem Aquitaniæ constituit, deinde omnium cõsensu & fauore diademate redimitum Cæsarem eum & Imperii cõsortem fecit. Patre mortuo à Stephano IIII. in Galliam proficiscente salutatus & vnctus est: PIVS postea ob morum lenitatem, & quod adesse religioni videretur, appellatus, cuius imperii anni viginti sex numerantur, vt constet septem annis ante obitum eius scriptam esse hanc chartam, quæ paulo est cultior, quàm illæ sunt, quas hactenus retulimus. Villæ, cui in ea fit mentio, dimidio miliaris
1 Germanici ab oppido nostro distat, vulgo **Mörsswcilen**, in qua cum proximis annis duobus in loculis humi repertis duo cadauera extarent ita compositis & concinnatis ossibus, vt hominem prope integrum referrent, repente tanquam ad sanctos accursum est, nec sine miraculis, demum & æde sacra in eo loco extructa, quam nunc cernimus. Arbitror autem ingenuam aliquã gentem illic habitasse, cuius familiæ Ebruinus ille & frater Eberhardus fuerint. Iam quod *alius precii* quàm argenti meminit, quo *solidus medius* solueretur satis innuit Francos & Alemannos haud vno numismatis genere fuisse vsos, puriore tamen haud dubie integrioreq; quàm hodie vtimur. Ex nummis tamen, qui proximis in agris magna copia effodiuntur, nuper etiã in ipsa vrbe effossis, non memini me vllos vidisse alius monetæ, quàm Alemannicæ. Reperiuntur quidem & Romani vetusti, sed rari & paucis in locis. Trita autem Francis & Alemannis nomina, *Libra*, *Marca*, *vncia*, *pondo*, quorum tamen corrupte scribæ illi *Pondus* vocant, quum aliud significet *pondus* quàm *pondo*. Durant autem vulgo *Marcæ* & *Pondo* nomina, **Marckh vnd Pfundt**. Idem porro
2 significant *libra* & *pondo* Latinis scriptoribus. Habet *libra* marcas duas, vncias vero sedecim. Est enim *vncia* octaua pars marcę, sexta decima librę. qua ponderis diuisione hodieq; vtuntur fabri monetarii, æstimatione quidem argenti non mutata modo, sed passim etiam immodica æris admixtione vitiata: Siquidem & publicum orbis bonum, summa quondam sinceritate tractatum, hodie in quæstum & impostturam degenerauit. Sunt enim quorum inexplebilem cupiditatem non pudet vllius lucri, & cuperem esse quàm plurimos, qui factum tam improbũ criminis loco haberent, nec inultũ transmitterent. *Ærarium* aũt vocat chartularius ille, quod alii *fiscum*, nostri vulgo *Cameram Principis*. *Fisci* n. nomine publica pecunia Principis significatur: vnde & *Aduocati fisci* dicti publicæ pecuniæ Procuratores & Rationales, vulgo etiã *fiscales*, & *Camera aduocati*, qui eam functionẽ Imperatoris nomine gerunt. *Stipulationis*

tionis autem prope omnibus in chartis fit mentio, quâ qui donasset, palam interrogatus ratam haberet donationem nec ne? ratam se habere promittebat. Quo more apud nos manu etiam cõserta in contrahendo transigendoq; frequẽter vtimur, nostra lingua dicunt, Mit der Handt verheissen/ verſprechen/ oder in die Handt ſchlagen/ dar ſchlagen/ trew geben. *Stipulatio* enim est (vt definiũt Iurisconsulti) *conceptio verborum, quibus qui interrogatur daturum factumve id, quod interrogatus est respondet.*

Inter donationes Prædiorum, quæ sub annuo reditu recipiebantur, quædam fiebant cõditione redemptionis: quædam redemptionẽ prorsus auferebant. Huius exemplum adscribere libuit.

EGo *in Dei nomine* Wolfger *una cum manu filii mei* Engilgari (ecce hic *manum* pro stipulatione) *consentientis tradimus ad monasterium N. pro remedio animæ nostræ, parentumq; nostrorum. quicquid in* Vzzinruida *& in* Bubinuuilare *vel in eadem marca visi sumus habere, cum domibus, ædificiis, pratis, campis, pascuis, siluis, viis, aquis, aquarum decursibus, quicquid dici aut nominari potest, nihil extra dimittens. sed omnia tradens ad præfatum cœnobion, sub ea conuenientia vt eadem res ad nos recipiamus, & annis singulis censum inde persoluamus, id est vnum denarium: similiter & tota procreatio nostra legitima, si easdem res habere voluerit, faciat. Quod si legitimi hæredes defecerint, a nobis vtriq; geniti, tunc* Altagund *filia mea & soror* Engilgarii *filii mei præfatas res ad se reciptat, & prædictum censum persoluat, redimẽdi q. licentiam nec ego, nec* Wolfger, *nec* Engilger, *nec* Altagund, *nec vllus de hæredibus nostris habeamus. Si autem legitima nostra procreatio defecerit, tunc ad sæpedictum monasterium N. prædictæ res redeant in æuum possidendæ. Nullus hanc chartulam à nobis factam irrumpere audeat, quod si quis hoc præsumpserit, illa componat quæ in Lege Alemannorum continentur. Actum in* Vzzinrieda, *præsentibus istis, quorum hæc signacula cõtinentur. Signa authorum* Wolfgeri *&* Engilgeri *filii consentientis. sig.* Hettari, Ruadpert, Perachtolf, Helidolf, Kermunt, Reginolt, Hebinolf, Ruadpolt, Kebehart, Walto, Rising.

Ego itaque Edilleoz *indignus Diaconus scripsi & subscripsi. Notaui diem Mercurii* VIII. *Kalend. Augusti. An.* XIII. *Hludouuici Regis in Orientali Francia.*

Sub Gerolte *Comite.*

APparet scribas vel illis sæculis generalem quandam formulam secutos, quemadmodũ & nostri hodie in emptionis, venditionis & aliorũ contractuum tabulis conficiendis exemplari vtuntur. Varie aũt de redimẽdo cauebatur; expressa semper pecuniæ summa, qua bona donata quirent redimi. Alicubi solis illis, qui donassent, facultate redemptionis concessa, interdum & hæredibus, frequenter aũt & in mares cõputata posteritate, vt si amplius filii legitime procreati non essent res donatæ cœnobio monasteriove cederent. Plane Mosaicum quiddam sequi & vulgo persuadere horum temporũ religiosis libuit. Multum enim tribuit lex nimirum mystica non templo modo, sed templi etiam sacerdotibus. Vnde illi iustitiæ suæ legem Moysi, quàm Christi Euangelium, accõmodare ac velut instaurare abrogatam illam maluerunt. Inde enim orandi & offerendi pro peccatis, inde in otio agendi & ab aliarum rerum cura vacandi morem, inde habitum prope omnem ceremonialem deprompsere, votum etiam suum & radendi morem ad ostentationem sanctimoniæ inde translatum esse, certũ est; hoc insuper addito fœnore vt quod in lege temporarium fuerat, ipsi sibi perpetuum imponerẽt, quodq; ad tempus nec nisi in figura lex iusserat, illi abrogatum reducerent; & iustitiæ Euangelii longe maxime præferrent. Proinde non admissi modo Iudæorum more vltro donantes, sed inuitati etiam & illecti sunt spe sanctificationis &

remissionis peccatorum: eumq; ad modum actum cum rebus donatis, quomodo lex Leuitici vltimo capite cum iis, quæ voto donata oblatave fuissẽt agendum decreuerat. Siquidem & lex de rerum donatarum redemtione statuerat, & licebat quædam redimi, quędam non licebat. De censu aũt ita cautum in multis chartis legimus, vt qui negligenter soluerent, iure possessionis priuarẽtur. Charta vna Caroli Regis quadragesimo & secundo anno Regni Italici Pipini filii eius scripta de censu in hæc verba cauebat: *Si vero vno anno illum censum neglexerint, aut non quiuerint reddere, & illum pro me solidum dare non potuerint, in altero dupliciter soluant: sin autem tertio, tripliciter: si vero deinceps negligẽtes apparuerint, supradictæ res ad iam præfatum* cœnobium (*Cloſtareum* vocabat) *redeant perpetualiter ad possidendum*, &c. Sæpe aũt minimũ cẽsum, videlicet denarii vnius, datum & acceptũ legimus, haud quidẽ vtilitatis causa, sed cõtestationis de re donata, quo hęredes admoniti semel factam donationẽ agnoscerent, & eo modo ratam sinerent. Res donatæ, quæ vel morte donantis, vel hæredũ defectione in ius & potestatẽ cœnobiorũ venissent, subinde aliis atq; aliis grauaminibus locabantur, nec nisi precario, interdum, sed rarius tamen cõcambio mutatæ varia cõditione. Vnde & locationis genus illud exortum cõiicio, quod hodie fauore Principũ nõnulli Abbates exercent, vulgo feudũ appellatũ, quod origine ipsa nec canonici, nec monastici, sed ciuilis iuris est, cœnobiis tamen occasione donationum permissum. Tenuibus aũt initiis (vt est ingeniosa ambitio) maior postea facultas accessit, neq; nõ & addidit fratrũ auaritia, fraude & calumniis refertum: hodieq; nõ locata precariove possessa bona, sed ꝓpria multis in locis feudi obligatione tenẽtur. Porro quod in charta scriptũ est (*illa componat quæ in lege Alemannorum*) illius tẽporis vsu & more est factũ. Nam *componere*, hoc est ponere, seu soluere transactione interueniente pœnã vel mulctã fisco vel ærario, vel ad fiscum ærariumve dixere, ꝓ eo quod est æratio inferre. quibus pœnis plusculæ chartæ excõmunicationẽ iam tum abusui patentem adiiciebant. Ex lege autem his, qui fidem fregissent, mulcta irrogabatur non ærario modo, sed fidem etiam seruãti parti soluenda: quod ipsum hodieq; Principũ diplomata referunt, vt supra diximus.

Ludouuicus aũt, cuius hæc charta meminit, filius fuit Ludouuici Pii ex Irmingarda priore coniuge (duas enim vxores habuit) *Iunior* deinde cognominatus, quãuis *Seniorem* eum Otho Frisingensis cognominarit, ad filiũ scilicet ex ipso genitum respiciens. Hic ingẽti expeditione Pannoniam perculit, & & Boiohemiã vastauit anno Dom. DCCCXLVI. Duce ipsorũ Rasto capto & exoculato. In ea pugna graue vulnus capite excepit. Multis postea annis regno Francorũ potitus, postremo in vrbe Alemãniæ Francofordia decessit, & I Laureacẽsi in cœnobio sepult⁹ est. Alii inde vectũ Cãpodunum nobilẽ Rhetiæ primæ vrbẽ, & iuxta matrẽ Irmingardã sepultũ tradunt, cuius postea ossa exhumata in summa veneratione monachis illis habita sint, quod quidẽ beneficẽtiæ & liberalitati ei⁹ Cãpodunenses debere se existimarũt. Multis n. in locis hoc tributũ est fundatoribus auctoribusq; monasteriorũ, vt inter Diuos referrẽtur, adeoq; verũ est, q ꝓ à C. Plinio dictũ est, *Hominẽ homini esse Deũ*, atq; hanc vnã esse ad immortalitatẽ viam. Hoc n. honore etiam Welfonem IIII. veneratur cœnobiũ Altorfense, quod hodie Weingartense vocant proxime Rauenspurgum, in liberalitatis & beneficentiæ memoriã. Fuere n. Vvelfi seu Vvelfones (vt & hoc obiter notemus) Comites eius loci nobilissimi etiam Caroli M. ætate, postea Duces alicubi creati. Et est in literas relatum, Ludouuicum Caroli filium post mortuam Irmingardin, cuius iam meminimus, Iuditham Vvelfam vxorẽ duxisse, ex qua Carolũ cognomẽto Caluũ genuit. Guelforum sanguinis fuit etiã Chunradus Comes, q postea Episcopus Cõstantiensis

tiensis inter sanctos relatus est, quum anno Dom. DCCCLXXVI. ex humanis excessisset. Comites autem dicti sunt Welfi per excellentiam, lingua nostra, Die Graffen: tanta horum auctoritas & dignitas erat. Vnde certa coniectura adducor vt existimem, *Grauenspurgum* vocatum præclarum illud Rhetiæ primæ oppidum, quod hodie prima littera elisa Rauenspurgum vocitat. Testantur enim veteres Chronographi arcē istam in colle hiram, *Rauenspurgum* dictam, planiciem autem sub arce *Rauenouuam*, vbi quondam vicus erat, nūc oppidum à colle in planiciem decliue cernitur. Habet autem etiam noster sermo vulgaris hunc morē, vt litteras pronuntiatu difficiliores frequenter elidat aut intermittat. Hodie nulla illic arx cernitur, sed humile tantū ædificium in colle eius præfecturæ, quam Sueuicam cognominant, nuper in pignus datæ Baronibus à Waldpurg, qui vulgo Dapiferi vocantur. Ante aūt dictum, & hic rursum monendum; *Franciam orientalem* nón illam modo significatam videri, quę hodie ad Mœnum amnem celebris est; sed tractum etiam Heluetiæ & Rheriæ primæ ferme totum, quem illa ætas & ipsum Frāciæ nomine complectebatur. Huius partem Rheno imminentem *Austrasiam* vocabant scribæ Gallici, veluti Ostrasiam, hoc est an Orientem versam incolētes. Nam & *Ostrofrancos* dictos veteribus in Chronicis legimus *Francos Orientales*, & *Theutonicos*, quoniā Germanica maxime lingua vterētur, interiore *Francia* interim *Romana*, quod in ea prouinciali lingua vti non desiissent, quali hodie *Gallofranci* cognominati vtuntur. Et Otho Frising. Franciæ Orientali, quā & *Theutonicum regnum* vocat, Baioariam, Sueuiam, Saxoniā, Thuringiam, Frysiam & Lotharingiam tribuit. Nec inani coniectura ducitur Rhenanus, *Westriam* aliquando dictam Franciæ partē occiduam, quæ hodie corruptè *Neustria* dicitur. Quondam enim & Gotthi, Germania licet lōgo interuallo dissiti, hisce veluti notis discernebantur, vt qui Orientem versus habitarēt *Ostrogotthi*, qui in occidente *Westgotti*, ac deinde *Wisogotthi* dicti fuerint. Ost enim Germanic Eurum, West Fauonium significat.

Sæpe autem factum est, vt homines liberi se ipsos cum rebus suis omnibus victus & alimoniæ gratia monasteriis pacto aliquo interueniente addicerēt. Et anteā dictum est, monasteria & collegia vetusta non tam cœnobia fuisse, quàm xenodochia. Quare & alimentarios habuere, vt hodie quoq;, cœnobia antiqua. vnde etiamnum alimoniæ coemptæ chartæ exstant, quarum vnam peruoterem & semilatinam vidimus, quæ hunc in modum habebat:

IN Christo nomine. Nos vero Cauzoinus cōstat me dare atque donare Audomaro Abbati de paruula terrula mea pro mercida animæ meæ, vel pro seruitium, vel pro nudrigamentum, quod interuino seruio Audomaro; & ille me nutriet tue potestate quantum ad me pertinet casa, sala, orta, agra, prada, in pomiferis, in siluis fructiferis, in pascuis, agris & accessos suis, omnia ex omnibus ex integro quantum in mea villa ad ipsum locum pertinet. Et si quis quod non credimus aliquis aliquando heredis meus contra hunc factum, quod ego pro mercida mea vel per nudrimentum quæ me Audomarus nutriet, ire temptare aut irrumpere voluerit, sit excommunicandus à sancta Ecclesia & soluat iudiciali liueras duas, & cartula donationis sua obtineat firmitate, Aquilianis Acattanis leges & stipulationis qui ad omnium chartarum accommodat firmitatem. Facta chartula donationis anno XXX. post regnum Domini nostri Tagoberti Regis die III. Kalend. Septemb. sub præsentia ista qui ab ipso rogedi sunt, subscriptum vel signo factum. Notaui diem & regnum & testis qui ab eo subscriuere conrogauerunt. Signum Cauzoini, qui hanc chartulam fieri rogauit. sig. Paldoaldi test. sig. Askeri test. sig. wolfroaldi. test. sig. Lantcodi test. Lantonii test. sig. Trudolfi testis. Ego Audo Clericus rogitus ad Cauzoint hanc chartulam scripsi & in testimonio sum. Ego wolfuinus fui inter vbi hunc

chartula facta est in testimonio subscripsi chartula donationis Audomaro Abbatis fruiscat cum gratia Dei & sancti Petri.

QVid vero indoctius insulsiusve charta ista esse poterit, quæ plus satis immodicam horum temporum barbariem indicat? Nec mirum in populo tam rudi nuperq; ad fidem Christi conuerso. Paucis enim annis ante Otomarum Abbatem Germani plurimi, Francorum victoriis adducti, Christianę sese religioni submiserunt. Illud cōstat contemptibili in loco habitos fuisse Abbates quosdā tum apud Nobiles, qui studiū illud opum in monachis parū æquo animo ferebāt. tum etiā apud Episcopos, quibus Abbates erant suspecti. Quare & Otomaro accidit, vt auctis sua opera cumulatisq; quadamtenus cœnobii rebus subinde non ab exteris modo, sed à suis etiam vexatus, deinde & Abbatia deiectus alieno in solo mortuus fuerit, cœnobii iure in Episcopos aliquot Constantienses translato, qui & ipsi (vt erant tempora) ad quæstum & cōmodum intenti cœnobiis Regum fauore occupandis regendisq; inhiabant. Sidonius quidem Constantiensis Episcopus insolentius viuo dū Otomaro, deinde Ioannes & ipse parū sedati animi, post quem Egino trāquilliore paulo, & proxime Eginonem Wolfleozus Antistes, Sāgalli monasterij perpetua successione administrarūt, lecto quidē interim Abbate, sed sine fructu. Nec tutum n. quicquā nec quietum monachis nostris fuit vsq; in Grimoaldū, qui Ludouici Iunioris à sacris, quāuis monachus non esset: tamen monasterium (vt supra est dictū) annuente Principe in beneficiū accepit. Vsq; adeo vel illis sæculis inauspicatum fuit monachis diuitiarum studium iam olim damnatū profcissumq; in his, qui sæculo nuntium remisissent, quod Magnus ille monachorum parens Gregorius, & ante eum Benedictus Basilium imitati non tam doctrina, quàm vitæ exemplo tantopere sunt detestati. Porro q; *Aquilianarum* & *Arcadianarum legum* chartularius ille meminit, satis innuit Francos & Alemānos Romanas leges vel ante obtentū Italię regnū nō ignorasse. Harum n prescripto Romani occupatas ab illis prouincias administrarant. Christianorum aūt principum leges primus omniū D. Theodosius Iunior Imp. Christianissimus à Constantino I. Christiano Imp. orsus codice vno cōplexus est, qui & *Theodosianus* est dictus. Post quē annis minimū centum Iustinianus Imp. quæstoris sui Triboniani inprimis opera vsus, eum codicē, qui hodie in vsu est, ædidit plurimis legibus è Theodosii voluminibus in sua translatis, Ethnicorū etiā Principum, qui Cōstantinum præcesserāt legibus insertis. Quod ipsum studio ne ordinis aut æquitatis iuuādę, an magis in contemptū Christianismi factū sit, incertum est, etiāsi cōstet Tribonianum non sordidū modo hominē, sed impium etiā fuisse. Potuit igitur Ludouico Hilderici filio, qui primus Francorum ad fidē Christi cōuersus est, filiisq; eius & nepotibus Theodosii codex notus esse nondū edito Iustiniani codice. Hic n. imperare cœpit, quum in Frācia regnarēt Ludouici filii. Verū posteris Francis & Alemannis hoc maxime tēpore, quo hæc charta scripta est, notus esse & Iustinianus potuit. Et extant leges Arcadii Imp. quæ instrumenta omnia legitime cōfecta rata esse iubet, vt videre est in codice tum Theodosii, tum etiā Iustiniani, vbi de testamētis agitur. Lege aūt Aquilia tenebatur etiā ille, qui chyrographum aut testamentū deleuisset: longe magis igitur qui violasset. Inde est, q; legum illarū insulsissimus ille scriba obiter meminit. Fuit aūt *Tagouuertus* ille, cuius hoc loco fit mentio, secundus eius nominis Francorum Rex, Theodorichi IIII. pater, quem cōstare video Anno Dom. DCCXV. de hac luce migrasse, filiolo Theodorico relicto, quem Carolo Martello Maioridomus Franciæ ipse moriens commendarat. Ante vero dictum à nobis hoc barbariores videri chartas Alemānicas quo sunt vetustiores. Nec

facile

facile dixerim quid à scriba illo sit vocabulo *fruniscat* significatũ, nisi verosimile est veterẽ vocem & (vt Festus Pompeius author est) Catonianam *fruniscor* exprimere eum voluisse. Cato enim *fruniscor* vsurpauit pro fruor aut fruiscor, & *frunitum* dixit prudentem quod eo frui liceret. Et sic Wolfuinum dicere voluisse, fruniscatur Otomarus donatione illa, cuius chartam ego subscripsi cum gratia Dei & sancti Petri: nisi *fruniscor* a voce monosyllaba *fron* enatum videri queat, qua Germani veteres commune publicum & populare dicebant: Hinc composita **Fronfast / Fronfreuz / Frongart / Fronzehend** / & **fronen** multis in locis de seruis dicitur, quando communes & debitas dominis suis operas præstant. Sed ô duram & ineluibilem barbariem maiorum nostrorum, quibus longo tempore nec Latine, nec Germanice scribere concessum fuit!

Vidimus & aliam coemptæ alimoniæ chartam, sed non tam barbaram, quam etiam adscribere libuit.

EGo Wildebold senio meo prouidens & ei quæ illud comitari solet penuria, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Hartmutus præst, terrulam meam, quam habeo in Vzonuuilare, hoc est XX. *ingera, eo pacto, vt ipsa terrula ad domum peregrinorum seruiat, & ego ibi in domo Hospitum suscipiar, & vsque ad finem vitæ meæ ibi victum & vestitum habeam sicut primus illorum iuniorum, hoc est omnibus annis vestimentum lineum, & aliud laneum, & tertio anno pallium. si vetus ita attritum est, & calciamenta & alias impensas accipiam sicut cæteri in ipso ministerio. Et hoc volo vt ipsa possessiuncula nulli vnquam in beneficium præstetur. quod si factum fuerit, vt ille ager ab Hospitali tollatur, & ego ibi victualia mea habeam, meaque mihi absque vllius contradictione vindicem. Actum in ipso monasterio præsentibus, quorum hic signa tenentur. sig. Engilrammi Hospitarii. sig. Hertarii. centurionis & aliorum testiũ. sig. Wilheri. sig. Waldpert. sig. Hartman. sig. Richpert. sig. Tancpert. sig. Ruodpert.*

Ego itaque Notker ad vicem Winidharti monachi scripsi & subscripsi, notaui diem Dominicum XVI. *Kalend. Iun. Annum* XXX. *tertium regni Hludouici Iunioris.*

Sub Adalberto Comite Durgauensi.

SEdulam illam & vigilantem cũram pauperum peregrinorum, cuius prioris libro meminimus, hæc charta confirmat. *Peregrini* autem à Germanis **Belgerin** corrupte dicti ex Latina voce, qui hodie vulgo **Bilgeri**/ id est peregrini appellantur. Durat adhuc *domus peregrinorum*, seu *Hospitale pauperum* cognominatum proxime ædem Otomaro dicatam, quod nunc *Hospitale fratrum*, dicitur, Sãcti etiam Otomari antiquis in monumentis nuncupatum & magnis quondam reditibus instructum. *Iuniores* autem delecti videntur Notkeri tempore ad pauperum & peregrinorum famulatũ fratres laici, vt eo ministerio exerciti & assuefacti hoc aptiores ad reliquam disciplinam monasticam ferendã fierẽt, quo prõptiores pauperum sese curæ submisissent. Hodie in eadẽ domo palliati incedunt laici fraterculi & quidem barbati, sed vnico tamen monachorum famulatu districti & occupati. Pauperum enim cura in totum exoleuit. Fuit autem *Notkerus* monachus ille Sangallensis, qui & ipse demum inter Diuos relatus est præstãti quidẽ ingenio, sed parum felici fuit ob barbariem in quam inciderat. Poeticen & Musicen præcipuo studio coluit. Extat n. vita B. Galli se authore hexametris versibus descripta duris quidem illis & incomptis, sed raris tamen illo sæculo. Liutuuardo autem Vercellensi Episcopo & sancti Columbani Abbati, Cancellario autem Caroli Grossi, senex librum canticorum, quas *Sequentias* vocant, Germanis fratri-

bus & aulicis quidem Othario & Salamone flagitantibus inscripsit; vtroque in opere Isone quodam & Marcello, qui Sangalli docebant, magistris & præceptoribus vsus. Sub Hludouico autē Pii filio vixisse eum subscriptio huius chartæ indicat, qui regno suo ad annum sextum & tricesimum peruenit. Tot enim annos regni eius numerat Vrspergensis, vt errare constet quosdam qui annis eum duobus tantum & viginti regnasse putant. Conuincitur enim veterum tabularum fide longe amplius eum regnasse, cum præsens charta annum regni eius XXXV. indicet. Successit enim patri Anno Domini DCCCXLI. quo anno miserabili pugna prope Fontanetum Ludouici Pii filii sese afflixerunt. Excessit autem ex humanis anno Domini DCCCLXXVI. Sæpe quidem, vt etiam supra diximus, diuisum Franciæ regnum. Atque inde factum, vt interdum multi & Reges & Imperatores Franci vno aliquo tempore fuerint, nec fratres modo fratribus, sed & parentibus filii, aliis atque aliis in partibus regni diuisione ad eum modum propagata, successerint, nec parum variarint Chronographi, iam hos iam illos referentes, qui sibi ordine successerint. Proinde paucis hoc loco admonere visum est, ne quem confusius ab aliis relata implicarent. Imperatorum & Regum Francicorū, qui Alemanniæ præfuerunt, successionem hoc fere ordine Chronographi nostrates ponunt, vt Carolo M. primo illius regni Imperatori Romano filius Ludouicus Pius, Pio autem Lotharius F. huic Ludouicus F. huic Caluus, posthac Ludouicus Calui filius Iunior dictus, atque huic proxime Carolus Grossos filius, Grosso vero Arnulphus, qui Grossi ex Carolomanno fratre nepos fuit *Arnoldus* à monachis dictus successerit. Reliquit autem & Arnulphus filium Ludouicum, qui & ipse in imperio patri successit Carolingorum (vt creditur) postremus. Inde enim rebus Francicis collabefactatis inclinare imperium in Germanos Transrhenanos cœpit circiter annum Domini DCCCX. amplissimum sine controuersia futurum, nisi Franci sese ipsos odiis præliisq; intestinis profligassent. Integrum enim & solus quidem imperium à Carolo patre Ludouicus acceperat, sed hoc humanis rebus exempto filii immodica regnandi cupiditate accensi ita sunt funestissimo prælio commissi & attriti, vt nō tam inter se regni vires visi sint diuisisse, quàm perdidisse. Id quod multis regnis & ipsi in primis Romano Imperio exitiale fuit. Porro Ludouici filii ex Irmingarda priori coniuge nati fuere Lotharius & Ludouicus & Pipinus: ex Iuditha autem Guelfa posteriore Carolus cognomento Caluus: quorum Lotharius patre etiamdum viuo quum Italię præesset à Paschali Pontifice vnctus & coronatus ac mox à patre in imperii consortium ascitus est, cum illo postea in pugna ad Fontanetum victo (solus enim regnum paternum sibi vendicarat) Carolus & Ludouicus regnum diuiserunt. eo pacto inito, vt Romanam Franciam Carolus, Theutonicam Ludouicus, internam & meridianam partem cum Italiæ regno Lotharius retento Imperatoris nomine gubernaret. Horum frater Pipinus, cuius etiam supra mentio facta est, Aquitaniæ Rex viuo dum patre constitutus est. Neq; quisquam horum sine prole & hærede decessit, tantumq; venerationis apud vrbis Pontifices Francicum nomen illo tempore habebat, ob Caroli videlicet & Ludouici memoriam, vt quosuis partium illarum Reges Romam profectos proni & volentes Cæsares crearent & vngerent, Lotharius Lotharium genuit Iuniorem, à quo *Lotharingiæ* quidam datum nomen autumant, quamuis Otto Frisingensis à Seniore vocatam scribat. Præterea Carolum prouinciæ Gallicæ Principem (hanc enim à patre administrandam susceperat, vt Otto tradit & Vrspergens. etiam meminit) & Ludouicum, qui patri imperio defungenti successit, & Italiæ regnum tenuit. Pater enim imperio quod an-

nis

nis plus minus quindecim gesserat, abdicato monastico habitu apud Promiã cœnobium consenuit. Lotharius Iunior ab Hadriano Pontifice excõmunicatus, q; Thiebirgam vxorẽ suam iniquè repudiauerat, Placentiæ mortuus est. Pipinus aũt & ipse Ludouuici Pii filius filium genuit Pipinum Aquitanici regni hæredem, quem Caluus postea Episcoporum quorundam consilio tonderi & apud Suessiones in monasterio S. Medardi vitã agere iussit. Idem Carolus Caluus quanquam minimus natu inter Pii filios, tamen à patre viuo Rhetiam Alemanniamq; & Burgundiæ partem vixdũ pueritiam egressus suscepit. Inde patre mortuo Galliam interiorem eo diuisionis pacto, cuius supra meminimus, sortitus est. quam sane multis annis administrauit. Demum morte Ludouuici, qui Lothario patri successerat, audita, fortissimo cum exercitu Italiam ingressus Romæ ab Ioanne VIII. Imperiali corona redimitus & vnctus est anno Dom. DCCCLXXV. Tertio deinde anno ex Italia proficiscens in ipsis Alpium iugis veneno ab Ludouuici Iunioris filiis per Iudæum quendam Zedechiam subornato extinctus est anno Dom. DCCCLXXVIII. Nocuisse ei immodicam arrogantiam creditur, quæ multo sæpius inuidiam vel potentissimis monarchis conflauit. Dolendum autem ita Francos Francis inuisos fuisse, vt eo modo regni sui Maiestatem premere & affligere libuerit. Caluus igitur filium reliquit Ludouuicum, qui Balbus cognominatus, qui & ipse patri successit duobus itidem filiis relictis. Ludouico scilicet, qui haud multis annis vixit, & Carolo, qui puer admodum patrem amisit, plerisque postea Simplex dictus. Hic fratre mortuo paternum regnum factionib. plenum ægrè indeptus, demum & insidiis interceptus, & quinquennali custodia detentus ex humanis excessit, infante Ludouuico relicto, cui ex Hainrichi primi eius nominis Imp. filia Lotharius filius genitus est, quem patri in regno successisse Abbas Vrsperg. tradit. Atq; hactenus quidẽ de Calui linea, nunc de Ludouuici (quẽ alii Iuniorẽ, q; Ludouuici Pii filius, alii seniorẽ quia Ludouuici III. pater, vel propter Ludouuicũ Lotharii filium, qui nepos eius fuit, nominarunt) item Lotharii & Calui fratris prole, quæ nostrate, hoc est, in orientali Francia regnauit, dicemus. Ludouuico enim tricesimo sexto regni sui anno defuncto liberi superstites fuere Ludouuicus, Carolus & Carolomannus, quorum Ludouuicus Francorum orientalium Rex, Carlomanno breui mortuo, Baioariam recepit, vulgo *Baioariorũ & Alemannorum Rex* dictus. Carolus aũt & ipse in Alemannia regnans post patruum suum Carolum Caluum Imp. veneno sublatum ingenti cum exercitu superatis alpibus Romam vxore comite contendit, & à Ioanne Octauo, qui & Caluum vnxerat, vnà cũ Richgarda coniuge vnctus & Imperator appellatus est anno Dom. DCCCLXXXI. florenti deinde & amplo imperio cuectus partium cum orientalium tum occiduarum regni Francici, qui post mortem tamen patris diuiso inter fratres regno solam Alemanniam cum aliquot Lotharingiæ vrbibus, quas ob vini copiam sibi delegerat, recepit: *Grossus* autem ceu *Crassus* à corporis habitu (vt creditur) cognominatus est. Regnauit autem cum fratribus plusculis annis. Vnde factum arbitror, vt Chronographi quidam, inter quos & Lambertus est, tertiũ Ludouuicum secundo Ludouuico patri substituerint. Regnauit n. & Tertius Ludouuicus solus per orientem, sed cum Carolo tamen Carlomanno aliquandiu. Sexto aũt imperii florentissimi anno Crassus subito morbo correptus nec tã corpore q̃ animo deficiens, à regno deiectus, & eius in locũ Crassi ex fratre nepos licet illegitimus in Regem electus; nec multo postea Imperator appellatus est. Carolus aũt eodem anno, quo regno est priuatus, Kalend. Ianuarii mortuus, & apud Augiam maiorẽ sepultus est an. Dom. DCCCLXXXVIII Princeps optimus, sed prodigus magis q̃ liberalis,

præ-

præterea & luxui & inerti otio deditus: Litteratorum tamen amantissimus, & qui religioni addictis nihil non concesserit. Donauit enim quædam & monasterio Sangalli, patrem videlicet imitatus, qui prior nonnulla donauerat. Horum enim Principum prope solorum liberalitatem Monachi Sanctgallenses sensere, cum priores perparca in ipsos manu fuissent. Ottho Frisingens. scribit eum tantam ad egestatem venisse, vt vel panis egens Arnolphi stipendiis fuerit alitus. Non prætereundũ hoc loco, Carolum Crassum, postremum imperatorem Franciæ, Italiæ regnũ nullo dum Rege alio quietè administrasse, sub cuius mortem Romani Caroli Calui fastu & arrogantia territi Berengarium Longobardum, laudatissimum in re militari virum, Regem Italiæ, ac mox Imperatorem constituerunt: qui moriens Berengarium Secundum atq; item Tertium eius nominis successorem habuit. Verum hunc Ottho primus à Paschali Pontifice, cui suspecta esse Berengariorem potentia ceperat, primũ deuicit, deinde rebellionẽ meditantem oppressit & vna cum cõiuge in exilium relegauit. Arnulphus Caroli Crassi, vt dixi, nepos
1 sexto anno post regnũ acceptũ Imperator factus eo honore reliquo sexẽnio functus est. Filios duos habuit Zuentebaldũ, quẽ à Rege Morauorũ Zuẽtebaldũ, q sacro de fonte ipsũ leuauerat, nominari voluit, cui in comitiis wormatiæ habitis Principũ cõsensu Lotharii regnũ tradidit: quãuis nõ desint q
2 Zuentebaldũ illegitimũ Arnolphi filium esse dicãt: filios autẽ legitimos ex Agnete priore cõiuge Græca Arnolphũ cognomẽto Malũ, Baioariorũ Regem, cuius witichindus libro primo mentionẽ facit, & wernherũ Succẽsium comitem: ex posteriore aũt cõiuge Dieta Ludouuicũ hunc nostrũ & Chunradum, cui post mortẽ Zuentebaldi. q cum fratri Ludouico legitimè electo sese opponeret, publico bello oppressus & necatus est, Lotharii regnũ obtigit. Plurimũ negocii Arnolpho cum Berẽgario primo cumq; Hunnis fuit q tum primũ finitima Vngariæ loca & ipsam etiã Germaniã hostilibus incursionibus infestare cepant. Arnolpho ex elephãtiasi mortuo & Ratisbonæ ad S. Emerammũ sepulto, Ludouuicus filius successit. Is antequã Imperatorio nomine insigniretur, 12. regni anno sine hærede moritur anno Domini 912. Ratisbonæ ad patrẽ sepultus. Hunc falsò q dã à Berẽgario captũ & orbatum luminibus trãdidere, q ipsum tamẽ Ludouico Bosonis Regis Lõgobardorũ filio accidisse Luitprãdus Ticinẽsis testatur. Postremus aũt Carolingorum Germanici regni fuit Ludouicus Arnolphi filius: statim n. Chũradi & Hainrichi ex Trãsrhenanis Danubianisq; regionibus electi insecuti sunt. Atq; hactenus q dẽ de Ludouici Pii filiis eiusq; posteris dictũ sit: q amplissimũ Frãcorum regnũ eo modo, quo dictũ est, diuisim ita administrarunt, vt ad vsq; eius casum & interitum nemo postea solus tale tenuerit, quale ipsum Ludouicus Pius à Carolo parẽte acceperat, ipsaq; functio Impatoria nullo certo ordine sed velut desultoria iam his iam illis obtigerit. Certò aũt cõstat regnum illud nobile Francorum nunquã aut potentius fuisse aut illustrius magis extitisse quàm quando ipsum Ludouuicus administrauit. Ad *Notkerum* autem quod attinet, habeo authores q tradunt Leodiensem eum Episcopũ factum esse. Quod si est, mirãdum est ne verbo quidẽ eius rei nostros meminisse, qui plurium tamen meminẽre. Cõstat tamen plures fuisse Notkeros: quorũ primus, qui hãc chartã scripsit Poetices & Musices, vt diximus, imprimis studiosus & aliarũ artium cognitione clarus, ob linguæ tarditatẽ *Balbulus* cognominatus. Is primo anno Chunradi Impat. eius nominis primi mortuus in canonẽ sanctorũ postea relatus est. Alter fuit qui *Piperis grænum* ab ingenii acumine nominatus est. Tertius Medicus fuit & Pictor, quẽ Ottho primus Imp. cum Roma rediẽs Sangallũ diuerteret, cæcum & senio cõfectũ inuisit. Huius nepos

ex Io-

ex sorore *Notkerus* cognomine *Labeo* iuuenis admodum Otthone II. Imp. approbãte Abbas monasterii factus est. Dequibus omnibus in peruetusto quodam codice hos versiculos legi:

Balbus erat Notker, Piperis granum fuit alter,
Tertius hic Labeo datus est agnomine lato
Pectore mandatum gestans Labeo quoque latum.
Latior hic Labeo puto nemo videbitur illo,
Ecce fauos labio quales stillat tibi lato.

CHARTÆ PRECARIÆ EXEMPLVM SVB EODEM LVDOVVICO scriptum.

CHristi adiuuante clementia complacuit mihi Grimaldo Abbati vna cum consensu fratrum, nec non & Aduocato nostro Podololto, vt res quas Hasuo Presbyter ad nostrum tradidit monasterium ei per hãc precariam repræstaremus, quod & facimus. Tradidit enim nobis prædictus Presbyter vnam hobam cum manu Chumberti in pago Argengauue in loco qui dicitur Arguna, eo videlicet pacto, vt ipse præfatam suam hobam omne tempus vitæ suæ possideat censumq; inde annuum persoluat, id est vnum denarium. Et si prædictam hobam redemere voluerit, cum sex denariis redimat. Si autem ipse nõ redemerit, & eius obitus de hac vita contigerit redemptione nõ peracta, tunc prænominata hoba sine vlla contradictione redeat ad monasterium S. Galli perpetualiter possidenda. Actum in Wasserburc publice præsentibus istis, quorum hic nomina notãtur. Sig. Grimaldi Abbatis & Aduocati Podololti, sig. Waltharii sacratarii. sig. Ruadhai Hospitarii, sig. Engilrami portarii. sig. Paldariti cellerarii. signa aliorum testium, Selbo, Engilgold, Wisirich, Folcarath, Ruadinc, Liutpold, Rathelm, Theothold, Wilhelm, Sigiheri, Feitir.

Ego itaque Otine ad vicem Wotonis scripsi & subscripsi. notaui diem Veneris v. Non. Octob. An. XXIII. Hludouuici Regis. Sub Wodalricho Comite.

QVid *precarium* sit, & quid *precario* possidere, libro primo est dictum: similiter & quid *hoba*. *Repræstare* dixit rem donatam donanti certa cõditione locare, q; ætas illa *rem donatam vsufructu in beneficium accipere* dicebat. Notandum vero & his qui donassent sæpe copiam factam minimo pretio redimẽdi, quod donatũ fuisset, vt hac de charta discitur. Quod ea causa cõiicio à monachis factũ, quo libẽtius Comites donandi morẽ ferrent & probarẽt. Odiosum n. videbatur duriora flagitare illos, q; spõte obtulissent, & raros habebãt illa sæcula, qui semel donata redimerẽt, præsertim precario recepta: tantum religioni illi monasticæ & Canonicæ tribuebatur. Est aũt *Arguna* vicus celebris iuxta lacũ Brigantinum ab amne, quẽ vulgo *Argum* vocant, dictus, atque inde etiã *Argangauu*. Germani n. tractũ aliquẽ rurestrem *Gouu* vocitant, qualem & *pagi* vocabulo significasse Cæsar videtur de bello Gallico scribens non vno in loco. Mirum aũt sic cõfertim sese longinqua in loca cõferre consueuisse monachos officiarios donationum gratia. Sæpe enim ita factum veteres chartæ indicant: & arbitror non alia magis causa ab illis sic ad publicos conuentus, quos mallos & placita vocabant (de quibus supra) concursum fuisse, quàm vt rebus augendis cumulandisq; inhiarent. Profecto magna cura, ne dicam cupiditate ab illis semper & acceptæ sunt religionis obtẽtu donationes, & multorum testium fide ne dilaberentur, ratificatæ.

Iam quo cõstaret, quod libro primo docuimus, seruitia non modo liberalitate Principum; sed priuatorum etiam hominũ, monasteriis donata & tradita fuisse, veteris chartæ exemplum adiungemus, quę ad hunc modũ habet:

Vtil.

VNicuique enim conuenit opere adimplere quantum ei vires ſuppetunt, quod Domini iuſſione conſtat eſſe traditum: Date, & dabitur vobis. Quapropter ego Cozolt hac voce Dominica corde compunctus trado ad monaſterium N. quinque mancipia, quorum iſta ſunt nomina Theotmunt, Otmunt, Willimunt, Wolafrid, Wannida: eadem videlicet ratione, vt eadem mancipia ad me recipiam tempus vitæ meæ: poſt obitum vero meum abſque vlla marricione ad iam dictum monaſterium firmiter permaneant perpetualiter poſſidenda. Si quis vero contra hanc traditionis chartulam venire temptauerit, aut frater meus Adelbert, aut aliquis nepotum meorum, aut qualiſcunque perſona, in ærarium Regis multam componat, & conatus ſui priuetur effectu, firmaque & ſtabilis chartula hutus traditionis permaneat ſtipulatione ſubnexa. Actum in Ontnuuane publice præſentibus iſtis, quorum hic ſignacula continentur. Signum Cozolti, qui hanc chartulam fieri rogauit. ſig. Warimheri, Heitari, Alpheri, Adalprecht, Stritgrim, Item Alpheri, Othind, Wolfprecht, Naudkor, Strello.

Ego itaque Warimbertus indignus Leuita ſcripſi rogatus & ſubſcripſi. notaui diem Lunis prid. Kalend. April. Anno III. Ludouuici Regis Alemannorum.

SAtis indicat chartula hæc qualem ſenſum ſcripturis tribuerint monachi plus ſatis auari, dum in aucupando emulgendoq; lucello ſic torquent locos aliquot, qui ad dandum Chriſti fideles adhortantur, vt palam cõſtet non habuiſſe flagitãdi modum. Dare iuſſit Dominus, ſed egenis & ægrotis adeoq; alimoniæ quærendæ occaſione deſtitutis, non illis, quibus victus & amictus ſuppetit, quiq; vltro ſuſcepto otio & ceſſatione malũt aliis oneri eſſe ſine fructu vllo, quàm operam dare, vt negotio honeſte partis rebus vti liceat. Mirũ autem tanta ipſum confidentia factum eſſe, vt mox paulo mendicitatis titulo religionem iactare non puduerit, aliis interim inſignes ſibi opes clauiũ poteſtate vendicantibus, qui vafro ſuo artificio vel à mortuis (vt in prouerbio eſt) tributum exegerunt. Porro hodieque ditiſſimis in monaſteriis id genus ſcripturæ Corlonis præfiguntur: *Date & dabitur vobis: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Addũtur & encomia; *Sapienter collocat beneficium ſuum, qui pro tranſitorio promeretur æternum.* Et item: *Qui parce ſeminat, parce metit.* Proinde & mancipia etiam donata ſunt pro animarum remedio, quę & ipſa ſunt recepta, hoc eſt ea conditione donata, vt non niſi ab obitu donantis redderentur, non ipſa modo nominatim recenſa, ſed filii etiam filiæq;. Parentum enim nomine & proles continetur: alioquin pluſquàm leuis donantis fuiſſet cõditio. *Marricione* pro tergiuerſatione & calumnia accepiſſe videtur. *Marrire* enim verbum in Alemannia puto natum, altercari & calumniari ſignificat. Nam vulgo etiamnum **Marraſſen** dicunt leuibus de rebus altercari. Scripta eſt hæc charta ſub Ludouuico Seniore: nec difficile fuerit annum Domini colligere ex anno regni. Hic Ludouuicus, vt eſt dictum, tres filios habuit, Carolum cognomento Craſſum, & Carolomannum Arnulphi patrem, præterea & Ludouuicum Regem, qui fratri Carolomanno in Ducatu Baioariorum ſucceſſit: de quo alio loco admonebimus.

Licebat autem, Lege Alamannorum permittente, ſeruos ſeruasq; mutare concambio, vt vocabant, non minus quàm prædia. Et concambii quidem ſeruitiorum hoc exemplum legimus.

NOtum ſit omnibus præſentibus atque futuris, quod ego Bernhardus Abba monaſterii ſancti Galli rogatus ſum pro concambio cuiuſdam ancillæ monaſterii noſtri, cui nomen eſt Paldſind, à quodam homine, cui nomen eſt Tiſi. Conuenit igitur atq; complacuit ex vtraq; parte, vt nos illi traderemus prædictam Paldſindam, & nos è contra in cõcambium reciperemus ancillam proprii iuris ipſius nomine Adalhildam. Quod

cum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [104] - 72 PUBLIC DOMAIN

cum consensu fratrum nostrorum, & cum manu Aduocati nostri Witonis firmauimus atque peregimus. Actum in Wintatura publice in præsentia Legatorum Imperatoris Salomonis Episcopi, Koizperti Comitis, Ruadhai Abbatis, Hiltebold Comitis, in præsentia Adalberti Comitis. Sig. Bernhardi Abbatis & Aduocati eius Witonis, qui hoc patrauerunt. sig. Landisfrid, Rockfrid, Andreas, Ichere, Reginger, Pato, Kunderoch, item Landfrid.

Ego itaque Ratpert indignus Leuita scripsi & subscripsi. Notaui diem VI. *feriam* III. *Idus Nouemb. Annum Caroli Imperatoris* V.

Adalbertum Comitem.

PActa & contractus tum fratrum consensu, tum Aduocati etiã stipulatione firmabantur. Dabantur autem à Principe *Aduocati*, vt supra est dictum: 1
quibus postea *Ammanni* (vulgo dicti) succesſere: deinde & *Curiæ magistri* illis 2
in cœnobiis, quæ cõuersa ad sæculum maiorum institutis & disciplinæ nuntium remiserant. Innuit autem charta & hoc genus cõtractuum pactorumq; coram legatis Regiis peractum nõ minus interim & aliis de causis cognitum fuisse. Non legimus autem in horum temporum chartis, nisi vel Abbatis vel Aduocati vel Præpositi signum, vt sit verosimile nullo dum communi signo fratrum consensum fuisse expressum. Priuatim enim signarunt chartas plurimas monachi officiarii, Decanus puta & Camerarius, Sacratarius, Cellarius, Portarius, Hospitarius, &c. Sed postea factum Abbatum insolentia & libidine, vt hæc à parte cœnobiorum prouentibus fratres vnanimi consensu consulendum duxerint, obtẽto videlicet signandi iure. Quod quidẽ à tribus proximis sæculis ita inoleuit, vt parum hactenus ratum fuerit quicquã Abbatis consensu, nisi huius signo & fratrum sigillum accesserit. Scripta est autem hæc charta sub Carolo Imperatore non M. illo Pipini filio, sed Crasso, sen (vt alii cognominarunt) Grosso, qui etiam *Maleferiatus* dictus est, Caroli M. pronepote. Sub hoc enim Bernhardus Abbas, cuius hæc charta meminit, vixit. Tres autem fuere Caroli Imperatores (vt Carolum Simplicem intermittamus.) Primus Pipini filius, in quem primum omnium Francorum, neglectis Orientis Principibus, imperii Romani honos à Pontifice Romano translatus est. Secundus Caluus cognominatus, Ludouuici Pii filius. Tertius Grossus Senioris Ludouuici filius. Obseruatumq; tam Caluum quàm Crassum *Magni* sibi cognomen vsurpasse: vt plane errent qui non satis expensa tẽporum supputatione repente ad Carolum Pipini filiũ animum adiiciunt, vbi publicis in tabulis diplomatisve *Magni* cognomen legũt. De Caluo quidem non video dubitari, quin se *Magnum* cognominarit. Crassi autem diploma extat Sangalli nuper à me visum, in cuius sigillo plumbeo ipse Imp. laureatus cernitur cũ hac inscriptione: CAROLVS M. AVGVSTVS. & in altera sigilli parte hæc verba itidem laureo serculo inclusa leguntur, RENOVATIO REGNI FRAN. In fine autem diplomatis hæc verba scripta sunt: *Data Non. Octob. Anno incarnationis Domini* DCCCLXXXIII. *Indictione secunda. Anno vero imperii Domini Caroli in Italia* III. *in Francia* II. *Actum Papiæ in Dei nomine feliciter.* Ex supputatione ergo annorum colligitur hoc diploma sexaginta nouem annis post Caroli primi Imperatoris mortem scriptum fuisse, nimirum Crasso imperante, qui, vt diximus, mortuo iam Caluo Anno Domini DCCCLXXXI. Romæ est à Ioanne Pontifice coronatus. Vt finamus interim quod non constat, vel Pipinum Martelli filium, vel Carolum, vel Ludouuicum Pium quicquam donasse, tribuisseve cœnobio Sangalli, præter diplomata quædam immanitatum aduersum Nobilium & Episcoporum supinitatem

impetrata, præterea & ius illud priuatim eligendi quem ex ſuis vellent.quod ſubinde tamen ipſi Principes neglexere. Primus omnium Senior Ludouicus quædam donauit,quem proxime ſecutus Craſſus filius inter alia pluſcula donaria Abbatiolam illam Maſſinenſium, quæ in agro eſt Ciſpadano, cuiusq; illo diplomate mentio fit,Sangallenſi monaſterio,Luituardo Cancellario ſatagente, attribuit(iam tum enim auaritia inualeſcente monaſteria à monaſteriis abſorbebantur.) Verum hac de re Ratpertus quidam monachus Sangallenſ.qui ſub Craſſo vixit,abunde retulit in eo libello,quo Abbatum aliquot vitas vſque ad ſua tempora, hoc eſt ad Caroli Craſſi obitum, complexus eſt.

Exemplum MANVMISSIONIS vetus hoc loco apponere libuit. Habebat enim & MANVMISSIO locum,in Alemannia præſertim ſeruis plena.

AVthoritas Eccleſiaſtica patenter ammonet, inſuper & poteſtas regia Canonica religioni adſenſum præbet, vt quemcunque ad ſacros ordines ex familia propria promouere Eccleſia quaque elegerit, in præſentia ſacerdotum Canonicorum ſimul & Nobilium laicorum,& eius cui ſubiectus eſt,manumiſsione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondã ancilla Dei cum manu Aduocati mei Richolfi, *quendam meum famulum nomine Sigimarum ſacris ordinibus dignum in præſentia nobilium virorum liberum ab omni vinculo ſeruitutis dimitto. Cui Romana per hoc authoritatis teſtamentum ſtatuo ita vt ab hodierno die & tẽpore bene ingenuus atque ſecurus permaneat, tanquam ſi ab origine fuiſſet parentibus procreatus vel natus: eandem pergat partem quamcunq; volens Canonice elegerit, habensq; portas apertas, ita vt deinceps nec mihi nec ſucceſſoribus meis vllum debeat noxiæ conditionis ſeruitium neque aliquod libertatis obſequium, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa ingenuitate ſicut alii ciues Romani per hunc manumiſsionis aut ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtat, ſuumque peculiare quod habet, aut quod adhuc adquiri poterit faciat inde ſecundum canonicam libertatem quicquid voluerit. Et vt hæc teſtamenti ac ingenuitatis authoritas inuiolabilem obtineat firmitatem, Ego Engiltruda & Richolf Aduocatus meus amborum manibus ſubter firmauimus. Sacerdotes quoque ita nominati manus ſuas in præſentem ingenuitatis chartulam miſerunt, Pero, Adalman, Hiltiger, Rodpot, Baldolt, Rantolf. Actum in villa Heſtirahun nuncupata in præſentia Salomonis & Reginolfi miſſi domini* Ludouuici *Regis. Sig.* Hiltibaldi *Miſſi Honorati Comitis. ſig.* Otkis. *ſig.* Liutprecht. *ſig.* Hadpert. *ſig.* Luitram. *ſig.* Oro. *ſig.* Adelcoz. *ſig.* Ruadmunt. *ſig.* Wilihelmi. *ſig.* Dioterih. *ſig.* Reginelt. *ſig.* Rathelm. *ſig.* Pitto. *ſig.* Hemmo. *ſig.* Liutpold. *ſig.* Adalhelm. *ſig.* Wolfart. *ſig.* Ellinbold. *ſig.* Egibrecht. *ſig.* Froimant. *ſig.* Henno. *ſig.* Nordeloh. *ſig.* Sigmar. *ſig.* Warmunt. *ſig.* Eſwith. *ſig.* Danker *ſig.* Ruodhart. *ſig.* Subo *ſig.* Wolfhart *ſig.* Ratpert. *ſi.* Altebrot.*

Ego itaque Wato *Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Notaui diem Iouis in* VIII. *Id. Octob. regnante Domino* Hludouuico *Rege Alemannorum & Peioariorum.*

Sub Chunrato Duce nobiliſsimo feliciter Amen.

FRanci & ipſi deuincendis hoſtibus iure gentium vſi plurimos ex captiuis in ſeruitutẽ redegerunt: inprimis autem Alemannos,quos nõ victos modo frequenti ſeruitute grauarunt,ſed rebelles etiã ſemel iterumq; grauiſſime afflixerunt. In regnis enim ambiendis & figẽdis ſedibus dubitare me fateor, an vllæ vnquam gentes perinde in ſeipſas ſæuierint, atq; Germani ſæuierunt in Germanos. De Herulis enim hoc & Gotthis & Longobardis, præterea & Burgundionibus & Wandalis & Francis & Alemannis & Nortmannis Anglisque & Saxonibus clariſſima hiſtoria teſtatur. Non ſolum autem Alemannos Franci Rhenum tranſgreſſi, ſed alias itidem gentes eodem ſeruitutis

cutis iugo grauarunt. Vnde factum est, vt & reliqua Francia seruis abundarit. Seruum autem vulgo nostri **ein eignen Mann / oder Leibeignen Mann/** vocant, sicut seruam ancillamve **ein Leibeigen Weib**. Et satis constat nostratium seruorum longe meliorem conditionem fuisse, quàm veterum Romanorum. Nostris enim propria bona possidere, propriis in domibus agere licet. Nec enim in domini familia censentur; & alicubi iudicandi munere fungi & testimonium ferre, adhæc & hæredes ab intestato relinquere, & in iudicio stare, & rem propriam negotiari, sed & cum dominis suis contrahere possunt: quorum nullum priscis illis iure Romano seruis permittebatur. Vitæ autem necisque potestate, quam veteres domini in seruos habebant, sic exempti sunt, vt hodie non liceat in seruorum delicta & maleficia, nisi publico iure & iudicio expostulare. Multis enim in locis non serui modo, sed ipsi etiam domini alienæ potestati meri imperii subiecti sunt. Tamen hisce interim oneribus grauantur, quod impune illis non nisi cum ancillis propriæ familiæ contrahere matrimonium licet, nisi ex pacto (de quo infra monebimus) aliud fuisset permissum, quod liberi matrem sequuntur, qui alioqui in liberis aut ciuitate donatis patris potestatẽ sequuntur: quod certas operas dominis suis præstare coguntur: quod fugere, latitare, statum dissimulare infamiæ nota & amplioris pœnæ irrogatione vetantur: quod ciuitatem Romanam ambire, aut sacros ordines obire, nisi manumissis non licet: quod viui certis & statis quidem exactionibus deteruntur, vtpote pullis, gallinis, numis, certis operis, quas alicubi vulgo **Tagwerck**/alicubi **Fronwerck**/interim etiam **Certagwen** appellant. quibus oneribus etiam liberti, quorũ alibi mentionem faciemus, patronis suis obligantur. Neque enim olim par libertas omnibus, neque nostris hodie libertis libertinisve par manumissionis beneficium obtigit. Seruis mortuis ætate nostra nõ filii modo filiæve, sed ipsi etiam domini succedũt, alicubi dimidia bonorum parte, multis in locis tertia, plerisq; & quarta: interim & vestes exiguntur selectæ, & pecora stabulis extrahuntur, nec sine ordine, quo vel pater vel filius familias maior minorve natu ex humanis excesserit. Qua de re supra aliorum diligentiam Vlrichus Zasius Iureconsultus doctissimus in libro Singularium intellectuum plusculà adnotauit. Apud veteres vna prope omnium seruorum conditio erat, nisi quod illis quemadmodum & Francis & Alemannis quidam publici erant, quidam priuati. Ex publicis autem seruis *Regii* seu *Fiscalini*, dicti nostris, quorum vectigal & vsufructus ad fiscum pertinebat. Erant & *Ecclesiastici*. qui operas suas Ecclesias pendebant. Cæterum & Regiorum & Ecclesiasticorũ longe melior erat conditio, vsque adeo ciuiles domini Episcopos & monachos benignitate vicerunt: cum contra hos vel vno religionis nomine admonitos ne oblatam quidem sibi hãc ipsam seruitutis miseriam tam durè tractare decuisset, si modo veram magis quàm simulatam religionem profiteri voluissent. Erant & Nobilium & priuatorum hominum serui, quorum lõge æquissimæ erant status sui conditiones. Apud Francos enim, sicut & apud Romanos, *Manumissio*, id est libertatis datio, eximium locum habuit: & est natura comparatum, vt ad libertatem, quæ generi humano præ omnibus animantibus donata est, omnes aspiremus. Verè enim Vlpianus IC. *Manumissiones*, inquit, *iuris gentium sunt. Est autem manumissio datio libertatis. nam quamdiu quis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur à potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali homines liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed posteaquam iure gentium seruitus euasit, secutum est beneficium manumissionis, & cum vno naturali nomine omnes homines appellarentur, iure gentium tria esse cœperunt hominum genera, liberi, &*

his contrarium ſerui, & tertium genus liberti, id eſt qui deſierunt eſſe ſerui. Hucuſque Vlpianus. *Libertas* autem, vt eam Florentinus Iureconſultus definit, *naturalis facultas eſt eius quod cuique facere licet, niſi quod vi aut iure prohibetur. Seruitus* autem *conditio eſt iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam ſubiicitur. Serui autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captiuos vendere* iubent, *& per hoc ſeruare nec occidere ſolent. Mancipia vero dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur.* Ergo libertatis in ſeruo reſtituendæ vnica medela manumiſſio eſt, hoc amplius Chriſtianis cum ſeruis tum dominis digna, quod ſcriptura etiam ſeruos ad libertatem (modo ipſam commode aſſequi poſſint) adhortata eſt, & in domino eximium & dignum laude charitatis ſpecimen eſt, ſi Chriſtianæ libertatis memores hoc ipſum donent fratribus vere liberis, quod ipſis ita dominus donauit, vt fidei quoq; libertatem adiecerit, qua cum ſeruis in vnũ Chriſti corpus coaluerunt. Pie ergo ſententia mea beatus Gregorius Montanum & Thomã Eccleſiæ ſuæ, nempe Romanæ, ſeruos manumiſſuros in hæc verba præfatur: *Cum Redemptor noſter totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam carnem voluit aſſumere, vt diuinitatis ſuæ gratia diruptis, quæ tenebamur captiui, vinculo ſeruitutis priſtinæ, nos reſtitueret libertati; ſalubriter agitur, ſi homines, quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo ſubſtituit ſeruitutis, in ea natura, qua nati fuerunt, manumittentis beneficio libertati reddantur,* cum his quæ ſequuntur. Nec ſine naturæ inſtinctu factum eſſe credimus, vt Ethnici etiã libertati donandæ adeo fauerint, vt falſam etiã cauſam manumiſſionis ſemel probatam non retractarint: præterea bona teſtamentorum, ex quibus nemo hæres exiſteret, ea vna cauſa addici alienis paterentur, ſi in ipſis manumiſſio vel directa vel fideicommiſſaria adſcripta fuiſſet libertatum conſeruandarum cauſa, veluti veteri iure proditum eſt: ſed & perpetuam eſſe libertatem voluerint, niſi culpa eius, qui ipſa ſemel eſſet donatus, diuerſum cõmerita fuiſſet. Manumittebantur autem veteres ſerui iure Romano ex dominorum cõſenſu ac voluntate vel apud Conſulem vel Prætorem vindicta, hoc eſt lictoris virga, quæ capiti ſerui ſolemnibus verbis additis imponebatur, plerumque & ſine vindicta & lictore abſente peragebatur manumiſſio, quæ & apud Proconſulem & Cæſaris Legatum locum habebat. Imperator autem fere ſola voluntate & ſine vindicta manumittebat, ſæpe in frequenti ſuorum conuentu ſeu concilio, vt in Codice vocatur. Licebat & teſtamento manumittere, ſæpe & ſine manumiſſione ad libertatem prouenire. Vnde tituli illi frequentes libro Pandectarum quadrageſimo, *De manumiſſionibus, De manumiſſis vindicta, De manumiſſione fideicommiſſaria, De his qui ſine manumiſſione ad libertatem perueniunt,* ad quos Lectorem remittimus. Habebat & in æde ſacra locum manumiſſio. *Libertorum* autem, hoc eſt eorum, qui à ſeruitute manumittebantur, tria genera fecerunt Iureconſulti veteres: primum *Romanorum,* qui more, quo diximus, manumiſſi ciuitatẽ vna cum libertate aſſequebãtur, nimirũ antea ciuium Romanorũ ſerui: ſecundum *Latinorum Iunianorum,* qui ex lege Iunia Norbana per epiſtolam aut inter amicos, aut in conuiuio manumiſſi eſſent, quorum libertas permiſſa magis, quàm ſolemni ritu præſtita ciuitatem non capiebat, & morientes vltimo ſpiritu ſimul & vitam & libertatem amittebãt, ipſorũ bona peculii nomine dominis vendicantibus. Tertium *Deditiorum* ex lege Ælia Sentia, qui licet infamia aliqua notati: tamen à dominis ſuis quacunq; cauſa permouente manumiſſi eſſent, quorum ſane poſtrema conditio erat, quia infamiam ſemel irrogatam libertas non tolleret, ideoque & nomine infamiam trahente *Dediti* vocabantur, quemadmodum ex Græcis inſtitutionum Iuſtiniani libris ab Angelo Politiano in Miſcellaneis ſuis traditum eſt. Extat & liber Inſtitutionum Caii IC. & liber

Sen-

Sententiarum Pauli; in quibus de his, quæ diximus, libertorum generibus proditum est. Et eorundem fit mentio libro septimo Codicis Iustiniani, & in eiusdem institutionibus, vbi de libertinis & libertorum successione tractatur. Hic enim Imp. quo vniformem & ciuitatis capacem libertatem constitueret, Latinam illam & dedititiam libertatem abrogauit; sola Romana relicta, quæ manumissis simul & libertatem & ciuitatem conferret. Vnde in eodem libro tituli extant, *De dedititia libertate tollenda*, item *De libertate Latina tollenda*, quibus confusa antea & turbata libertatis ratio discussa vno libertatis genere determinatur. Franci igitur morem manumissionis in prouinciis repertum imitati, simile quiddam obseruarunt. In lege enim Ripuaria duplex manumissio ponitur, altera secundum legem Ripuariam, quæ Domini vel eius vicarii consensu coram Rege fiebat: altera secundum Romanam, quæ locum habebat in Ecclesia, atque ideo præsente Episcopo vel Presbyteris & diaconis in populi conspectu, quo celebrior esset facti memoria, peragebatur. Iubebat autem Archidiaconus tabulas manumissionis scribi, quæ de statu liberti cauebant. Manumittebant autem Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Nobiles, ingenui, vt quem seruum, quamque ancillam vellent, solemni more ad libertatem perducerent. Optima quidem erat conditio illorum, qui coram Rege manumissi essent: tametsi & Regiis libertis plerumque seruiles operæ imponerentur, sicut & Ecclesiasticis, sed meliore tamen conditione. Horum pars erant, qui *Coloni* dicebantur. Erant enim & Regii Coloni & Ecclesiastici ad certas operas & pensitationes obligati. In Codice Iustiniani titulus extat: *De his qui in Ecclesiis manumittuntur*, vbi Imperator placere sibi ait, *vt in Ecclesia catholica libertatẽ Domini famulis suis præstare possint, si sub aspectu plebis assistentibus Christianorũ Antistitibus id faciant, vt propter facti memoriã vice actorum interponatur scriptura qualicunq; in qua ipsi vice testium signẽt.* Raræ erãt Episcoporũ & Abbatũ tam liberales manumissiones, vt omni prorsus onere eximerẽt. Qualis illa Abbatissæ fuit, cui⁹ exemplũ adscripsimus. In Ecclesia aũt manumissi *Chartularii* & *Tabellarii* vocati sunt, quia nõ nisi tabulis aut charta intercedente manumittebantur. His n. ostensis status sui conditionem coram Patronis profitebantur, quoties essent requisiti. Ætate aũt nostra manumittẽdi facultas ita priuatim admissa, & ad Dominos relata est, vt neque in Ecclesia, quod sciam, neque coram Principe, sed literis tantum ac non raro cuique etiam absenti missis, peragitur, vt libuerit, vel gratuito conferre, vel certa pecunia pacisci libertatem. Soli ferme Monachi, qui seruos tamen vel professionis nomine diligere, & summa indulgentia tractare debebant, literas manumissionis conditione illa satis dura commaculant, qua cauent, vt qui manumissus est, tamdiu libertate fruatur, quamdiu extra solum & patriam seruituti obnoxiam agit: quod si redierit pristino seruitutis iugo subiiciatur & vere seruus existat. Quod ipsum licet haud iniusta causa fieri videatur, ne videlicet paucorum libertas multis detrectandæ seruitutis, aut cõturbandi dominii occasionem præbeat. tamen si propriùs consideretur, videre est, nihil aliud ipsos quærere quàm vt dominatum & tyrannidem, quam in omne hominum genus iam olim vsurpare cœperant, tanto magis stabilem & securam reddere possint. Morem autem hodiernum manumittendi vt facilis & pronus non probandus modo, sed etiam laudandus, præsertim in Germania, quæ, vt Tacitus author est, veros seruos nunquam habuit. Liberi quondam erant Alemanni non minus quàm Franci. Verum Francis libidine regnandi accensis, visum est gentem Alemannorum finitimam quidem, sed hoc magè suspectam seruitutis iugo premere & exarmare tot modis memoratam libertatem, nè nocere vires alienæ possẽt, vt merito nostros

pudere eius oneris debeat, quod à Francis tam violenter patrum noſtrorum humeris impoſitum in poſteritatem grauiſſima nõ ſolum ignominia, verum etiam captiuitate deductum eſt. Et Alemanniæ (cuius magna pars fuit, quæ hodie Heluetia vocatur) quondam non alia cauſa, quàm potentiæ metu tam fœdam ſeruitutis maculam inuſſerunt Franci, ac deinde ceu beneficii loco in Epiſcopos, Abbates & Abbatiſſas transfuderunt, qui cõfidentiores facti miſeram plebem haud vno tyrãnidis genere, nec paucis quidem ſæculis, exercuerunt. Et pauci ſunt Heluetiorũ pagi, qui vel vetuſtiſſimarũ chartarũ teſtimonio eam ſeruitutẽ non ſeruierint, illi præſertim, in quos vel Epiſcopis, vel Abbatibus aliquid iuris fuit, quod in ſe religionis prætextu veteres illi Franci tranſtuliſſent. Qua ſeruitute cum multa ſe virtute poſtea extricarint, par eſt illos & ſuorum ſimilia ſufferentium meminiſſe, nec probare aut aliorum ceruicibus imponere, quod ipſi longè maximo labore, imo vero & ſanguine de ſuis abalienarunt & reiecerunt. Eſt enim ea proprìa libertatis virtus, vt quod ipſa depellendum à ſeſe decreuit, aliis ſuam in ſocietatem receptis nõ imponat. Nec eſt diutina libertas, quæ inique ſe gerit, & ſeruos eſſe ex ſuis cupit, qui eodem, quo ipſi vſi ſunt, iure liberi pronuntiantur. Romani ex ſeruis & aduentitiis liberi facti tyrannos etiam expulere: mox non in vicinas ſolum gentes, ſed ſuos etiam tyrannide inſtituta ſic immodice progreſſi ſunt, vt imperium amiſerint, non aliena virtute, ſed propriis vitiis & inteſtina diſcordia. Qua de re alibi fuſius. Ad inſtitutum autem vt reuertamur operæ libertorum variæ erant, non agreſtes modo, quas patronis præſtabant, ſed etiam artificiales. Erant & obſequia patronis debita ad honorem quidẽ & obſeruantiam pertinentia. Non licebat enim liberto aduerſus patronum actionem famoſam inſtituere, niſi vno aut altero crimine atroci excepto: imo nec in ius ſine venia patronum vocare licebat. Et adigebantur liberti ad alendũ patronum, qui ad inopiam deueniſſet. Non omittendum & pœnas alicubi libertis ſtatutas, qui vel ingrati in patronos vel inofficioſi fuiſſent, reuocatis interim ad ſeruitutẽ qui proteruius deliquiſſent. Porro ſicut relatiue ſe habent ſeruus & dominus, ita patronus & libertus. Et Patroni quidem nomine etiam Patrona intelligitur. Fit autem manumiſſionis interuentu, vt qui dominus erat, patronus fiat, quiq; ſeruus fuerat, libertus exiſtat. Vnde & tituli illi in Pandectis & Codice *De operis libertorum, Dec. obſequiis & operis quas patronis ſuis liberti debent, De iure Patronatus*, &c. Succedebant autẽ libertis Patroni. Hinc tituli *De ſeruile cognatione & libertorum ſucceſſione* in Codice & Inſtitutionibus. Hodieq; ſeruis noſtratibus atq; etiam libertis domini & patroni ſuccedunt. Quam facultatẽ vulgo **Erbrecht**/ vel **Erbſchafft**/ præterea **Fäll vnd Gläß** nominant. His enim oneribus plane ſeruilibus in multis Alemanniæ locis non ſerui modo, ſed etiam liberti, maxime Eccleſiaſtici diſtringuntur. Nã, vt diximus, & veſtes auferũtur ex humanis excedentibus, quod **Gwandfäll**/ & pecus abigitur, quod **Hauptfäll** vocatur: niſi ſint, qui aliis modis dominũ patronumve deuinciant. Sæpiuſcule enim pecunia tranſigitur. Ad obſequium aũt magis q̃ ad operas attinere videntur gallinæ illæ, quas Alemanni **Faßnacht Hünr** vocant quanq̃ alicubi & à ſeruis pendũtur, tamẽ in libertis honoris argumentũ magis, q̃ oneris videntur. Porro ſicut libertis libertabusque pluſcula onera non adimuntur manumiſſione, ſed ad poſteros etiam pertinent, niſi ingenui fiant, ita & prædiis olim propriis, poſtea vero alienatis, ſeruitutes quædã impoſitæ ſunt: quarũ hæc præcipua apud Alemannos durat, vt quoties ager fundusq; venditur, toties vſuræ aliquid ad illũ redeat, q̃ primus alienauit, quive ius illud ſeruitutis iuſtis cauſis ſuum fecit. Quales multæ ſunt ſeruitutes veterũ Monaſteriorũ, atq; etiã Nobilium, aut eorũ, in

quos

quos quacunque causâ mos ille vetus trãslatus est, iure exercitę in ea prædia, quæ Germanice **Ehrschätzige Güter** vocamus: vsurã aũt, quę venditione penditur, **den Ehrschatz** nominamus. Id vero obiter notandũ, prædia quibus seruitus ea imposita est antiquitus BONA FISCALIA vocata fuisse, quasi ad fiscũ siue ærarium Principis pertinentia, quæ illorũ postea liberalitate, hac tamen seruitutis conditione, recognitionis ergo, si alienari ea contigisset, imposita monasteriis donata fuerunt; quæ etiamnum vulgo **Ehrschätzige Hoffgüter** nominantur, & vel hac maxime nota à BONIS, quæ *Salica* appellata sunt **freye Lehengüter**/discernũtur. Potest aũt hæc seruitus, sicut reliqua omnia seruitutis incõmoda, vel pactione vel transactione redimi. Siquidẽ & liberti, siue vt proprius dicam, libertini (cõditionem enim hæc vox exprimit) *ingenui* fiebant Francis & Alemãnis, coram Rege videlicet iactato denario, sicuti & veteri iure Romanorum coram Principe, cum iuri & potestati Patroni ita eximebantur, vt nec operas petere, nec obsequium desiderare, nec ad successionem bonorum venire posset. Quanquam enim *ingenui* dicantur, authore Martiano Iureconsulto, *qui ex matre libera nati sunt*, tamen nihil minus ingenui fiunt liberti, qui iuri Patronorum in totum eximuntur. Quod videre licet libro Pandectarum quadragesimo, in titulis, *De iure aureorum annulorum*, & *De natalibus restituendis*. His enim modis etiam libertis beneficium ingenuitatis Princeps conferebat. Habebat autem locum ingenuitas, si patrono consentiente collata fuisset. Imperator enim Commodus ius aureorum annulorum illis adimebat, qui id Patrono inuito impetrassent. Nec facile *Imperatores* veteres *quenquam natalibus restituerunt Patrono non consentiente*, id quod Martianus prodit supradicto titul. *De natalibus restituendis*, in l. 2. Francorum etiam leges, Romanas imitatæ, mulctam irrogabant libertis, qui patronos præteriissent, aut à non iustis patronis fraude ad ingenuitatem peruenissent. Dabatur & pro pretio ingenuitas Francis, vt & libertas apud veteres seruis. Simile quiddam ambiunt hodie, qui Equites creantur à Principe, auri scilicet gestandi copia facta, aut qui obscurius nati imaginibus donantur, simul & diplomate recepto, quo idem munus legitimę posteritati asseritur. Suntq; hodie imagines pluspuam venales & pretio & fortunis magis quàm virtuti & meritis patent, vt verissimum esse videatur, quod ab Horatio est dictum:

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Maiores nostri, nisi fallor, antedictũ genus ingenuorum voce semilatina semiq; germanica *Semperfrey* appellarunt, à quibus alii sunt liberi illi, quorum maiores nullam seruitutẽ seruierũt, quos vulgo *Nobiles* dicunt. Nõ omittendum hodiernos libertinos etiam migratione ad ingenuitatem peruenire, libertinitate semel omni sublata: quod quidem pactis transactionibusque obtentum est. Vt apud nos Sangalli, si quis libertinus ex agro Abbatis in agrum nostrum aut vrbẽ ipsam ciuitate impetrata commigrat, ita omni iuri libertinitatis eximitur, vt ne obsequiũ quidẽ Abbati vllum nedum operas debeat, etiamsi inuito Patrono migret. Quali iure & xenodochium vrbis nostræ donatum est, vt in agro Abbatis (noster enim exemptus est) quodcunq; prædiũ seruitute illa, cuius paulo ante meminimus, grauatum emerit, vsura semel numerata ita liberetur seruitute, vt perpetuo careat eo onere, etiamsi à xenodochio iure fuerit abalienatum. Ad seruos aũt vt redeamus, Non licebat seruo aliam sibi matrimonio copulare, nisi coæqualem, hoc est seruam, nec quamlibet, sed eam solã quæ eiusdẽ dominii esset, nisi aliud conuentione paciscentium dominorũ licuisset. Quod idẽ & in libertis libertabusq; obseruabatur. Neq; vnũ erat mulctæ genus in illos decretum, qui cõiugio inæqualia

peregissent. Pater Alemannus liber si duas filias superstite filio reliquisset, quarum altera libero, altera liberto, seu colono, siue regio, siue Ecclesiastico nupsisset, agri paterni hereditas soli illi cedebat, quæ libero nupsisset, alteri mobilium rerum dimidium. Liberta tabellaria, quæ seruo nubebat, in seruitutem remigrabat. Fœmina Alemannica libera si seruo nupsisset, necdũ seruiles operas præstitisset, abscedere à marito licebat: quod si operas præstitisset, prolem non nisi seruã gignebat, ita tamen vt toto triennio currente actio ipsi vindiciarum secundum libertatem cõpeteret, vel coram Duce vel Comite, vel publico aliquo conuentu peragenda: si amplius triennio apũd coniugem mansisset, perpetuæ seruituti addicebatur. Salica lex, hoc est Francica (præcipui n. Francorũ *Salii* fuere) adulteriũ etiam damnabãt certa mulcta irrogata, si quis ingenuus alienã ancillam stuprasset: *Qui cum ancilla regia mæchatus fuisset* (verba sunt legis) *mille ducentis denariis puniebatur. Francus Salingus qui seruam publice vxorem duxisset, seruituti perpetuæ addicebatur: qui alienam ancillam Domino nesciente duxisset, centum viginti denariis, hoc est, solidis tribus pœnalibus mulctabatur, aut tribus quadragenis vapulabat.* Francus liber Ripuarius, (*Ripuarii* erant prouinciales Franci) qui libertam regiam vel Ecclesiasticam duxisset, prolem nõ nisi seruam gignebat libertate interim incolumi. Quod idem in Ripuaria libera, quæ liberto nupsisset, iure obseruabatur. Amittebatur autem libertas, si liber seruam duxisset, vel libera seruo nupsisset, & in seruitutem repetebantur liberti si seruas sibi matrimonio copulassent: sed & libertatibus conditio interibat, si seruis sese coniunxissent. Obseruatum autem etiam apud Francos & Alemannos, vt in coniugiis inæqualibus proles maternam conditionem sequeretur. Ex matre enim serua non nisi serui, ex libertina non nisi libertini, sicut è libera nõ nisi liberi seu ingenui nascebantur. Quod ipsum & in veteri iure (quod eximie tamen fauit libertati) traditum est. Irrogabant autem & illis mulctam Franci & Alemanni, qui seruum alienum ancillamve, libertumq; & libertam sollicitasset, abduxissent, furati essent. seu de *Mundeburde*, hoc est ditione seu dominio aut clientela patrocinioue abstulissent. Sic enim habet Lex Ripuaria: *Si quis hominem Regium tabularium tam baronem quàm fœminam de Mundeburde Regis abstulerit*, LX *solidis culpabilis iudicetur.* Quæ pœna & illos manebat, qui de Ecclesię alicuius Mundeburde nõ seruos solum, sed etiam libertos abstulissent. Nec excusabat matrimonium, cuius tamen proles ad Mundeburdem, vnde serua libertaue ablata fuisset, pertinebat. Pueri autem & puellæ è suis domibus furto ablatæ lege Salica vindicabantur, pœna mille quadringentorum denariorum, hoc est solidorum triginta quinque, in illum decreta, qui auferre fuisset ausus. Seruis autem furto ablatis ita cauebatur: *Si quis seruum vel ancillam valentem* XV. *aut* XXV. *solidos furauerit, aut vendiderit, seu porcarium aut fabrum siue vinitorem aut molinarium aut carpentarium seu venatorẽ, aut quemcunq; artificem* ǁ DCCC. (hoc est duobus millibus octingentorum den.) *qui faciunt solidos* LXX. *culp. iud. excepto capitali & delatura.* Capitale vocabant pretium rei æstimatæ, quæ furto ablata est, siue homo siue animal aliud, seu res quæpiam fuisset. *Delaturæ* nomine pretium intelligebatur, quod delatori erat constitutum. Pretio enim (vt hodie quoque) delationes & indicia inuitabant Frãci, quo citius deprehendi furta & arceri possent. Serui de furto conuicti haud raro certis ictibus vapulabant, non raro castrabantur secundum legem Salicam. Magnæ pœnæ subdebatur, qui seruum alienum, ancillamve occidisset. Quæ in re Aquilianę legis præscriptum quadamtenus imitabantur. Sed & in dominos iure Francorum redundabant seruorum delicta & maleficia, si vel trucidissent, vel vulnerassent, vel occidissent, vel furati fuissent, vel incendissent, vel simile quid

designassent: dabaturq; actio aduersus dominum, cuius seruus noxiam feciſſet. Vnde & in veteri iure Romano tituli *De Noxalibus actionibus* leguntur, in quibus ſi damnati fuiſſent, deditione corporum, quæ deliquiſſent, euitare licebat litis extimationem. Vnde *noxæ dedere* seruum dicebant veteres, quum illi addicebatur, cui nocuiſſet: ſicut & in lege domino fur, qui compenſare rem furto ablatam non potuiſſet, venundabatur. Quippe noxiam damnum vocant Iureconſulti à seruo illatum: *noxam* vero ipſum caput, quod ob noxiam deditur. Apud Alemannos hodiernos, quo liberiora ſunt seruitia, hoc minus ipſorum nomine domini conueniuntur. Durat tamen æqualitas & inæqualitas, cuius ſupra meminimus, noſtra lingua **Gnoſſame** & **Vngnoſſame** / appellata. Neque raro pacto aut conuentione accidit, vt ex aliena familia seruam ducere meæ familiæ seruo: contra & eius familiæ, cum quo pactus ſum; seruo seruam itidem de meo dominio in vxorem accipere impune licet. Eam conuentionem vulgo **den Roub** nominant, quoniam ancillas alienæ familiæ hoc modo matrimonii interuentu serui noſtri in dominii noſtri familiam ceu prædam quandam abducere videantur, vxore in mariti non modo familiam, ſed etiam dominium tranſlata. Quali pacto haud multis ſæculis exactis pluſcula Alemanniæ cœnobia Benedictina seruitiis ſuis mutuum connubiorum vſum impune permiſerunt. Haud raro & hac conditione permiſſa ſunt ex pacto mutua illa seruitiorum connubia, vt ſoboles inde procreata vtriuſque domini communis eſſet, nec niſi partitione propria fieret. Habet autem & partitio ſuum ritum, vt alter dominorum maximum natu filium primum, deinde alter natu maximam filiam legat: hinc vice verſa seruulum recipiat, qui prius ancillam, contra autem ancillam recipiat qui primum seruum legerat. quem morem diuidendi Germanice **den Wechſel** vocant.

Nunc ad chartam veniendum, quæ & Eccleſiaſticæ & Regiæ authoritatis de manumittendo ſeruo ſacris ordinibus deſtinato meminit. Vbi aduertendum, non hoc modo de cauſa, ſed aliis quibuslibet, vt eſt dictum, manumiſſionem in Eccleſia locum habuiſſe. Sic enim habet lex Ripuaria: *Hoc etiam iubemus, vt qualiſcunque Francus Ripuarius ſeu Tabularius ſeruum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu propretio ſecundum legem Romanam libertare voluerit in Eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto clero ac plebe in manu Epiſcopi cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum iubeat, vt ei tabulas ſecundum legem Romanam, quæ Eccleſia viuis ſcribere faciat, & tam ipſe quam omnis creatio eius liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, & omnem reditum ſtatus & ſeruitium tabulariorum Eccleſiæ reddant, & nullus tabellarius dinarium ante Regem præſumat iactare. Quod ſi fecerint, ducentis ſolidis culp. iud. & nihilominus Tabellarius ipſe & poſteri eius tabellarii perſiſtant, & omnes reditus ſtatus eorum ad Eccleſiam reddant, & non aliubi, niſi ad Eccleſiam, vbi relaxati ſunt, mallum teneant.* Hactenus Lex. Sed & Canones extant Conciliorum mediæ ætatis, quæ libertis Eccleſiæ ingenuitatem, niſi ex patroni conſenſu non permittunt, ad seruitium interim reuocantes libertos ingratos, qui patronis inſultaſſent: quorum & Gratianus meminit 12. quæſt. 2. vbi *de rebus Eccleſiarum non alienandis* agitur. Recte autem & Latinè ſcriba ille *familiam propriam* dixit. Ita enim in l. 195. ff. de verbor. ſig. definitur, quæ vnius dominio paret. *Communis* autem *familia*, quę duobus pluribusve dominis seruit, ex Paulo Iureconſulto in l. ſi quis, ff. de Nox act. Quemadmodum enim in prædiis & agris ædificiisque, ita & in seruitiis proprietas locum habet, vt *proprius* dicatur, qui in mea ſolius poteſtate eſt, & *propria familia*, quæ in meo ſolius dominio eſt. Non ſolum autem relatiue ſe habet proprius seruus ad communem, ſed etiam ad alienum.

Sæpe

Sæpe enim fit, vt in alienis mãcipiis vſufructum aliquem habeamus, qui nobis vel in pignus dati, vel commodati, vel precario conceſſi ſunt, quorum interim proprietatem non habemus. Adhæc proprium ſeruum manumittere licet, alienum etiamſi in vſufructu meo eſt, non licet, quod illius ſit ius manumiſſionis, cuius eſt proprietas. Proprias autem & ancillas dicimus, quæ vni domino ſeruiunt, communes, quæ duobus pluribusve. *Teſtamentum* ſcriba ille haud recte pro inſtrumento poſuit, quanquam ſui ſæculi more eſt factum. Nam & in Ripuaria Francorum Lege, tit. *De venditionibus*: *Siquidem*, (inquit Lex) *aliquid vendiderit, & emptor teſtamentum venditionis accipere voluerit, in Mallo hoc facere debet*. *Portas* vero *apertas* ſolemni more chartis ingenuitatis inſerebant, vtpote ex lege translatas, quæ ſic habet: *Si quis ſeruum ſuum liberum fecerit & ciuem Romanum, portas q. apertas conſcripſerit*. Supra autem diximus, cum libertate etiam ciuitatem conceſſam fuiſſe, non in vrbe modo, ſed etiam in prouinciis, idq; Diui Antonini conſtitutione, qui voluit, vt in orbe Romano qui eſſent ciues Romani efficerentur, vt Paulus IC. tradit in l. 4, ff. de ſtat. hominum. Quod ipſum declinantibus imperii rebus multo largius conceſſum eſt, Prouincialibus videlicet in fide retinendis, vt vel ſerui ad libertatem perducti ciuitate donarẽtur. Vnde & ad Francos idem mos deductus eſt, quum Franci confirmatis regni ſui viribus, & aucta etiam religione Romanorum prudentiam, quam ſummè ante oderãt, amare iam atq; etiam obſeruare cœpiſſent. Citantur in Iuſtiniani Codice verba Conſtantini (vt coniicio) Iunioris ad Oſium Epiſcopum in tit. *De his qui in Eccleſia manumittuntur*, quæ ſic habent. *Qui religioſa mente in Eccleſia gremio ſeruis ſuis meritam conceſſerint libertatem, eandem eo iure donaſſe videantur, quo ciuitas Romana ſolemnitatibus decurſis dari conſueuit. Sed hoc duntaxat his, qui ſub aſpectu Antiſtitum dederint, placuit relaxari*, &c. Ecce ius Romanum, quod B. Gregorius imitatus: *Nos*, inquit, *Montanum & Thomam famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cum Deo authore diſcernimus liberos ex hac die, ciuesque Romanos efficimus, omneque noſtrum vobis relaxamus ſeruitutis peculium. Hanc autem manumiſſionis paginam Paterio Notario ſcribendam dictauimus, & propria manu vna cum tribus Presbyteris prioribus, & tribus Diaconibus propleniſſima firmitate ſubſcripſimus, vobisque tradimus. Actum in vrbe Roma*, &c. Hactenus Gregorius, *Presbyteros priores* vocans, qui & *Cardinales* dicti ſunt, longe alii hodie facti, quàm tum fuere, cum opes & faſtum ignorauit Eccleſia. *Peculium* autem dixere Iureconſulti, quicquid ſeruus domini permiſſu poſſidebat, quod à chartulario illo noſtro *peculiare* recte & Latine eſt dictum. Quicquid enim ad peculium attinet, peculiare dici poteſt, authore Valla libro ſexto.

Ludouuicus autem, quo regnante Sigimarus manumiſſus eſt, Craſſi Imp. & Carlomanni patris Arnulphi frater fuit. His enim filiis pater Ludouuicus Senior, qui & Alamannorum Rex multis in chartis cognominatur, regnum ſuum ſe viuo deſtinauit: Craſſo quidẽ Alemãniam, Carlomanno Baioariam, quam dudum ſuæ ditioni adiecerat: Ludouuico vero reliquam Oſtrofranciam, quæ & ipſa aliquid Alamannię continebat, attribuens. Extant tamen & antiquæ literæ, quæ Ludouicum Bauariam aliquamdiu tenuiſſe teſtantur. Sane iam Baioariorũ iam Alamannorũ ſeſe Reges inſcripſerunt Franci, qui tamen ſolis Bauaris aut Alemannis non præerant. Mortuo aũt Carolomãno filius Arnulphus in Baioariam ſucceſſit, ille qui deinceps Craſſo patruo defuncto imperium adeptus eſt. Alamanniæ enim Craſſum filium à Ludouuico patre præfectum fuiſſe vetus charta teſtatur, cuius ſubſcriptio hæc verba habet: *Ego itaque Luito indignus monachus nec non & Diaconus in vicem Thiothardi Prepoſiti ſcripſi & ſubſcripſi. notaui diem Veneris* VII. *Idus Septemb. ann.* XXXIII.

Hludo-

Hludouuici Regis, & sub filio eius Carolo Rectore eiusdem pagi, in quo præfatæ res sitæ sunt, hoc est Brisgouue. Scripta enim erat charta illa donationis in Bubliniſuuilare. Neque ignorant vel mediæ ætatis temporum periti, pagum *Brisgouicum* ad Alamaniam attinuiſſe. Nota omnibus *Baioaria* eſt, ſed ignoti pleriſque omnibus veteres Baioariæ limites. Latiſſime enim patuit gentis illius ſedes, & ad alpes vſque Tridentinas porrectas fuiſſe conſtat. Comitatus enim, qui hodie Tirolenſis cognominatur, pars quondam Baioariæ celeberrima fuit. Inde eſt, quod Ottho Friſingenſis Brixiam ciuitatem minorem nō procul valle Tridentina ſitam in Baioaria ſtatuit: ſicut & Norici tractus Orientalis, quem hodie *ſuper Anyſum* cognominat, Ducum Auſtriæ ditioni coniugiorum (vt creditur) interuentu adiectus. Hoc denuo animaduertendum, chartam illā manumiſſionis non Comitem, ſed Ducē habere ſubſcriptum: quales multas vidimus, ſed frequētiores tamen Comitū nomine: Illa autem ætate & Duces & Comites, vt ſupra quoque dictum, non ſui iuris, ſed Regum & Imperatorum officiarii ac veluti miniſtri erant. Neque obſcurum eſt, Alemanniam pro gentis claritate & fortitudine præſtantes Duces habuiſſe, qui poſteaquam collapſæ Francorum res fuerant, ſui iuris facti potentiſſimum illum Sueuiæ Ducatum ſunt auſpicati, qui multis ſæculis nec magnitudine, nec opibus, nec virtute vllum ſuperiorem habuit, hodie (vt regnorum inſtabiles ſunt vices) ita extinctus & abſorptus, vt ne nomen quidem admodum memorabile exiſtat.

EXEMPLVM MANVMISSIONIS CORAM COMITE FACTÆ, QVOD ET TRANSactionis ſpeciem præfert.

IGitur dum pluribus cognitum eſſe conſtat, qualiter nos N. & Aduocatus noſter Poſſo partibus monaſterii N. quemdam hominem Vnderuſt nomine ad ſeruitutis iugum attrahere voluimus, & ideo in Mallo publico coram Comite Wodalrico, ſcilicet ego N. & prædictus Aduocatus noſter Poſſo, illum pleniter ad ſeruitium præfato monaſterio noſtro quæſiuimus, nobiſque & ſucceſſoribus noſtris illum ſubiugare conati ſumus. Ille autem in eo conſilio, prædictus videlicet Vnduruſt, ſtuduit ſe reconciliare quam ſeruituti ſuccumbere, ſagacibus q; flagitationibus à nobis & Aduocato noſtro vt ſe nobiſcum pacificare valuiſſet. At nos propter amorem Domini, illius rogationibus ſenſum accommodantes conſentiebamus, reconciliationem non renuentes. Atque ob id iam dictus homo Vnduruſt de medio quod habuit territorio inter Hagenbuah & Eligauge ac Snetta iuchos quatuor ad reconciliationem nobis dedit, ſcilicet vt a die præſente ita ingenuus conſiſtat, quaſi ſi ab ingenuis parentibus ſit genitus: Nosque ea ratione illud accipientes, quatenus ipſe noſtra ex parte ab omni ſeruitutis vinculo ſit exutus in perpetuum, totaque eius agnatio, poſteritas & procreatio ſimiliter ſit abſoluta ſub ea conditione quæ modo ab illo genita eſt & deinceps progenita fuerit, tanquam ſi ex liberis fuiſſent parentibus procreati, hoc q; conſcriptionis vinculo firmari iuſſimus. Actum in Wintarduro coram Voldarico Comite & cætero populo. Sig. N. Abbatis & Aduocati ſui Poſſonis. ſigna aliorum teſtium Voldaricus Comes, Adalhol, Wanzo, Adalhelm, Nidger, Landfrid, Aſthori, Vto, Fridun, Lantoldt, Heitar, Vunnirads, Strello, Adalram, Other, Alpheri, Thiosperi, Cunzo, Hadabert, Wolfchrig, Huppert, Autho iunior.

Ego itaque Thiothar recognoui & ſubſcripſi. notaui diem Mercurii, 11. Id. Februar. Ann. XVII. Hludouuici Regis in orientali Francia.

Sub Vodalrico Comite.

Vtcun-

VTcunq; barbara & inculta charta iſta viſa eſt, tamen dignam duximus, quæ adſcriberetur, quo conſtaret vel apud Alemannos veteri more ſeruos errones aut fugitiuos aut latitantes de ſtatu ſuo interpellatos à dominis, & ad ſeruitutem reuocatos fuiſſe. Hoc enim iure Romano ſecluſa omni temporis præſcriptione licebat. Elapſi autem serui & peregre profecti quique in fuga eſſent, plerique dolo malo libertatem ſimulabant, nec parũ negotii faciebant liberis hominibus, qui eos veluti liberos excepiſſent. Sæpe etiam vel cogniti recipiebantur, quo tutius poſſent latitare, & abſcondẽdi cauſa refugium præſtabatur, quod impune tamen nõ fiebat. Deprehenſi autem vel repetebantur priſtinam in ſeruitutem, vel cum dominis pacti non ſine detrimento aliquo vel rerum vel pecuniæ oblatæ manumittebantur. Qua de re hodie vrbes pleræq; pagiq; liberi neminem vteunq; meritũ ciuitate donant, niſi tabulis oſtenſis, quæ de ſtatu eius palam teſtificentur, quas vulgo **Mannrechtebrieff** vocant. Non poteſt enim cõmuni iure liberorum hominum gaudere, qui vllius hominis proprius eſt. Cæterum *Hludouuicus* ille Rex, cuius in charta fit mentio, *Iunior* fuit Craſſi & Ludouici & Carolomanni pater, cuius paulo ante meminimus. *Comes* autem *Vodalricus* eius familiæ fuit, quæ à Kyburg cognominata eſt, celebri quondam, ſed prorſus extincta. Comitatus ipſe Kyburgenſis cũ arce munitiſſima ditioni hodie clariſſimæ vrbis Tigurinæ ſubiectus eſt. In eo ſitum eſt oppidum *Winterdurum*, etiamnum ita vocatũ, ab Antonino autem in Itinerario ſuo *Vitodurum* dictum, cultum quondam & populoſum, ſed ab Alamannis prouinciam ingreſſis affligitum, reſtauratum tamen: nec ſitus modo amœnitate, ſed copia etiam rerum quarumlibet, præterea ciuium ſingulari humanitate, celebratur.

EXEMPLVM CONCAMBII AGRORVM.

NOtum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod ego Hartmutus Abbas monaſterii S. Galli vna cum conſenſu fratrum & Aduocati noſtri Heitares, quas Waldker in Zillenslatte ſub cenſu vnius maldri habuit, hoc eſt LXII. *iuchos, ad nos recepimus, omnia videlicet ex integro tam domibus quam ædificiis, campis, pratis, agris, paſcuis, ſiluis, viis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, & deinceps poſſeſſuri, ea videlicet ratione, vt in Kebirate ſmarca ipſe Waldker & legitima procreatio eius æqualem partem illarum rerum totum tempus vitæ ſub cenſu vnius maldri ſine vlla contradictione in concambium recipiant, redemptione ipſarum rerum ipſis omnino denegata. Actum in ipſo monaſterio præſentibus iſtis, quorum hic ſignacula continentur. Sig. Hartmuti Abbatis & Aduocati eius Heitar, qui hanc chartulam concambii fieri decreuerunt. ſig. Thiothardi Decani. ſig. Folchardi Præpoſiti. ſig. Hartmanni cellarii. ſig. Paldarits Portarii. ſig. Engilrawi. hoſpitalarii. ſig. Richberti ſacratarii. ſig. Ortuuini Camerarii. ſigna aliorum teſtium, qui ibidem præſentes adfuerunt. ſig. Waldker. ſig. waldram. ſig. Engilbold. ſig. Herbrandt. ſig. Reginger. ſig. Lantprecht. ſig. Cannolf ſig. Hangoz. ſig. Wallod.*

Ego itaque Purgolfus indignus monachus ad vicem Ruadini monachi ſcripſi & ſubſcripſi. notaui diem quartam feriam III. *Kalend. Iul. An.* XXXV. *Hludouuici Regis.*

Sub Adalberto Comite.

QVod ſæcula illa inconſultiſſima *Concambium* dixere, Latine *permutatio* dicitur, contractus longe veteſtiſſimus, diuerſus ab emptionis & venditionis contractu, qui poſterior tempore neceſſitate quadam adinuentus eſt.

Quic-

Quicquid autem emi & vendi potest; hoc idem & permutari potest, pactis etiam & conditionibus interuenientibus. Extat autem in Pandectis titulus, *De rerum permutatione*; quo docetur, diuersam esse ab emptione & venditione, ad quem Lectorem remittimus. *Maldri* vocabulum Alemanicum etiamnum durat **malter**/quatuor modios nostrates comprehendens. Apparet autem & in hac charta quàm difficulter Germanicas voces reddiderint scribæ illi & chartularii semilatini. Quod enim hic scripsit *Kebirate* & *marca*, Maiores nostri **Gebhart**, **marck** nominarunt, interim etiam **Gebhardswil**. *Zillenstate* autem **Zilschlat**. Et videri posset vel Gallicè vel Anglicè peritiores fuisse monachos quosdam (Scotos enim & Gallos quondam cœnobium nostrum aluit) quàm Germanicè, nisi constaret multis postea sæculis linguam nostram vulgo scribi cœptam, atque ideo ne nostros quidem admodum tritum vsum linguæ scribendæ habuisse. *Adalbertus* autem, cuius hæc charta meminit, Comes fuit Durgauorum. Et extant adhuc villæ iam dictæ haud procul vrbe nostra, cuius agrum & limitem Comitatus quondam Durgauorum vndiquaque attigit ad Alpes vsque Abtzellanas & vallem à Rheno cognominatam protensus: cuius & merum imperium omne inter sæculi spatium fuit tam in Abtzellano quàm reliquo cœnobii agro exercitum. Scripta est autem hæc charta XXXV. anno Hludouuici, cuius supra mentionem fecimus, anno nimirum vno ante obitum Domini videlicet DCCCLXXVI.

EXEMPLVM PRECARIÆ CVM Concambio coniunctæ.

EGo N. cum manu Aduocati mei Cozolti accepi a quodam homine nomine Augberto in Zurichgouue in loco qui dicitur Eskinhoua ad curtim Lintauua pertinente, VIII. iuchos de terra statim in tus monasterii redigendos; & dedi ei alios VIII. iuchos in Durgouue in loco qui dicitur Elinkouue; ea ratione vt dies vitæ suæ eandem terram sub censu vnius denarii possideat; similiter & vxor eius post eum; & post eorum obitum in ius monasterii reuocetur. Actum in Cella, Idib. Februarii, Anno imperii Caroli secundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi sunt testes, Othere, itē Othere, Buozo, Adalram, Zuozo, Mangaloh, Cozolt, Erchanolt, Richart, Eburhart, Rathere, Vadolhart, Gebehart, Hiltebolt, Adalung, Richgouuo.

Ego Notker iussus descripsi.

APparet & in hac & superiore charta non permutasse monachos, nisi magno suo commodo, adeo semper auida rerum fuit monastica religio; quæ verecundius tamen primis istis sæculis sese gessit, quàm posttemis; quibus profecto licuit quicquid libuit; Regibus interim in vtramque (quod dicitur) aurem insigniter dormitantibus. Sæpe verò chartæ antiquæ *pagum Turegi* à *pago Durgauorum* separant, interim vno vtrumque nomine complexi, quem *Tigurinum* olim fuisse minime vana coniectura est. *Curtis Lintouua* hodie celebrum oppidum est, *Lindauium* dictum, in lacu Brigantino; Annales monastici *Lintaugiam* vocant, cum cœnobio veteri, quam totam incendio conflagrasse legimus Anno Salutis DCCCCXLVIII. Brennio videlicet post Rachiltæ mortem, quæ nota est Lintaugiensibus. *Curtes* Alemanni vocabant loca celebria oppidave, aut in ipsis oppidis domicilia celebrium hominum. Scripta autem est hæc charta Carolo Grosso imperante, quem in Augia maiore, quæ infra Brigantinum lacum est, sepultum esse supra diximus.

LIBVIT ET VENDITIONIS CHARTVLAM ADDERE, BARBARAM QVIDEM ILLAM, SED VETEREM ANTE annos minimum DCCCCXX. scriptam.

DOminis in Christo fratribus cõgregationis S. Galli, vbi Ioannes Episcopus vel Abbas præesse videtur cum Hartrico Decano & Bilifrido Præposito & aliis quamuis plurimis, Ego itaq; Rihbertus filius Cotzberti venditor, constat me vobis vendidisse, hoc est in pago Durgauense in villa quæ dicitur Bettinouua, quicquid ego ab Adalsuinda cum eo pretio adquæsiui, hoc est iurnales XXV. cum omnia quidquid ad ipsam terram conspicit vel continet, hoc est campis, siluis, pratis, pascuis, viis, aquis, aquarumq; decursibus, cũ omni adiacentia vel appendicia a die præsenti de meo iure in vestram trado dominationem habendi, commutandi, vindendi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmissimam habeatis potestatem faciendi: & accipio à vobis seruum nomine Rhadoinũ adtaxatum preciũ coram testibus, quorum hic nomina continentur. Sig. Rihbertus venditor. sig. Wanzo. sig. Iso. test. sig. Erchanbert test. sig. Thiotbaldo test. sig. Gramanno test. sig. Eoto test. sig. Hartbaldo test. sig. Rehinbert test. signum Wolfram notar.

Ego enim Waringisus Cancellarius rogitus & petitus à Rihberto scripsi & subscripsi, Anno IIII. regnante Carolo gloriosissimo Rege. Notaui sub die quod feci mense Iunios die octauo.

Sub Warino Comite.

ET hæc charta tam barbarè scripta, & quidem (quod mirari liceat) à Cancellario, illorum temporum in Alemannia inscitiam arguit, paucis tum ac raro etiã repertis, qui Latinè possent id genus tabulas cõhcere. Satis enim visum illis, si sensum semel qualicunq; sermone, modo Latinũ resiperet, exprimerẽt & significarẽt. Mitigata tamen est postea barbaries Pipini & Caroli victoriis, quum deuictis Lõgobardis Italiæ regnũ Francico cõiunxerunt. Inde n. & doctrina paulo amplior & linguæ quantulacunq; puritas ad Francos & Alemannos est translata. Admonendus aũt Lector hoc loco (quod supra quoq; attigim⁹) vel in vẽditionis tabulis specialiter nec nomina bonorũ nec fines marcásve, vt vocabãt, vllas exprimi aut indicari: quod hodie tamen ita exigitur, vt cassæ sint tabulæ, quæ agri empti & vẽditi nec nomen nec situ aut fines cõtinent. Quare indubiũ fuerit, illa ætate in lite mota plus testib. actũ fuisse, q̃ tabulis. Vnde & illud est, quod Francicæ leges de testib. in emtionis cõtractu adhibendis ita cauent, vt si mediocris rei fuerit septẽ nimirũ testes, sin magnæ rei duodecim adhiberẽtur. Id quod & in transactionib. obseruatũ est. Sæpe aũt sine tabulis cõtracta est apud illos emtio & venditio, solis testib. adhibitis puerisque accitis, qui soleni ritu admoniti memores esse rei semel peractæ, & sic memoriæ rei ad legitimũ aliquod præscriptionis tẽpus durare possent. Sic n. habet lex Ripuaria de traditionibus & testib. adhibẽdis: *Si quis villam aut vineam vel quamlibet possessiunculam ab alio cõparauerit, & testamentum accipere non potuerit, si mediocris est cum sex testibus, si parua cum tribus, si magna cum XII. ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, & sic eis præsentibus pretium tradat, & possessionem accipiat, & vnicuique de parnulis alapas donet & torqueat auriculas, vt & postmodum testimonium præbeant. Si autem testes non potuerit congregare, vt ei testimonium præbeant tunc rem suã cum sex vel cum septem cum sacramenti interpositione sibi studeat euindicare.* Moris n. erat Frãcis & Alemãnis, vt vnus aliquis, cui cõtrouersia mota fuisset, cũ plurib pro fidei suæ testificatione ad iurandũ admitteret, singulorũ dextra manu nõ leuata, vt hodie fit, sed supra capsula, cui reliquiarũ aliquid inesset imposita, ita tamen vt eius, cuius causa verteb atur, suprema manus esset, & reliquas prehẽderet, qui & solus cõcepta sacramenti verba proferebat, *Sic me Deus adiuuet; & illa reliquiæ, ad quas manus*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [118] - 86
PUBLIC DOMAIN

nus illas comprehensas habeo. Hinc Thassilonem Baioariorum Ducem Pipino & filiis eius obedientiam & fidem manum primum super Dionysii, deinde super Martini, tertio super S. Germani corpus cum primoribus suis imposita iurasse apud Vtipergensem legimus. Vtitur autem praefata lex verbo *euindicare*, pro eo quod *euincere* Romani dicunt, quod emphasin quandam habet. Plus enim est quàm vincere. Nec enim superare tantum est iudicio vindicationis, sed etiam rem vel possessionem abducere. Hinc *vindicia* pro possessione in legibus antiquis Duodecim tabul. & apud T. Liuium.

TRANSACTIONVM CONVENTIONVMQ. CHARTAS PACATIONVM VOCABANT, quarum vnam tempore Caroli Calui æditam descripsimus, quæ sic habebat:

NOtum sit omnibus, videlicet praesentibus & futuris, quod ego Salomon Iunior, Constantiensis sedis Episcopus, & Hartmutus coenobii S. Galli Abba, vna cum conuenientia & consilio vtroque loco fratrum caeterorumque fidelium nostrorum omnem malitiosae artis litem atque dissentionis contentionem de subscripta re ipsis in locis in futurum praecauendum statuimus inter nos, vt venerabili Abbati & fratribus praedicti monasterii decimam in subnotatis locis (sicut illius temporis in illorum erant vestitura) concederemus, hoc est in Mechingen simul cum Salica terra & hobis, quae Canonicis pertinebant, & in Hemihofun cum Salica terra & hobis, & in Goldahun cum Salica terra simul cum illa hoba quae illi adiacet cuius decima tunc in mea vestitura erat. quod & ita fecimus, ea scilicet ratione, vt mihi contra donarent quicquid in Lienzeuuilare habuissent, & in villa Buoch hobam vnam, & in Syrnaha curtilem vnam simul cum adiacente prato, & quicquid habuissent in syluicula quae dicitur Tegernmos inter Syrnaha & Gloten, quod & ita fecere, & vt firmior & credibilior omnibus in futurum maneret, placuit inter nos chartam pacationis ex vtraque parte alleuari, quod Tuitisce Suonbuochorum minamus, cum manibus Aduocatorum nostrorum Isamberti & Lautolfi, successores nostros ammonendo vt absque vllius inquietudinis scrupulo inconuulsa & stabilis omni tempore in aeuum permaneat. Sig. Salomonis Episcopi & Hartmuti Abbatis qui hunc chartam pacationis fieri decreuerunt. sig. fratrum Monachorum, Perenhart, Rimeling, Iob, Erfolt; Signa fratrum canonicorum, Henno, Etcho, Tugeman, Hartpreht. signa caeterum testium, Hartpert, Engilbold, Sano, Vntto, Wetti, Starcafrid, Ruohpert, Thietbold, Ruohtpert, Werdo, Herebrant, Otto, Wolfram, Miloh, Hugoz. Actum in villa Romanishorn Anno regnante Imp. Carolo II. sub Comite Adalberto, mense Iun. die Veneris, inditione XV.

Ego Etcho indignus Archipresbyter iussus scripsi.

TRes *Salomones* Episcopos non magno temporis interuallo sedes Constantiensis habuit: primum sub Ludouuico Pio honoratum virum, secundum Iuniorem cognominatum sub Ludouico Iuniore & fratre eius Carolo Caluo, cuius haec charta meminit, quo cum monachi Sangallenses grauissimam discordiam exercuere, non ea modo causa, quod exigere quaedam praefractius à nostris videretur, sed illa quoq; quod vel illa aetate (vti diximus) coenobiis opulentioribus inuisum erat factum Episcoporum nomen, & odio, vt sic dicam, Vatiniano dissentiebant Episcopi & Abbates: Tertium, qui simul & Episcopus Constant. & Abbas S. Galli & Augiae Maioris fuit, minime malum Praesulem, à quo parochia altera oppidi nostri ad D. Magnum

Arnulpho Imp. consentiente fundata est. Regum enim & Imp. vt alibi quoque diximus, non Pontificum consensu illis sæculis Francia & Alemannia Ecclesias instituebat, neque aliorum quàm Regũ ius illud inuestituræ, quod vocant, erat. Vnde & in hac charta *vestitura* intelligitur ius possessionis cõcedendæ, quod Episcopi Abbatesve à Principe accepissent, nisi videri queat *vestituram* hic dici, quæ vulgo Lehen dicitur. *Salica* autem *terra* dicebatur, cuius hæreditatem soli mares adibant, nulla prorsus parte eius ad fœmellas attinente, veluti lege Salica cautum erat. Et hodie extat lex sub titulo, *de Alode*, qua voce quid significatum videatur, à Rhenano est explicatum. *Tuitisce* dixit quod vulgo Theutonice. nam & *Theodiscam linguam* illi dicebant, hoc est Germanicam, die Teutsche Sprach. Alemannis *Suuonen* erat pacificare, reconciliare, transigere. Vnde *Suuonbuoch*, charta id genus conuentiones complexa. Extant adhuc villæ illæ Durgouicæ & vicus *Romanshorn* vulgo dictus non incelebris occiduo in littore lacus Brigantini medio in tractu inter Constantiam & S. Gallum.

SED ET ABBATISSÆ OMNE GENVS CHARTAS ÆDEBANT, QVARVM VNAM PRECARIAM VIdimus satis longam hoc initio.

CHristi igitur fauente clementia, Ego Irmindrud & Berechtrud venerabiles Abbatissæ filiæ Vodalrici Comitis & Perechteidæ vna cum consensu amicorum nostrorum & cum manu Aduocati nostri Iuoni, complacuit nobis vt res quas nobis Engilbirie tradidit ei iterum per hanc chartam precariam præstaremus. In fine autem sic. *Actum in loco qui dicitur Ahadorf in ipsa Ecclesia S. Alexandri Martyris publice præsentibus ipsis*, &c. In ima autem parte sic:

Ego itaque Notpertus indignus Presbyter scripsi & subscripsi. notaui diem Sabbathi III. *Kalend. Augusti luna* XXIIII. *Anno* V. *Caroli Imp.*
Comite vero Adalberto.

VNde coniicimus, Durgauicas fuisse, fortassis eius cœnobii, quod proxime Vitodurum ad Tosam amnem situm est. Alterum enim, quod supra vicum Ahadorf ad Aham amnem cernimus, non ita vetustum est, vt eius Abbatissas intelligere queamus. Habet enim pagus Durgouuicus cœnobia puellaria multa tum vetusta, tum etiam opulenta. Supra aũt diximus, in *Ahadorf*, præposituram quondã extitisse, quæ postea in locũ Durgauorũ, quem *Vilam* nominant, translata videtur, suppresso quidẽ præposituræ nomine & instituto vicario, qui ab Abbate Sangallensi reditibus cõtrahendis aliisq; id genus negotiis administrandis præficitur. *Wila* sanè villa fuit, dein vicus, demum castrũ Comitum Toggenburgiorum, qui & ipsi Francicæ originis fuere, postremo cœnobio S. Galli pietatis ergò magna ex parte donatum est sub Abbate Chunrado à Busnang, anno Domini MCCXXVI.

Supra à nobis dictum est de fraternitate monastica & consortio illo operum, in quod non domestici modo & indigenæ, sed exteri etiam & peregrini homines recepti sunt tanta accessione capitum, vt fœminæ etiam forensium in numero censerentur, præterea & Reges & Nobiles fucata illa communione freti *fratres conscripti* vocarentur, quod Chronica nostratia palam testantur. Proinde exemplum vnum & alterum ex monasterii Sangallensis Annalibus descriptum huc adposuimus, quo & huius generis chartarum Lectori copiam faceremus. Dignæ enim sunt, quæ expendantur. Ac primum quidem peregrinam, mox domesticam referemus.

Anno

Anno ab incarnatione Domini DCCCCXXIX. *indictione* II. *Kenouuald venerabilis Episcopus profectus ab Anglis, omnibus monasterijs per totam Germaniam cum oblatione de argento non modica & in id ipsum à Reg. Anglorum eadem sibi tradita visitans Eidibus Octobris venit ad monasterium S. Galli; qui gratissime à fratribus susceptus & eiusdem patroni nostri festiuitatem cum illis celebrando quatuor ibidem dies cõmoratus est. Secundo aũt postquam monasterium ingressus est, hoc est in ipso depositionis S. Galli die basilicã intrauit, & pecuniam secum copiosam attulit; de qua partem altario imposuit, partem etiam vtilitati fratrum donauit. Post hæc eo in conuentum nostrum introducto omnis congregatio concessit ei annonam vnius fratris, & eandem orationem, quam pro quolibet de nostris siue viuente siue vita decedente facere solemus, pro illo facturum perpetualiter promisit. Hæc sunt autem nomina, quæ conscribi iussit, vel orauit, Rex Anglorum Adalastran, Kenouuald Episcopus, Wighart, Kenun, Cuonrat, Kronolaf, Vundich, Keondrud.*

Ex annorum supputatione clarum fit, Kenouualdum illum Hainricho Primo regnante Sangallum venisse, impetratum scilicet, *annonam*, quam vulgo hodie *præbendam* vocant, & precum communionem, quæ qualis fuerit hoc ipso docetur, quod non nisi pacisscentibus, aut liberaliter offerentibus concessa est. Nemo vero miretur Germanicorum nominum apud Anglos vsum, quem hæc Annalis commonstrat. Ipsi enim Angli Germani fuere, à littore Germanico in ipsam Britanniam translati circiter Valentiniani imperium: quo tempore & Saxones Britanniam insulam inuasisse notius est, quàm vt indicari multis debeat.

ALIVD EXEMPLVM.

ANno incarnationis DCCCCL. *Comes Saxonicus Marchio contra Sclauos vir religiosus, Kero nomine, à liminibus Principum Apostolorum reuersus monasterium S. Galli orationis causa visitauit. Qui cum à fratribus benigne & hospitaliter fuisset susceptus, spiritali, vt creditur, admonitus instinctu, studiũ sanctæ conuersationis sibi corde tenus placere professus est, cepitq; humiliter & lacrymosissime à patre monasterii flagitare, vt in consortium fraternitatis mereretur admitti, Libras quoq; argenti oblato sancto deuote & fideliter obtulit: & si quo pacto vel apud Regem, vel apud quemlibet Procerum proprietatem siue possessionem quamlibet infra terminos Alemanniæ consequi potuisset, monasterio se sine dubio collaturum esse promisit, & in omnibus cœnobii necessitatibus siue negotiis iuxta scientiam facultatemque suam tam in palatio, quam in priuato infatigabiliter adstiturum. Cuius precibus Abbas cum congregatione annuens omnem consuetudinariam fratrum constitutionem siue in orationibus seu vestitu & vestualibus tam viuenti quam defuncto ex integro condonauit, & vt hoc nulla posset oblitione deleri vel negligentia intermitti per annos singulos* X. *Kalend. Aprilis (quomodo hæc & expetiit & obtinuit) commemorationem eius inter sacras missarum hostias sanctum est fieri; hanc denique pactionem in regula monasterii inscriptione firmari.*

EX anno incarnationis Christi, cuius hic mentio fit, colligimus Abbatem Cralonem ad hunc modum cum Kerone Marchione pactum fuisse, quo anno Otthо primus etiamdum Rex ingenti cum exercitu Italiam ingressus tractum illum circum Padanum, quem veteres togatæ Galliæ tribuerunt, subiugauit, quartodecimo demum anno Romæ à Ioanne Pontifice vna cum filio Otthone coronatus. Potuit igitur Kero, soluto Otthonis exercitu, Romam proficisci, atque inde reuersus Rheticis iugis superatis

tis Sangallum diuertere. Mirum autem in illis sæculis factitiam illam monasticorum operum cõmunionem tanto in pretio habitam fuisse, vt haud temere vllis nisi eximie donantibus, aut alioquin grandia pollicentibus pacisscentibusve concederetur, & nostros (Francos dico & Alemannos) sic inuolui errore potuisse, vt labes & sordes, humanam puto iustitiam, auro, argento, agris, mancipiis comparare & suam facere maluerint, quàm iustitiam Christi, & illam verè Ecclesiasticam bonorum omnium κοινωνίαν, quam in Symbolo profitemur, vestigare & prehendere, quæ profecto nec auro nec pretio vllo venit, sed emptore reiecto gratis datur, nec ab vllo prehenditur, nisi gratis eam sibi offerri exhiberique sciat & intelligat, damnatis interim & anathemate percussis, qui suam iustitiam tam operosam diuinæ iustitiæ, quæ fide est, si non præferunt saltem æquant, vel diuina gratis accepta ad quæstum & nundinationem abutuntur, negotiantes in templo Domini, & oues Christi religionis prætextu deglubentes. Monachi enim horum sæculorum non solum sua in opera inuitabant omne genus mortales, redemtilia videlicet ad vitam & satisfactionem, sed opus etiam eleemosynæ in se collatum ita extollebant, vt haud temere vlla in parte rectius locatum videri deberet. Solam enim & maximam eleemosynam iactabant, qua collegiis monasteriisque subuentum fuisset. Quod ipsum veteres chartæ fusissime testantur, quarum vnius exordium modo (ne fastidio Lectori essemus) adscribere libuit, quod sic habet:

Dum fragilitas humani generis pertimescit vltimum vitæ tempus subitanea transpositione venturum, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de sæculo, nisi dum in sua potestate consistit præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam salutem valent peruenire. Igitur ego Reginsind tractans pro Dei timore, vel remedio animæ meæ, & animæ filii mei Perchtoldi, &c. Scripta vero fuit charta *Anno* II. *imperii Caroli, Regni* autem XXXV. *sub Erloino Comite.* Vnde satis constare puto, qualem opinionem Monachi animis hominum infuderint. Exculationem tamen mereri Principes Francos, supra est dictum, qui certo destinatoque animo religionem Christianam suis illis conatibus & expensis nõ aucturi solum, sed culturi etiam erant: aliam autem, quam excolerent, quamque auctiorem facerent, non habebant, quàm quæ ipsis ad fidem nuperrime conuersis fatali illa temporum calamitate fuerat oblata. Adhæc non paruam vtilitatem consecuti sunt in disciplina & doctrina monasteriorum veterum, quæ exilis & modica, licet multis in cœnobiis fuerit ac vix digna æstimatione, si veterum, hoc est earum, quæ ante Gregorium floruerunt, Ecclesiarum cum doctrinam & eruditionem, tum etiam fidem & pietatem contempleris: tanta tamen & talis fuit in gente illa inculta & barbara, nec ita pridem ad religionem adducta, vt hæc ipsa sine illa parum constatura videretur. Quare & Nobiles & priuati homines ingenti illa errorum, vt sic dicam, inundatione velut torrente quodam abrepti, quàm optime locatas putabant opes suas, si eos in cœtus illos monasticos, fucatam videlicet operum & ceremoniarum obseruantiam, contulissent. Arbitrabantur enim homines Franci & Alemanni, candidi quidem, sed barbari, & nuper ad Christi fidem conuersi, iustitiam vitæ assequi se opere horum tam liberali, neque non vt minus pauperibus largiebantur, qui tamen nec egeni, nec ærumnosi aut miserabiles erant, sed vltro & sponte pauperes, quorumque maiores hominem minime mali diuitias vt noxias, & aduersas religioni iamdudum exposerant, non ignari, quantopere Dominus studium diuitiarum in Pharisæis damnarit, & quem in finem erumpere soleat immodica rerum cupiditas:

de

de qua infra differemus. Nunc ad *Keronem* veniendum *Marchionem contra Sclauos*, qui haud dubie extimum limitem regni Francorum tenuit. Franci enim Romanos imitati extremis deuictarum gentium finibus illustres, & rei militaris peritos viros imponebant, ad coercendas videlicet finitimorum incursiones · qui deinde à *Marca*, hoc est limite, *Marchiones* vocati, vulgo, quos & *Margrafios* vocamus. *Sclaui* autem ab ortu & meridie Saxones attingebant: ab ortu quidem *Poloni*, & coniunctim à quibusdam *Sclauo-Poloni* postea dicti: à meridie autem *Boihemi*. Vt constare inde possit Keronem familiæ Marchionum Brandenburgensium fuisse, qui ab ortu Solis Polonos, à meridie Boihemos finitimos habent, Scythicæ originis populos, quorum pars & illi fuere, qui Danubium transgressi iusta Illyrici parte occupata, soli hodie nomen retinent. Quanquam autem ad institutum non attineat: tamen non indignum est memoratu, Poloniam & Bohemiam hoc Christianismo debere, quod cum ante Ducibus paruissent, stipendiariæ scilicet Germaniæ Imperatoribus, postea Reges acceperint. Primum enim Regem Poloni accepere Hainricho Quinto imperante, circiter annum Salutis MLXXVII. Bohemi autem à Friderico Primo, qui Ænobarbus cognominatus est. Contra Regna fuisse constat, quæ hodie non nisi Duces habent, vt amplissimum quondam Burgundionum regnum, præterea & Italorum Togatæ Galliæ, quod Gotthi, Longobardi & Franci, & ex Italia oriundi Berengarii multis sæculis administrarunt hodie in Ducatus distractum est. Sed & Germaniæ regiones aliquot Duces habent & Margrafios, quæ quondam vetere historia testante Reges habuere, nisi iidem olim dicti sint *Reges*, qui hodie Principes aut Duces, quod sanè quàm & proximè ad veritatem alludere videtur.

SEQVITVR EXEMPLVM FVNDATIONIS PAROCHIÆ SVB HAINRICHO QVARTO: quod quidem apponere libuit, ne non & huius generis formulam veterem Lectori exhiberemus.

QVoniam ex varietate rerum mortalium & temporum continuata prolixitate & humani generis debilitate memoria rerum gestarum obliuionis irreptione extruditur, ideo prudens industria hominum id quod posteritati voluit esse certum, sapissime reliquit successoribus suis testamentis confirmatum. In nomine ergo sanctæ & individuæ Trinitatis notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego Notpertus monachorum S. Galli Ecclesiæ Abbas in nouali loco, qui Abbacella nuncupatur, in cõualle circumpositorum montium sito basilicam ad seruitutem Dei condidi, quam & ædificatam à Thietmaro Curiensi Episcopo cum licentia & rogatu Rumaldi Constantiensis Ecclesiæ Præsulis per legitimã consecrationem loci illius incolis ad oratorium stabiliui, demq; hãc eandem Ecclesiam præbenda pueri vnius de claustro nostro & vna Waispenda & beneficio vnius Mansus & omni post subscriptæ decimationis determinatione dotaui, à mõte Hersberck, ab alpe Solim, à Maggelisalpa, à Berental, à Hartarisapla, à Chranperch, à riuulo Buchenbach, ab ostio fluuioli Rota vsq; dũ fluit in Sitterum vsq; ad originem, ita vt procluitas circumpositorum montium ad eandem Cellam secundum liquentiã riuis imminet apertissime determinaui. Hãc etiam dotationẽ sacerdoti ibidẽ Deo seruienti banno Rumaldi Constantiensis Episcopi consensu fratrum nostrorum perpetuo iure stabiliui. Facta sunt hæc anno ab incarnatione Domini MLXI. *indictione nona, regnante Rege*

noſtro Hainrico *Romanorum Imper. anno quarto. Signa teſtium*, Wittone *Aduocato*, *Oprecht*, Azzo, *Tietprecht*, *Vodalrich*, *Liebo*, Regenolt, *Eppo*, Heilman, *Wolfracht*, *& & cæteri complures.*

NOspertus hic viceſimus quintus fuit inter Abbates monaſterii Sangalli, qui primus omnium, quod quidem obſeruare potuerim, Anniuerſarũ ſuum ita inſtituit, vt priuatim de ſuo legaret, quod illius peragendæ expenſis ſufficeret. Morem enim illum iam tum in orbem inuexerant dogmata magiſtrorum quorundam, qui merito & interceſſioni monaſticæ nihil non tribuerunt. Porrò *Noualem locum* vocat nuper excultum & habitare cœptum. Ager enim, qui hodie *Abtzellanæ* ditionis eſt, vniuerſus paucis retroactis ſæculis monaſterii S. Galli fuit, paulo incultior tum quàm eſt hodie, ſed & ſeruitute obſtrictis colonis eius, qui tum omnes monaſtici dicebantur, vulgo **Bergleut**/ *Immontani* interim vocati. Verum ſeruilia incommoda primum quidem armati detrectarunt, haud leuiter afflictis monaſterii rebus: deinde ab iiſdem pactionum tranſactionumque interuentu magna ex parte liberati ſunt circiter annum Domini CCCCIII. ex quo tempore primum vnum in nomen Abtzellanorum coaluere populi aliquot finitimi, qui antea & foro & iudicio erant diſcreti, coloni tamen monaſtici & Abbatis imperii omnes. Anno poſtea Domini MCCCCLII. Pagus Helueticus facti. Puto autem *baſilicam* vocari in hac charta, quam nos vulgo *Eccleſiam*, veteres & *ædem ſacram*, & *oratorium*, item *ſacrarium* & *adiculam* etiam nominarunt. Ambroſius *baſilicas* vocat domus Chriſtianorum publicis conuentibus conſecratas, in quibus ſacræ lectiones & tractatus, præterea & orationes, & miſſa, hoc eſt, cœna Dominica, peragitur: id quod abunde ex libro Epiſtolarum eius quinto colligitur. Veteres publicis vſibus deſtinatas ædes *baſilicas* dicebant, in quibus iudicia exercebantur, quæ hodieque in pluſculis Italiæ vrbibus nomine licet mutato durant. Veroſimile autem primos Chriſtianos id genus palatiis Principum fauore vti cœpiſſe, atque inde exſtructis templis ad cultum Chriſtianum conſacratis nomen baſilicarum relictum eſſe. Sed & illud obſeruandum, in hac charta ne verbo quidem fieri Romanæ poteſtatis mentionem, ſed Epiſcopos tantum memorari, vt quorum tunc temporis integra fuerit ſuarum diœceſeon adminiſtratio, quæ primum quidem Hainricho Quinto oppreſſo, poſt vindicatum inueſtituræ dominium Romanæ ditioni patuerunt. Anni igitur CCCCLXXVII. ſunt, ex quo Abtzellana Eccleſia conſtituta eſt, quæ vetuſtate tamen omnes alias eius pagi vincit, vna Heriſoua excepta, quam latis conſtat ſub Carolis & Ludouuichis Francorum Regibus celebrem fuiſſe, duobus ſæculis antequam Abtzella conderetur. *Caſa* autem, vulgo Vf Gäß/ etiam antiqua eſt ad vallem Rheni pertinens, à qua parte & prouincialia & Gallica veteta quædam nomina etiamnum durant. Recentiſſimæ ſunt Trogenſis & Tufenſis, & qua Gruoba cognominatur, intra ſæculi ſpatium iure videlicet ſeparationis (vt vocant) conſtitutæ, quum antea priores duæ ad Parochiam vrbis noſtræ, quæ ad D. Laurentium eſt, attinerent; tertia autem Rorſchahenſem, vt matrem agnoſceret. Inueni autem & Hunduuilanam ad ædem S. Leonardi in noſtro ſuburbio pertinuiſſe. Ante Abtzellanam nulla prorſus immontana in illis partibus Eccleſia extitit, ſed ad eam, quæ Sangalli eſt, aliasque præterea quæ in valle Rheni, & iuxta lacum Brigantinum iacent ab immontanis populis concurſum eſt, ſtatis quidem diebus, vt olim in Alemannia tota, nec niſi ad publicas miſſas, quæ feſtis diebus peragebantur. Priuatas enim diu ignorarunt Parochiæ, neque

tantum

tantum emolumenti ex anniuersariis fuit, quantum est hodie, vel ipso Notperto testante, qui profecto nouam illam Ecclesiam tam liberaliter non donasset, si quæstus ille tantopere postea auctus eum, quem hodie cernimus per Ecclesias locum habuisset. Verum hic de suo attulit Ecclesiæ ad Dei seruitutem (vt ipse ait) conditæ, quod quidem licet testibus adductis & signato diplomate perpetuo iure in illius possessione & manu esse voluit, non banno modo Episcopi, sed fratrum etiam consensu confirmatum: tamen Notperti posteri detrahere illud iam dictæ Ecclesiæ ausi, quod ille perpetui iuris titulo donarat, hi rursum incorporatione interueniente sui iuris fecerunt, rescissis semel, quæ ab illo tam sanctè erant constituta. Vnde singulis postea annis multam pecuniam decimarum nomine à monachis est exactum, donec Diethelmi Abbatis consensu factum est, vt quod maiores sui Ecclesiæ illi abstraxerant, Abtzellani denuo redimerent, quod sanè non mediocri pecunia est factum. *Watspendæ* vox barbara vestium donationem significabat, quas hodieque certo tempore suis Abbates & Episcopi tribuunt *Watt* Germani vestitum vocant, & *watman* dictus vulgo, qui pannos vendit. *Spendæ* autem vox apud nos etiamnum durat, qua annonam certo die certoque dimensu pauperibus distribuendam significamus. Quod autem *liquentia niuis* charta meminit, de vulgari itidem & veteri sermone Alamannico detractum est. Antiquæ enim tabulæ Germanicæ annis plus ducentis ante nos scriptæ hæc ferme verba habent, **von obnende der Bergen/ als der Schnee schmiltzet/** vt & Notpertus decimas ad ea vsq; montium iuga extenderit, à quibus introrsum niues colliquatæ diffluerent. Certè Alpium & fluuiorum & montium nomina, quorum hic mentio fit, in pago Abtzellano etiamnum illæsa perdurant. Illud obiter hic memorandum, legi passim donationum chartas, quæ sub Hainricis, Chunradis, Otthonibus vsque in Hainrichum Quartum, & amplius æditæ sunt, testium nominibus fere Alemannicis & Francicis, quæ quidem primum sub excessum Hainrici Quinti noua illa temporum facies mutare cœpit, cum Pontifices exorto ab Imperatoribus inuestiendi iure sanctionibus suis iam in Germania ac mox paulo regnare cœperunt, illato simul & Hebræorum, & Græcorum, & Latinorum nominum vsu & veterum chartarum formula reiecta, & Anniuersariorum fundationibus (vt vocabant) nouis chartis vitiata. Post Gregorium enim Septimum suspectissimæ vitæ Pontificem, Doctores emersere Scholastici, qui Gregorii vmbras & visiones admirati insuper & nouas quasdam commenti Purgatorii opinionem orbi immodicè commendarunt. Vnde nostris anniuersariorum, oblationum, satisfactionumq; negotiatio commendata est, quam paulo post & indulgentiæ secutæ sunt: Primùm quidem Episcoporum priuatæ nec nisi præscripto modo & tempore demum & Pontificum generales & viuis & mortuis attributæ, quæ multis sæculis Ecclesias Occidentis ingenti cum religionis ruina quæstuosissima nundinatione expilarunt. Atque hactenus quidem de Collegiorum & Monasteriorum statu diximus. Superest, vt de disciplinæ casu & temporum inclinatione, (quamuis id magna ex parte in operis transcursu à nobis factum sit) pauca quædam subiiciamus.

Constanter autem produnt mediæ ætatis Chronica nostratia circitet excessum Imperatoris Hainrici Tertii, saturata iam quadamtenus auaritia, cleri ambitionem longè maxime incruduisse, nec defuisse hisce temporibus Episcopos & Abbates, qui opibus suis, præterea & Principum indulgentia animati iam dum de regnis dominiisq; instituendis cogitare cœperunt, annis à morte Caroli plus minus ducentis quinquaginta. Post Arnulphum enim

&

& filium eius Ludouuicum ita largæ factæ erant Principum donationes, vt oppida etiam & vici Episcopis concederentur, & Ducatus etiam permitterentur Episcopis. Nam & multis annis Francorum Ducatum, quos Orientales hodie vocant Wirtzburgenses Episcopi tenuerunt, vnde & Ducem Franciæ se nominat Antistes ille, sicut Episcopus Alsatiæ Landtgrafium. Si quidem & in aulis Regum magno honore dignabantur, & plausibilem illum morem prædicandi Euangelii adeo non posuerunt, qui in vel Archiepiscopis moris fuerit statis diebus suggestum conscendere, & Domini sermonem Ecclesiis annuntiare. Eo tempore, vt tradit Lambertus, monachorum nomen vehementer infamatum est, ad quæstum videlicet & ambitionem conuersis cœnobiis, quum monachi tamen vel hac maxime de causa orbi se se commendassent, quod nomine & habitu, sed voto etiam & professione sæculi curis sese & iuramento quidem intercedente subtraxissent. Proinde, vt idem author scribit, miratus est mundus, vnde tantus pecuniarum scateret fluuius, vnde Tantali & Crœsi opes in priuatos homines congestæ fuissent, in eos (inquam) homines, qui crucis scandalũ & paupertatis titulum ostentarent, neque aliud præter victum & vestitum quærere se & optare simulassent. Vt profecto ex Deo esse deprehendamus (quod ab Apostolo dictum est, *Auaritiam* scilicet, *radicem omnium malorũ esse*: & vere dici queat de disciplina Ecclesiastica opibus vitiata & corrupta, quod est à Satyrico Poeta de Romana parsimonia dictum:

Prima peregrinas obscena pecunia merces
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles, &c.———

Solis enim diuitiis omnem morum & religionis vitiatæ corruptelam acceptam referimus. Proinde luxatæ iam & fatescenti veterum cœnobiorum disciplinæ noui (quos vocant) ordines successere. Eodem enim Hainricho imperante sub Victore Tertio *Carthusienses* Brunone quodam authore prodierunt, ærumnosum & inutile hominum genus, & vt equidem sentio, nigra bile grauatum. Mox & *Cistertienses* sub Vrbano secundo ab Ardingo quodam Anglo congregati, ac deinde *Præmonstratenses* Notperto Lotharingo authore, & *Chamaldulenses*, quos Rominaldus Rauennas instituisse fertur, postremo *Vallis Vmbrosæ* fratres à Florentino quodam Guilberto, Gregorio VII. Pont. qui & ipse monachus fuerat probante, informati, ita Regulam Benedicti arctiore quodam & reconcinnato vitæ genere sunt professi, vt pristinæ disciplinæ normam licet aliis atque aliis ritibus diuisam fidenti quadam ostentatione sibi arrogarint, homines nimirum & suis & humanis decretis nixi, atque id quidem annis minimum centum quadraginta ante exortam *Mendicantium* religionem, quæ Friderico Ænobarbi nepote imperante primùm omnium ab Honorio Tertio Pontifice, vt alibi quoque diximus, probata & confirmata est, annis abhinc plus minus trecentis octuaginta. In tantum enim horum, quorum ante meminimus, mores magna parte retrixerunt, vt aliis prorsus opus esse videretur, qui vitam scilicet Christianam de proximo instauraret & exprimeret. Ita enim de monachismi iustitia sibi vulgus Christianorum pollicebatur. Vnde factum, vt rarus esset titulus obseruantiæ monasticæ, nec nisi paucis cœnobiis tribueretur, quæ specimen quoddam veteris disciplinæ exhibebant: quemadmodum hodie *Franciscani de obseruantia* à Bernardino reformati cognominantur. Vnde intelligas, *Minores fratres* suam regulam non obseruare, atque inde *fratres Minimi* prognati videantur, qui non ita multis annis durant, adeo humiles, vt nec abiectius illis nec inferius quiddam esse

amplius

amplius queat. Iactatam enim illam & humanis regulis suffultam perfectionem nunquam diu præstitere, & hypocrisin prodiderunt studia, quibus hoc vnum semper quæsitum est, vt in otio, quiete, & saturitate viueretur. Adhæc & Principum fauor tentatus & impetrata diplomata haud aliud spectantia, quàm vt extra telorum iactum essent, nulloque turbante pacto frui, & ad cumulum adiicere liceret. Opum enim parandarum viam iam & modum didicerant, qua vel vna causa primum omnium vetustis monasteriis ad opes & sæculum conuersis ordines illi, quorum meminimus, subinde alii ex aliis enati & probati fuerunt, nec id quidem sine grandi melioris disciplinæ pollicitatione & spe, quam & ipsam tamen vtcunque non semel nec vno in loco reformatam eædem pestes adortæ sunt, quæ priora se & antiquiora cœnobia subuerterunt. In tantum autem iam inde ab initiis cura omnis diuitiarum in monachis ex professo est damnata, vt qui postremi extiterunt ordines, tanquam in contumeliam priorum cœnobiorum pauperes se & mendicantes cognominari voluerint: vt inde satis liquere possit, quibus è fontibus varietas illa monachismi tot speciebus & formis distracta emanauerit. Quod si Regum & Præsulum curâ ea seueritas disciplinæ retinendæ postremis in sæculis durasset, quàm priora sæcula cœnobiis Benedictinis suo in ordine conseruandis coercendisque adhibuerunt, fortasse non nisi Benedictinos monachos, quorum plus satis iustus numerus erat, hodie haberemus, nec condictitios mercenariósve, aut meritorios, immo ne Magnates quidem, sed tales, quales primos illos fuisse supra à nobis memoratum est, ferremus. Quod si qui sunt, qui examina illa cœnobiorum aliis caussis, vnde enata sint, adscribant, nihil refragamur, siquidem minimè nos lateat, quid operum nobis & meriti persuasio in orbem intulerit: sed monemus interim, meminisse velint, vel iis ipsis de caussis instituta cœnobia recentiora tantum à doctrinæ puritate defecisse, quantum vetustiora suis consiliis relicta, iam olim à maiorum suorum continentia & parsimonia defecêre. In totum autem caussam omnem corruptæ disciplinæ video à Chronographis sedi Romanæ tribui, quæ præterquam quod paucorum existimationi nomen religionis concessit, & hominum doctrinas inæstimabili sumptuum onere Ecclesiis impositò ratas habuit. Quanquam illa parte longè magis nocuit, qua ab annis Gregorii Sexti adeo ambitioni & auaritiæ cessit, vt nihil Romæ non venale factum sit, & sedes illa vetus tot virtutum præconiis laudata, à multis non Apostolica, sed plane Apostatica & Simoniaca diceretur, & verum esse demum constaret, quod Hieronymus supra Oseam scribens, obseruasse se ex temporum decursu tradit, quod non nisi Sacerdotes Ecclesias scandalis suis sciderint. Apex ipse Pontificalis non iam virtuti & merito, sed muneribus largitionibusque patebat, Clerusque & populus, penes quos vetus illud ius electionis manebat, studiis artibusque corruptus & distractus in partes, non iudicio, sed fauore agebat a tanto nonnunquam furore exagitati, vt & cæde & sanguine multorum Pontifices legerentur, & Hainricus Tertius factionum studiorumque immanitate commotus quinque ordine Episcopos natione Germanos illi sedi præfecerit, hoc modo factiombus occursurum arbitratus, qui tantum tamen non profecit, quin suo etiam fauore electi miris modis fuerint vexati. Atque hæc quidem ambitionis erat materia, quum interim terris regnisque occupandis auaritia studeret: quæ ipsa dum donationum, & patrimonii titulis nihil

non

non vindicare Romanæ Ecclesiæ nititur, neque æquo illud ipsum animo ferre Principes Romani possent, in harenam illam plusquam gladiatoriam descensum est, quæ Episcopos illos aduersum Imperatores & Reges longe grauissimo Ecclesiasticæ disciplinæ casu, præterea & ruina Ecclesiarum Orientis mutuis odiis dissidiisque enatis miserrimo spectaculo commisit. Certum est enim ex eo tempore, quo Romani Episcopi ambitione superati, ministerii humilitate reiecta, ad regna dominiaque aspirare cœperunt, nunquam postea quicquam pacis aut quietis habuisse cum Imperatoribus vel Orientis, propter monarchiæ studium, cum subiici sibi Græcas Ecclesias flagitabant, vel Occidentis propter Italiæ vrbes & iura ab illis petita inuasaque, quæ paulo ante ditionis Cæsarum & Imperatorum fuissent: Accessit malis bellum istud, quod Vrbano Secundo suasore pro Syriæ & Palestinæ defensione tempore Hainrici Quarti aduersum Saracenos à totius Occidentis Principibus susceptum est. Quod quidem quale fuerit, non est meum decernere, quum exitus ipse docuerit, nec piè admodum cœptum, nec prudenter gestum fuisse, etiamsi summis per initia atque etiam sanctis viris, inter quos & Bernhardus fuit, plus satis arriserit, nulla arbitror magis causa, quàm quod dignus videretur locus ille, in quo redemptionis nostræ mysteria consummata fuissent. Illud constat, publica Christiani nominis ignominia desiisse, cum iam ab Vrbano Secundo vsque ad excessum Nicolai Quarti & regnum Rudolphi Auindspurgensis, hoc est, annis ferme ducentis, gestum esset, centenis amplius millibus nostratium desideratis, vt interim innumeram Nobilitatem tum regnorum aliorum Europæ, tum præcipue Germaniæ, quæ peste, fame, ferroque non ab hostibus modo, sed à nostris etiam, hoc est, Christianis hominibus, per Italiam, Pannoniam, & Græciam extincta & confecta est, non censeamus. Post bellum enim inceptum, cum aduersis rebus nostri premerentur, nec satis Ducum consiliis succederet, & exercitus partim cædibus, partim morbo attereretur, id iuris & authoritatis sibi Pontifices tribuebant, vt & crucis prædicatione cum indulgentiis eo tempore natis, omnia peccata condonantibus populum & anathematis etiam intentione Principes ipsos & Imperatores vrgerent, quò sese ad terræ sanctæ & patrimonii Christi defensionem accingerent. Obseruatúmque in eo negotio, hoc infensius quosdam illorum inuidia velut ad lanienam petitos, quo vehementius suspecti illis & exosi fuissent. Ea causa factum putant, vt & Fridericum Primum, clarissimum Principem, secundò iam in Syriam euntem amiserimus: Chunradum autem Imperatorem eius nominis Tertium, & Fridericum Secundum ægrè receperimus: vt domestica interim damna, quæ absentibus Imperatoribus illata sunt, taceamus. Notata vero est à fide dignis scriptoribus Gregorii Noni perfidia, qui Friderico Secundo magnanimo Imperatori cruce signato, & in Syriam profecto Apuliæ regnum magno exercitu conscripto, suam in potestatem redigere est conatus. Quod vt facilius assequeretur, rumorem per Apuliam de Friderici morte finxisse & sparsisse dicitur. Vnde Apuli commoti adeo consternati sunt, vt vrbes multæ, quæ antea summa in fide Imperatorum manserant, repente ad Pontificem defecerint, Germanosque è Syria remeantes vario mortis genere trucidarent, vt merito exclamarit Abbas Vrspergensis in Chronico suo: *Quis talia facta recte considerans non deplorat & detestetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Ecclesiæ*; Et vt constaret, eo bello rem suam agere Pontifices quosdam, & ipso tanquam exilio quodam in eos, quos odissent, abusi. Gregorius ille Nonus,

Nonus (vt idem Abbas scribit) literis de decennali pace inter Christianos Syriæ & Saracenos per Fridericum Secundum pacta & confirmata acceptis & perlectis, adeo indignatus est, vt diploma ipsum imperatorium miro cum supercilio abiecerit, & respuerit. Porro quum Orbis prope totus anathematum Pontificiorum religione teneretur, iuramenta quæcunque excommunicatis Principibus facta remitterentur, cum interdicto, ne quis tueri aut recipere adesséve vlla consuetudine aut familiaritate illi velit, qui anathemate percussus esset, postremo excitatis laudatisque qui sic excommunicatis aut deuotis potius damno esse pergerent, ita plerumque clarissimi Imperatores dubium quàm iusta causa maximis periculis inuoluti sunt, vt re ipsa non excommunicati, sed proscripti potius, & Episcopi illi Romani in tanta ferendi licentia non Episcopos, hoc est Christi vicarios, sed Syllas magis & Marios agere viderentur. Paschalis secundus nuncio de Hainrici Quarti morte & sepultura accepto, Episcopum Iuliacensem in communionem recipere noluit, nisi cadauer Imperatoris, quod in monasterio quodam condiderat, exhumatum summota omni funebri pompa in terram inconsecratam defoderet, vnde postea filii commiseratione rursum exhumatus & in Ecclesia Spirensi sepultus est. Antea quidem idem & Hildebrandus fecerat palam minitando vel moriturum sese vel Hainricho & regnum & animam ablaturum esse. Innocentius quoque Tertius vehementis & vltorii animi Pontifex mansuetissimum Imperatorem Philippum Friderici Primi filium, incertum, quibus de caussis tanto odio insectatus est, vt Episcopum Sutrinum legatione apud Philippum functum episcopatu priuarit, & in insulam relegarit, non alia de causa, quàm quod sacris interdictum, & ab Ecclesiastica communione exclusum humiliter orantem restituisset: Adulphum autem Archiepiscopum Colonienſem ob coronatum Aquis Philippum Episcopatu deiecerit, Brunone Bunnensi Præposito in eius locum surrogato. Constituerat enim, neque clam habebat, hoc se breui acturum, vt aut Philippo diadema eriperet, aut ipse contra Pontifex suo careret: quod audiuisse se Romæ sub ipso Innocentio Abbas Vrspergensis in litteras retulit. Quin etiam militum cruce signatorum opera & auxilio aduersum Philippi fautores in Italia vsum esse constat, qui crucem tamen non contra Imperatorem, sed Saracenos vestibus suis assumsissent. Ad illum igitur modum agitatis vexatisque Principibus, quum omnium ordinum studiis factionibus omnia arderent, sæpe accidit, vt illi contra rei indignitate commoti, non Italiam modo malorum fontem, sed ipsam etiam Germaniam igne, ferro, cæde vastarent. Postremo autem transmarinis expeditionibus domesticisque bellis & detrimentis exhausti sumptuum partem à Collegiis & Monasteriis exigerent, plerumque in beneficium (vt vocant) elocatis Ecclesiarum reditibus decimisque impignoratis, non raro & illis seuerius habitis, qui Pontificum sese studiis factionibusque immiscuissent. Vnde demum ratio inita videtur, vt disertis Imperatoribus & Regibus ditissimi Episcoporum & Abbatum Germaniæ in Pontificum & sedis Romanæ dignitatem & potentiam inclinare, ac deinde totos subiicere se spe libertatis assequendæ acceperint. Cui rei magnam occasionem dedit interregnum illud, quod à Friderico Secundo vsq; in Rudulphum Auindspurgensem viginti tribus annis durauit. Post oppressos enim in Italia Friderici filios, Chunradum & Chunradinum, rebusque imperatoriis tantopere afflictis & conculcatis, nemo repertus est vel maximorum Principum Germaniæ, qui confligere cum Pontificibus rerumque & famæ ad-

eoque vitæ periculo præesse imperii habenis voluerit. Interim admissa per Germanias Pontificum authoritas indies magis ac magis irrepsit, donec adeo vires creuêre, vt contra molientes aut sentientes, quàm illa sanxisset, anathemate ferirentur. Admissi & Canones illi nuper nati, quorum præscripto vniuersa rerum Ecclesiasticarum dispensationes administrata. Tum primum immunitate Ecclesiarum liberius obtenta, rebusq; in totum ita firmatis & constabilitis, vt (quod diximus) ne hiscere quidem contrà, nedum facere cuiquam liceret, amplissimus locus auaritiæ, ambitioni, & ipsi ante alia simoniæ concessus est, vsque adeo ad opes & quæstum omnium animis conuersis, vt parum esse religiosi viderentur, qui iidem diuites non essent. Quare & Mendicantium postea fratrum professio laudata est vulgo, quia contemptrix opum videretur. Tunc primum Romana sedes post multos variosque conatus ceu triumphans suo voto potita est. Sola Græcia obstitit, quo minus de Monarchia illa laboriosissimè quæsita triumpharet. Igitur Philippo Friderici Primi filio, & Friderico Secundo nepote eius imperantibus, quum venalia omnia facta essent, neque amplius simoniæ Antistites puderet, vrbe ipsa Romana iudice iam & æstimatrice litigiorum omnium constituta, repente ita creuere opes, vt quidam minime malus Propheta encomium illi vrbi recinerit, quod apud Vrspergensem in hæc verba legitur:

GAVDE MATER NOSTRA ROMA QVONIAM APERIVNTVR CATARACTÆ THESAVRORVM IN TERRA, VT AD TE CONFLVANT RIVI ET AGGERES NVMORVM IN MAGNA COPIA.

LÆTARE SVPER INIQVITATE FILIORVM HOMINVM, QVONIAM IN RECOMPENSATIONEM TANTORVM MALORVM DATVR TIBI PRECIVM.

IOCVNDARE SVPER ADIVTRICE TVA DISCORDIA, QVIA ERVPIT DE PVTEO INFERNALIS ABYSSI VT ACCVMVLENTVR TIBI MVLTA PECVNIARVM PRÆMIA.

HABES QVOD SEMPER SITISTI, DECANTA CANTICVM, QVIA PER MALICIAM HOMINVM NON PER TVAM RELIGIONEM ORBEM VICISTI.

AD TE TRAHIT HOMINES NON IPSORVM DEVOTIO, AVT PVRA CONSCIENTIA, SED SCELERVM MVLTIPLICIVM PERPETRATIO ET LITIVM DECISIO PRECIO COMPARATA.

Extra enim controuersiam est, nullam vnquam Ecclesiam Apostolicam, quas plures tamen & inclytas & Asia & Europa habuit, vel suo, vel Apostolorum nomine vrbium terrarúmve dominatũ affectasse, aut vlla parte eius opes possedisse, quas omniũ postremo Romana Ecclesia possedit. Nõ tulisset n. primi illi Christiani Principes religionis nomen hisce rebus grauari, quas postremi Imperatores religionis maximè nomine inuitati Ecclesiæ indulserunt. Hinc illud manauit, quod ætate nostra habitũ ornatumq; Põtificibus, vt inusitatũ veteribus nec ab Apostolis, sed gentilibus potius trãssumptum, opprobrarunt, quod ante alios dudũ & Pomponius Lætus fecit, sed adeo obliquè, vt pauci animaduerterint. In vita n. Diocletiani, quã Romæ scripsit, Diocletianum *diuinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepisse, quumq; priores vt Cõsules salutarentur, ipse primus adorari se Persarũ more voluerit, velut ineffect*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [130] - 98
PUBLIC DOMAIN

essit cælestis Maiestas. Illi enim Principes suos Reges Regum appellant & adorant. Adhæc cum Imperatores antea manus exosculandas nobilibus præberent, post autem suis manibus leuarent ad oris osculum (vulgus genua exosculabatur) Diocletianus edicto sanxit, vti omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur: quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calciamenta auro gemmisque & margaritis, quod fecisse antea & C. Caligulam memorant, & Heliogabalum gemmas nobilissimorum artificum calciamentis applicuisse Lampridius in vita eius prodidit. Sed & Gallienum gemmatis caligis vsum esse constat. *Eundem ornatum Diocletianus immiscuit vestibus, vt Augustior esset, & cum contentus esse debuisset* (inquit Lætus) *quibus priores fuissent insignibus, quæ Priscus Tarquinius accepta ab Etruscis indixit, reperit ex ipso habitu vti Deus haberetur. maiorique sumptu vanam Arsacis gloriam superaret.* Et eodem loco: *Reges* (inquit) *Persarum thiaram, qua vtebantur, tribus coronis exornabant:* subindicans (nisi fallor) habitum illum & ornatum Pontificum non ita pridem inductum, præterea & morem osculandorum pedum & thiaram coronæ triplicis, nec à priscis Ecclesiæ Romanæ Antistibus, longè minus ab Apostolis & Christo, sed impiis ab Imperatoribus translatum, atque his maxime, qui Ecclesiæ Christi hostes immanes fuissent. Culcitra autem sublimem vehi patritiæ dignitatis quondam insigne erat, mox Reipublicæ rebus collapsis Regibus & Imperatoribus Francorum honor ille concessus est. Vnde & Pipinum & Carolum Magnum à Stephano consentu P. R. Patricium dictum legimus, vt postremo & hunc honorem in se Pontifices rerum Romanarum potiti transtulisse videantur, qui ex toto tamen nihil habere creditur, quod veteri Christianæ & Apostolicæ disciplinæ respondeat. Petrus enim in Actis Apostolorum Centurionis nuncium leuauit dictitans, peccatorem se esse, tantum abest, vt sibi quicquam honoris arrogarit. Sed Pontifices, qui quod sunt, dissimulare nequeunt, & fere agunt quod Epicurus, qui (vt est apud Ciceronem) virtutis nomen commendabat, cum interim non nisi voluptatem & delitias profiteretur, & C. Gracchus, qui cum largitionibus effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium, minime dissimiles illis, qui *Curios simulant, & bacchanalia viuunt.* Quæ quidem non hac de causa dixerim, velut opes noxias Ecclesiis existimem, qui tantopere prædam illam damno, quam auari homines incorporationis titulo maxima cum iactura ministrorum & paupertum per Ecclesias Christi proximis primum annis crudelissime exercuêre: sed hac magis causa, quod in diuitiarum Ecclesiasticarum administratione nulla maioribus nostris antiquior cura fuit, quàm vt opes possiderent, & egentibus largirentur, non autem ab opibus obsessi captiui tenerentur, nihilque non permitterent auaritiæ, quæ, vt verissime est à Paulo dictum: *Omnium malorum radix est.* Illud admiratione dignum, in illo tempore solas indulgentias, quæ proximis sæculis longe omnium Pontificalium mercium quæstuosissimæ fuerunt, primum gratuitas fuisse, & sine pretio oblatas, verum solis illis, qui cruce assuta voto se tuendæ terræ sanctæ obstrinxissent. Sunt qui tradant, adeo largas tum fuisse & faciles, vt inde praui & scelerati homines post cruces assutas audaciores facti nullo non iniuriæ genere grassari & nocere perrexerint, hac vna fiducia proposita, impune videlicet quicquid liberet, si crucem assuerent. Et erant concionatores, qui dogmatis inauditis inescabant homines, quo libentius domo, vxore, liberis relictis, atque ipsa etiam vita semel desponsa in Syriam nauigarent. Qua de re qui velit Vrspergensem le-

gat in Friderico Secundo. Mihi sanè satis magno indulgentias redimisse videntur, qui vita & sanguine illas redemerunt. Ad institutum autem vt reuertamur, post Rudolphum Primum omnium ex Comite Regem in Synodo Lugdunensi, Gregorio Decimo fauente electum, quum iam Syriacæ expeditiones interquiescerent, multum publicis motibus insultibusque detractum est: quanquam ne sic quidem sedatis partium animis, quin admisso iam & recepto more crebro, ad arma recurreretur, neque vllus finis esset studiorum & factionum non modo in Italia patente dissidiorum, sed ipsis etiam in Germaniis, quarum Episcopos & Abbates tanta colendarum Pontificum religio cœperat, vt piaculi loco habitum fuerit, ab illorum decretis placitisve vel latum digitum discedere. Quæ res Regibus nostris Imperatoribusque magno sæpe damno fuit, non metu tantum excommunicationis, quam quibuslibet de causis inflictam à Pontificibus illi magno studio ratam habebant, sed furore etiam dissensionum & odiorum intestinorum, quæ nostros paulo amplius imperii dignitatem aduersus Pontificum insolentiam vindicaturos supra modum grauabat. Nihil minus & Galliæ tum æstuabant, quarum Regem Philippum Bonifacius ille Octauus sacris interdictum regni simul iure deiecerat. Verum Bonifacio interfecto, & restituto Philippo, quum mutatis iam rebus quinque ordine lecti Pontifices Italia atque ipsa Apostolorum sede Roma neglecta, perpetuis sexaginta annis in Galliis agerent, Vrbemque & Italiam non nisi per Legatos & vicarios administrarent, subinde inter nostros & Pontificios fomenta illa vetera bellorum exarsere. Imperii enim dignitas iam olim ad Germanos translata, tametsi interregno illo supra à nobis memorato non parum per Italiam affecta diminutaque esset: tamen adeo non succubuit, quin nuperrimi Imperatores Rudolphus Auindspurgensis & Hainricus Septimus Lutzilburgensis in Hetruria atq; Italiæ agris & vrbibus vicarios suos, quos tum *Augustales* cognominabant, haberent, quorum opera & tributum veteri more exigebant, & vrbes imperiales in fide retinebant· quanquam nonnullæ potentiorum vrbium dubium rerúmne nouitate, an veteri magis Germanici nominis odio, an (quod verosimilius iudico) æmulatione & contentione factiosorum rebelles factæ nõ pecuniam modo imperatam recusarunt, sed ipsum etiam imperii iugum detrectauêre: cum quibus antea quidem Rudolphus per Legatos, deinde & Hainricus ipse cum exercitu Italiam ingressus vario euentu belligerarunt, demum Hainrico clarissimo Principe per venenatum Eucharistiæ panem de medio sublato Ludeuuicus Bauariæ Princeps, vir non prudentia modo, sed fide etiam & magnanimitate insignis imperii dignitatem adeptus, quum videret res Italicas tot artibus studiisque & factionibus collapsas, misertus rerum imperialium, longe instructissimo exercitu haud alio cõsilio Italiam ingressus est, quàm vt vrbes terrasq; quæ in fide manssissent aduersum Pontifices tueretur & confirmaret, rebelles autem & ingratos ad obedientiam imperio præstandam reduceret. Verum hæc quidem agentem & molientem vicarii Pontificii apud Ioannem XXII. tum in Galliis agentem, velut suspectum rerum nouarum, & in Petri patrimonium inhiantem detulerunt. Vnde homo hic natura vehemens & impatiens, plenusque irarum & inexplebilis auaritiæ, summum virum vt hostem Ecclesiæ sacris interdicit, simulque (quod maiores sui sæpe fecerunt) à sacramentis absoluit, quicunque ei fidem vllam iurasset, præterea eodem banno damnat, qui cum damnato iam & diris deuoto communicare fuissent ausi.

Inde

Inde rursum incendium ingens eodem de cinere & fauillis iisdem erupit, vnde priora Pontificum & Imperatorum bella nata fuerant, & finitum videbatur malum Ioannis morte, nisi oleum camino secuti Pontifices infudissent. Benedictus enim XII. Ioannis sententia probata tanto fastu imperii dispensandi ius & potestatem sibi vindicauit, vt oppidis etiam imperialibus per Italiam vicarios imposuerit. Clemens autem Sextus, qui Benedicto breui mortuo successit, non contentus priorum iniuriis contumeliisque, Carolum Boemiæ Regem Imperatorem declararit, negotio confestim dato, vt Ludouuicum nullo non loco quantis posset viribus insequeretur & premeret: cuius postea successibus & ille oppressus, haud multo post ex humanis excessit, postremus omnium Imperatorum Germaniæ, qui fulminis illius Pontificii, videlicet banni telum & fulmen sensit. Postremus enim omnium fuit, qui iura imperii per Italiam vindicare, adeoque instaurare conatus est. Carolus enim Quartus Ioannis Luzelburgii filius, qui Ludouico Bauaro successit, dubium rerúmne desperatione, an indulgentia immodica, quam beneficentiæ tamen fuco leniebat, an quod vero proximum videtur, auaritia adductus vetera iura imperii cum vrbium multarum largissimè numerantium libertate commutauit. Quod ipsum & Rudolpho vitio versum est, cuius benignitas & Hainrico & Ludouuico clarissimis Imperatoribus non parum nocuit, multis vrbibus ad rebellandum hac maximè spe animatis, quod aliis pecuniam offerentibus hoc modo libertatem obtigisse animaduertissent. Ita breui tempore indulgentia Imperatorum factum est, vt ne micam quidem, quod equidem sciam, Italia hodie imperii nomine Germaniæ pensitet, quæ intra annos tamen trecentos magna parte Germanis Imperatoribus tributaria fuit: contra vero Germania hucusque opes immensas Imperatoribus & Pontificibus numerarit, quæ tribus tamen, aut ad summum quatuor retro sæculis omnium Pontificiarum exactionum immunis fuit. Quorum quidem omnium potissima causa fuisse existimatur persuasio illa publica de functione, potestate, & authoritate Pontificis, de dogmatibus quibusdam scholasticis prognata, quæ mox & ipsi in suis decretis decretalibusque, vt vocant, confirmarunt, & postremo glossatores & interpretes securissima quadam fiducia defenderunt. Vnde & Petri patrimonium ita auctum est, vt hodie summa duodecies centenùm millium aureorum Italicorum æstimetur, præter fortuitam illam vsuram, quam litigia & collationes dispensationesque Pontificiis officiariis numerant & pendunt. Sub Hainrico Tertio, hoc est, Anno Domini ML. ea etiamnum & dignitas & potentia Imperatorum Germaniæ per Italiam erat, vt de illis anathemate feriendis ne cogitatum quidem à Pontificibus videri queat. Mox Pontificum rebus Imperatorum benignitate paulo amplius firmatis, quum conceptam iam animo dominandi libidinem res modicæ nullo modo satiarent. Primus omnium Imperatorum Occidentis Hainricus ab Hildebrando longè procacissimo viro, qui Gregorius Septimus dictus est, sacris est interdictus: cuius sententiam secuti aliquot Pontifices, ratam habuere, nullis magis cauſis, quàm quod inuestituræ ius iam olim Carolo, & aliis Regibus Imperatoribusque tributum retineret, neque obsequium præstaret sanctæ Matri Ecclesiæ; præterea expeditionem contra Saracenos pro tuenda Syria summoperè dissuaderet, quam Vrbanus Secundus eo viuente in concilio Lugdunensi summo conatu reliquis ordinibus persuaserat. Ante quidem & Lothatium Iunio-

rem excommunicatum ab Adriano supra libro primo diximus, sed iusta caussa, quod diuino iure reclamante legitimæ vxori aliam superinduxisset. Post Hainricum autem Quartum filius eius Hainricus Quintus, qui parentem tamen in gratiam Pontificum pro hoste habuerat, eiusdem rei caussa Ecclesiastica communione priuatus nec absolutus, antequam oppressus, & ad cedendum coactus. De qua re supra à nobis dictum est. Erant tum quidem Episcopi Romani nomine quidem *Serui seruorum Christi*, re autem & potestate *Reges Regum*, quippe qui & Reges & Imperatores soli aut ferrent aut probarent, si libuisset, aut fulmine ferirent, si ita eis visum fuisset. Illud in transcursu non tacendum, primum etiam Hainricum Quartum à Gregorio Romam litteris euocatum, quo de criminibus obiectis coram Episcopo causam diceret, cum antea de Pontificum criminibus, quæ aut ciues Romani, aut Clerici, aut Episcopi alii illis obiecissent, non fere nisi Imperatoris authoritate interueniente cognitum fuisset, quod de vulgatissima historia temporum notius est, quàm vt multis sit inculcandum. Proximo à Principibus loco telum anathematis in eos versum, qui victrici iam Ecclesiæ aut tributum negassent, quod illa imposuisset, aut sanctionibus decretisve non obtemperassent: quin & Episcopis permissa licentia, vt Ecclesiarum, atque etiam singulorum sacerdotiorum reditus censura anathematis extorquerent. Quod ad inuestituram attinet, fateor equidem satis auarè eam à multis Imperatoribus exercitam fuisse, atque inde Pontificibus occasionem de illis vindicandis relictam. Quæ quidem minus iniqua videri potuisset, si tam parcè & benignè nullo quæstus respectu Pontifices Episcopatus & Abbatias elocassent, quàm auarè & cupidè Principes aliquot illas vendiderant. Modò cum orbis clamet, nusquam & nunquam auarius exercitas inuestituras fuisse, quàm nostro sæculo, neque pluris vnquam constitisse mytras & pallia, tanto studio pecuniæ vt Cardinalis Volaterranus scribere non sit veritus, *Omnia Romæ venditari, nihilque negari pecunia*: Quis oro Principes illos accuset, quod bellis maximè transmarinis exhausti extenuatiuè, de bonis Ecclesiasticis partem sibi expensarum sumptuumque resarciuerint, quum idem æquales illorum Pontifices fecerint, & hodie Christianissimi Francogallorum Reges veterum more faciant, quoties è re visum fuerit, ab omni ordine cleri tributum nullo refragante exigentes? quis, inquam, diuino iuri, quo illi nituntur, contrauenire audeat? quis negare, aut eius præscripto recalcitrare, quod omnes animas illorum potestati generali edicto subiecit? Illud constat, minus decessisse Ecclesiis & monasteriis, cum in Principum Germanicorum manu ius illud vetus confirmationis existeret, vtcunque tum grassantibus venantibusque Præsulibus, neque tantum fuisse Ecclesiasticarum pensitationum, quàm hodie cernimus. Non tulissent enim Imperatores, vt otii saginandi gratia tantum opum ex alienis Ecclesiis sibi corraderent pileati Antistites, quantum postea Papæ indulgentia interueniente sui iuris fecerunt. Ad Rudolphum reuertor, quo regnante munia prope omnia Ecclesiastica quæstui deseruierunt. Episcopi enim suis sedibus non contenti, alias occuparunt administrationis prætextu, mox vicariis submissis & locum tenentibus, qui potissimam redituum summam illorum rationem inferrent, quod supereresset Canonicis velut merce conductis relinquerent, qui & ipsi Præsulum exemplo à frugalitate & parsimonia ad opes & rapinam conuersi, census suos annuos parochiarum expilationibus ditauere, reperto tum

&

& admisso incorporationis fuco, longe omnium nocentissimo; quo fere vniuersa rusticis alimonia tum Choriepiscoporum, tum etiam pauperum Diœcesanorum in collegia & monasteria, posthabita parochiarum dignitate, concessit. Porro & monasteriis Episcoporum auaritia sæpe molesta fuit, coemptis videlicet, aut in præmium concessis Aduocatiis, quæ post Arnulphi mortem miro & ipsæ quæstui patuêre. Constat & Abbates ambitiosiores sæpè mutasse cœnobia, nec sine largitione impetrasse, vt Abbatiis pinguioribus præficerentur. Ante enim diximus, nunquam ita sui iuris monasteria fuisse, quin Aduocatos vel Regum vel Imperatorum nomine missos ferre cogerentur, præcipua illis cura iuncta, ne quid detrimenti cœnobia vel sua ipsorum, vel aliorum culpa acciperent. Horum igitur cum certa quædam & liberalia quidem salaria Regum iussu constituta essent, factum est, vt & hac à parte grassante cupiditate repente ad lucrum & farinam detorta fuerint, quæ antea non nisi diligentiæ vigilantiæque patuissent. Emptas autem constat à Principe, vel ab eodem in beneficium (vt vocabant) acceptas, quæ paulo sagacius exercitæ plurimum emolumenti afferebant. Non modo enim ab Episcopis, sed à Nobilibus & Abbatibus etiam, qui alienas Aduocatias interdum coëmerunt, magno quæstu sæpius administratæ sunt. Quare Abbates plærique & ipsi parandis diuitiis intenti, sed & indignum rati horum insolentiam ferre, qui viam sibi opum augendarum, adeoque regni instituendi occasionem præcluderent, Aduocationes Principum decreto constitutas, quas vulgo *Aduocatias* vocabant, grandi pecunia redimere, atque hoc se iugo in totum eximere perrexerunt. Tritæ tum illis Regum erant aulæ, & patulis horum auribus abusi, tantum his licebat, quantum dudum nostratium Principum clementia & bonitate Episcopi abusi fuissent. Proinde & Abbatibus illorum indulgentia permissum, vt onere Aduocatiarum liberati vel *Ammannos* constituere, vel *Curiæ* (quos vocant) *Magistros*, qui Abbatum dicto audientes essent, surrogare nullo impediente liceret. *Aduocati*, hodie vulgo *Tutores* appellantur, quibus etiamnum monasteria non pauca varios quidem, sed graues tamen & magnos reditus pendunt, alicubi & equis certo numero missis, qui monastico pabulo saginentur. Nostra ætas Abbates vidit, qui post redemptam, vt vocant, Aduocatiam, & omnimodam libertatem indeptam, tanta opum tuendarum & seruandæ ditionis sollicitudine commoti, ac velut perculsi fuere, vt patronis non modica pensitatione allectis, perpetuæ sese rursum clientelæ fideique volentes submiserint & manciparint, satius arbitrati hoc modo partis rebus consulere, quàm aleam illam ludere, quæ ditissima cœnobia non raro ad extremam inopiam redegit. Iam & Parochiarum præbendarumque (vt vocant) possessiones, collationes, inuestituras vendere, mutare, præterea seruata redituum parte locare, Romanæ sedis exemplo, Clero omni licebat, vsque adeo licitatis sacerdotiis vniuersis, vt parum interim tuta essent, quæ iure patronatus defendebantur. Quæ res tamen trans Alpes adeo licenter exercita est, occupatis videlicet alioque translatis collegiorum cœnobiorumque reditibus, vt alicubi vix superesset, quod horum alimoniæ, qui sacris peragendis præfecti essent, sufficeret. Male tum, vt semper, audiebat simoniæ nomen, quum simoniam interim omnes nulla fronte & profiterentur, & exercerent, vt mirum videri cuipiam posset, qua de causa pestis illa nocentissima tantum sibi licentiæ vindicarit, cum apud Luitpran-

dum legamus, Ioannem Pontificem tempore Otthonis Primi à Presbyteris suis Cardinalibus in concilio præsente Imperatore veluti criminis accusatum fuisse, quod pretio accepto Episcopos faceret, quum nemo ignoret, multo leuius esse pretio accepto Episcopum facere, quàm lucri respectu vendere Episcopatum & Ecclesiarum reditus in quæstum illis concedere, qui longè essent à cura omni animarum alieniſsimi. Et si vel maximè essent quales esse debebant: tamen simoniaca prauitate polluti in luxum & voluptatem Ecclesiarum bona conuerterent. Exierant enim non ita pridem bullæ ex vrbe, quæ ad otium & luxum natis hominibus copiam faciebant, occupandarum Ecclesiarum, quæ mensæ Pontificis, vt vocant, vacassent, quoad summam redituum annuorum trecentis quadringentisve aureis nummis æstimare possent, amplam videlicet prædam paucis in saltibus facturi, quam nemo tamen sine magna Ecclesiarum calamitate assequi possit. Proinde non ita pridem Heluetia nostra frequentibus in Comitiis sanxit, decreuitque, vt proximo in amne mergerentur, qui id genus pestiferis bullis grassari intra suam ditionem ausi fuissent. Verum hæc omnia vtcunque indecora, fuco quodam beneficentiæ præstandæ tegebantur, nec alienum esse à religione videbatur illis gratificari, qui vel de Regibus (nam & Reges idem error tenuit) vel de Pontificibus bene meriti, vel maximè meriturі viderentur: quæ sanè simulatio in hunc vsque diem ita simoniæ patrocinata est, vt ab illis etiam non aduertentibus probata admissaque sit, qui nullis non libris & litteris nomen ipsum simoniæ traduxere. Nam & generi, & virtuti, & dignitati, eruditionique hactenus indulgendum quorundam opinioni visum est, vt illorum in gratiam palam fuerit ab æquo & iusto discessum, concessumque, vt vnus aliquis multis in locis Episcopus aut Abbas, multis in Ecclesiis Præpositus, Canonicus, Plebanus, addo & Sacellanus factus, rebus suis priuatis manifesta simonia consuleret, nisi ille simoniam non exercet, qui rebus sacris ad lucrum & quæstum abutitur, & simoniaci habendi sunt, qui pro pecunia accepta res sacras largiuntur & vendunt, quum contrà Petrus Apostolus Simonem Magum hac maximè caussa reiecerit & damnarit, quod lucri studio rem sacram in se transferri cupiisset: quanquam tàm reus criminis fuisset Apostolus, si petenti ipsi & pecuniam offerenti, rem sacram vllam tribuisset, quàm reus erat Simon, qui leuis rei iactura quæstum ingentem ambiebat. Perinde enim reus est, qui rem sacram abusui concedit, atque ille, qui ea concessa ad suam farinam abutitur. Supra autem à nobis dictum est, hanc pestem Sataneæ consiliis cito in Ecclesia nocere cœpisse, cæterum hoc nocentiorem factam esse proximis sæculis, quo indulgentius admissa est. Armorum studium, inauditamque veteribus belligerandi væsaniam Episcopi sero sibi arrogarunt, ac primum quidem arma (quod quidem sciam) nostri, hoc est Germaniæ, Episcopi, deinde & Italiæ Pontifices Germanorum hominum exemplo adducti, licentissimè exercuere, obseruatumque tam diu à cede & sanguine alienos fuisse Vrbis Episcopos, quàm diu Imperatorum cum Occidentis, tum Orientis dignitati & authoritati delatum fuit. Mox iugo abiecto, quum aliud in Vrbe regnum quærerent, nec iam amplius parendum Orientis Principibus decreuissent, de bellis armisque cogitatum est, sed talibus, quæ non propriis, sed alienis & sumptibus & auspiciis vnius religionis obtentu impetratis gererentur: Pipino enim & Carolo Martello patre eius apud Francos dominantibus ea ratio vltionis quæsita est ab vrbis Episcopis Gregorio

tio Secundo & item Tertio, vt aduersis rebus agitati Regum operam adiutricem implorarent, & sic ad arma excitarent Principes, quorum beneuolentiæ sese concredidissent. Ad quem modum Gregorius Secundus Antipharium Lõgobardorum Regem aduersum Leonis Imperatoris Exarchos: Nec multo post Stephanus Secundus in Galliam profectus Pipinum Martelli filium patrem autem Caroli Magni aduersum Aistulphum Longobardorum Regem euocauit, à quo Aistulphi exercitus victus & oppressus est; & defuncto Pipino Carolus Magnus ab Hadriano Pontifice aduersum Desiderium Longobardorum Regem ob erepta quædam Romanis oppida excitatus est. Quo bello Desiderius vnà cum filio suo Adalgiso oppressus regnoque tot sæculis celebri priuatus est. Ottho quoque Primus à Paschali Pontifice aduersus Berengarium in Italiam vocatus eum repressit, & denuo vnà cum coniuge in exilium relegauit. Posterioribus autem Pontificibus cum agris iam & oppidis patrimonii prætextu per Italiam potiti essent, hoc amplius audaciæ accessit, vt & de suo armarẽt militem, nec iam alienis, sed propriis auspiciis bella gererent. Primusq; omnium Pontificum Romanorum Leo Nonus antea Bruno vocatus, aduersum Nortmannos, qui se authore in agro Apulo consederant, cum exercitu egressus, victus prœlio & in fugam versus est, plus mille annis post passum Dominum. Tanto tempore etiam morum corruptela Romanis Antistibus incruentæ manus fuêre. Erat autem Leo natione Germanus, familiæ Comitum Dagispurgensium, primum Tollensis Episcopus, deinde Romanis petentibus ab Hainrico Tertio in Pontificem designatus, vir per omnia spectatæ probitatis & simplicitatis innocuæ, illoq; quem ex suo & Ecclesiæ nomine contraxit næuo indignus. Prima enim omnium Ecclesiarum Apostolicarũ & sola Romana Ecclesia hoc probro aspersa & infamata est, quod & Christi lege, & Apostolorum doctrina veterumque omnium Ecclesiarum disciplina neglecta, exercitus parare, militiam ingredi, suisque auspiciis & signis cum hoste confligere ausa fuerit. Cõstat autem primos ex Germanis Episcopis haud aliter belligerasse, quàm quod cum Regibus suis & Imperatoribus aduersum infideles, vtpote Saracenos vel Hunnos, nec armati ipsi, nec armatis copiis comitati profecti sunt, sed memores etiamdum professionis suæ religionis magis, quàm armorum studium tueri, piisq; quam vltoriis consiliis adesse Principibus magis satagebant. Verum breui honestæ rei specimen manifesto abusu est cõtaminatum, & ad clerũ etiam progressum vltionis studium, procliue quidem in omnem perniciem in gente præsertim ad armorum gloriam nata. Sed tum primum maxime obtinuit, quum doctrinæ & religionis cura languente, sæculi curæ sese commisere, qui mundum & sæculum abiurarant. Atque vtinam quibusdam ex nostris error ille ita innotuisset, vt se Philosophorum non Apostolorum imitatores factos intelligere potuissent. De Philosophis enim quibusdam legimus, quod simul & sapientiæ studium, & rei militaris scientiam professi fuerint. Præcipuus Architas ille Tarentinus fuisse memoratur, quum contra Apostolus Paulus Christianæ militiæ antesignanus, haud alia arma norit, quàm spiritualia, nec aliam vllam functionem profiteatur, quàm dispensationem mysteriorum Dei. Similem ad modum Monachi recentiores illorũ nomina mutant, quos suæ factionis mysteriis imbuunt & sacrant, Romanos imitati, qui & adaptando & manumittendo sæpe mutarunt nomina. Nam quod Petro mutatum est à Christo nomen, ea causa factum est, vt functionis eius conditio & præcellentia indicaretur, non vt exemplum daretur aliis mutandi nomina, qui militiam Christi essent ingressi, longe minus his

qui

qui à Christi instituto ad humana inuenta & laqueos defecissent: etsi digni mihi videantur, quorum nomina baptismo suscepta mutentur, qui baptismi voto non contenti fidem Christo datam violant, eiusque iugo reiecto humano sese iugo subiiciunt, & armis spiritualibus exuti humana panoplia sese aduersus carnem & Satanam muniunt. Ex Germanis autem Episcopis plus satis bellicosis Brunonem Hainrici Primi filium Coloniæ Agrippinæ Episcopum, pessimo exemplo & pastorem & bellatorem egisse legimus, excusabilem quidem quorundam iudicio, quod paternis rebus tuendis operam nauarit. Sed operam vel parentibus nauatam scripturæ veritas damnauit, quando cum Episcopi partibus & officiõ pugnat. Otthoni primo Brisacum obsidenti multi Episcopi affuerunt. Sub Othone autem Secundo Abbates etiam militarunt. Hainrico Secundo imperante Wernherus Episcopus Argentoratensis collecto Alemannorum exercitu aduersus Burgundiones pugnauit & vicit. Sed ô miseram victoriam, quam Episcopi, hoc est Christi ministri, & Apostolorum successores, non sine vltione & sanguine reportant. Cito quidem sese & factionum & rebellionis socios fecerunt Episcopi nostri, Pontificum artibus sæpenumero miris modis inuoluti, nonnunquam interfecti, & cum leuis pœna esset, suis sedibus depulsi inque exilium relegati. Sed rariora tamen armorum & gerendi belli exempla erant, donec auaritia & ambitio opes Ecclesiarum & monasteriorum Germaniæ suæ libidini tyrannidique subiecerunt. quod postremis illis sæculis accidisse supra est dictum. Quemadmodum enim pestes iam ante à nobis memoratæ in rerum Ecclesiasticarum administratione prope omnia sursum deorsumque iactarunt, ita furor ille belligerandi iisdem de pestibus prognatus adeo sese summa intemperie & Episcoporum & Abbatum animis ingessit, vt & Episcopi inter se commissi cladibus suis Cæsarum etiam & Regum fortunas inuolnerint. Quod quidem in Italia frequentius & maiori cum damno pietatis factum constat, quàm Germania vnquam experta fuerit. Quæ & ipsa tamen intra annos trecentos Episcopos videre coacta est cum Abbatibus quibuslibet de causis tanto vltionis studio commissos, vt & oppida exusta & arces dirutæ deiectæque, ad hæc & villæ incensæ agrique præda, igne, ferro vastati cernerentur. Pari modo & in subditos nonnunquam arma mota sunt, nec vrbibus parsum aut pagis, quorum mœnibus tamen & septis collegia & monasteria continebantur. Fidem fortassis apud ignaros temporum superat: sed de certa tamen Chronicorum fide conuincitur nuperrimis sæculis Episcopos & Abbates frequenti nobilitate, præterea & seruorum & libertorum armata manu instructos, Regibus & Imperatoribus stipendia meruisse, reditibusque & priuilegiis donatos sæpe rediisse è militia, vbi res prospere gestæ fuissent: contra verò ære alieno mirè grauasse Ecclesias, si aut morbo confecti, aut in pugna cæsi, aut turpi aliqua fuga elapsi fuissent. Cuius impudentiæ causas tum morum & temporum prauitati, partim etiam Nobilitati nimioque obsequendi studio debemus. Temporum vitio factum est, vt quæ reipsa nec decora, nec honesta, neque pia essent: tamen vsu euincente, & quia summi viri eadem ausi fuissent, ab hominibus inconsideratis pro honestis decorisque admissa & habita sunt, maxime vbi religionis tuendæ retinendæque fuco aliquo commendata fuissent. Nobilitas autem collegiis & monasteriis præfecta haud raro tum veteri sua virtute, tum etiam disciplina monastica neglecta, adhæc & generis claritudine potentiaque, & cognatorum affiniumque authoritate animã-

nimata, hoc licere sibi persuasit, quod haud raro parentum, quod cognatorum, quod affinium consilia ingessissent. Nam vt animos ad arma & vltionem natura pronos fileam, satis constat Nobiles quosdam, qui amplæ cognationis essent, non minus ætate illa collegiis & monasteriis nocuisse, quàm eisdem Maiores sui profuerant. Sæpe enim ad arma & vltionem excitatos fuisse legimus non Episcopos modo, sed etiam Abbates, ne illos, qui necessitudine aliqua sibi essent coniuncti, deseruisse viderentur. Nec attinet fortasse meminisse, quanto illa suorum damno misera calamitate noxiam illam ambitionis aleam luserint, quum inclinata iam disciplina ad titulos & honores & opes animi prope omnium conuersi viderentur, neque aliud esset relictum Ecclesiis præter habitum & anniuersarias quasdam cæremonias, quarum vsum qualemcunque hodieque durare videmus. Cuperem autem ad manum esse nobis, quod illorum querelis obiiceremus, qui cœnobiorum præcipuorum Germaniæ religionem in dominatum; disciplinam autem in luxum & otium, postremo & cœnobia ipsa in palatia conuersa esse clamare non desinunt, interim & Regibus & Imperatoribus magnam partem culpæ tribuentes, quod & in bellum euocarint merentibusque stipendia numerarint, adhæc fidem operamque illorum domi militiæque experti præposteris quibusdam obsequiis sibi deuincire conati fuerint. Vehementer enim & illi impegerunt, dum professionis conditionisque. aut (vt verius dicam) sortis suarum partium obliti, Mammonæ seruire & hominibus, quàm Deo magis obedire maluerint. Hi autem dum ad hunc modum merentibus & errantibus quidlibet sine iudicio & discrimine obtulerunt, titulis etiam & honoribus collatis, qui præterquam quod ministris Ecclesiarum offerri donarique nec debent nec possunt, in monachis primi illi monachismi authores, quos inter Diuos & indigetes numerant, nulla in parte vel agnouissent, vel admisissent: quippe qui hoc prope solo præconio orbi commendati sunt, quod omnia dereliquissent, & Christum essent secuti, quod si vera sunt, quæ de patrum suorum vitæ integritate & morum sanctitate, & in primis sæculi rerumque sæcularium cura tam contemptim habita retulerunt, & literis mandarunt, quæ nominatim recensere longum foret. Nihil dubium est, quin vel suorum patrum & fundatorum, quorum tamen diuinitatem festis diebus miro studio ceremoniis selectis venerantur & celebrant, confessa (si reuiuiscant) & dicta sententia causam omnem suam amissuri, & anathema omnium longe grauissimum excepturi essent, qui tam longe ab his dissentiunt: quorum tamen nomine & tutela quicquid tenent, gerunt, agunt & satagunt, tuentur & defendunt. Quin imo illud insolenti turbæ obiecturos nullos dubito, quod Ioannes obiecit præfractis Iudæis: *Ne cogitate quidem hoc vobis vtile futurum, quod patrem habetis Abraham*, &c. Dignum ergo admiratione, quomodo factum sit, vt posterioribus omnia oblata recipere vendicareque libuerit, sine omni respectu sortis & conditionis, cum maiores tamen sui leuicula, & quæ inoffensa religione admittere potuissent, respuerint, maiora autem cum incusatione recusarint. Sic Christus regnum, sic Apostoli honores indebitos pecuniam & munera refutarunt. Et memorabile sanè est dictum Columbani Scoti, cui prope primas à Benedicto monachi tribuunt, qui Sigisberto seniori Austrasiorum Regi nihil non offerenti ita respondit: *Qui nostra reliquimus, vt secundum Euangelicam institionem Dominum sequeremur, non debemus alienas amplecti diuitias, nisi forte prænaricatores simus Domini mandati.* An autem vllum Abbatem vete-

veterem vllius cœnobii adducere possint, qui ante annos trecentos Principis nomen audire, nedum admittere aut arrogare voluerit, ipsi viderint. Constat equidem meri imperii vsurpationem recentem admodum esse, & nuper publico mortalium errore illis admissum. Vetustior est diuitiarum cupiditas, studiumque opum monachis propemodum cognatum, sed & ipsum non solum reiectum à patribus, sed etiam adeo vetitum, vt B. Gregorius monachum esse neget, *qui possessionem in terra quærit.* Nostri sane negare nequeunt, ita maiores suos annis trecentis proximis à primorum patrum instituto & disciplina defeciisse, ita opibus, titulis, emptionibus, dominatu professionem suam grauasse, vt reipsa Christo renuntiasse, & sæculi curam amplexi esse videantur. Nisi forte verosimile est, Episcopos esse non eos modo, qui verbo pascunt, & Christi mysteria Ecclesiis dispensant, sed etiam illos, qui honore sublimes mytram gerunt & pallium: Monachos autem Abbates non illos modo esse, qui subiecti Episcopis sæculi curis nuntium remisere, sed illos etiam, qui mero imperio præditi vestem & nomen cum pedo & mythra retinent. Fuit enim tempus quum id genus errata & abusus in Ecclesiam subingressos legitimè congregata Concilia reprimerent & coercerent, nulli rei magis intenta, quàm vt vetustæ, & à sanctorum patrum vestigiis deductæ disciplinæ consuleretur: id quod è veterum conciliorum innumeris decretis & Canonibus notius est, quàm vt referre sit opus. Nec enim doctrinæ solum, sed & morum & vitæ ratio habita est in Synodis antiquis, curatumque ante omnia, ne quid Antistites committerent, quod in exemplum trahi, aut aliqua ex parte offendere Ecclesias posset. Habuere quidem concilia Pontifices posteriores, sed rara, & in vrbe ferè nec more veteri celebrata, quum iam tum decretis mandatisque hominum omnia tribuerentur. Confluebant enim Episcopi & Abbates haud aliud publicè statuentes, quàm priuatim sensissent & probassent, priorumque Pontificum vel impia præiudicia pro scripturarum oraculis habebant. In ore quidem illis erant scripturæ & Patres, sed reipsa nihil non decretis Pontificum, quæ vno iam & altero sæculo mirè inualuerant, discutiebatur. Extat apud Vrspergensem testificatio fidei, quam Paschalis Secundus Hainrico Quinto imperante in Synodo Lateranensi facere coactus est, insimulatus scilicet, quod Imperatori Hainrico ius inuestituræ contra maiorum, Gregorii scilicet Septimi, & Vrbani Tertii, decreta corroborasset. Quæ digna mihi visa, quæ hoc loco referretur: Ad hunc autem modum habet: *Amplector omnem diuinam scripturam veteris & noui testamenti, legem a Moyse scriptam, & sanctis Prophetis: amplector quatuor Euangelia, septem Canonicas epistolas gloriosi Doctoris B. Pauli Apostoli, sanctos Canones Apostolorum, quatuor Concilia vniuersalia sicut quatuor Euangelia, Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense & Antiochenum concilium, & decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorii Septimi, & beatæ memoriæ Papæ Vrbani, quæ ipsi laudauerunt, laudo, quæ ipsi tenuerunt, teneo, quæ confirmauerunt, confirmo, quæ damnauerunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico, quæ prohibuerunt, prohibeo, in omnibus, & per omnia, & in his semper perseuerabo.* Hactenus Paschalis à scripturis quidem orsus, sed præiudiciis obrutus, in gratiam Concilii confessus est Romæ circiter annum Domini MCXII. satis innuens, quo in loco tunc temporis placita Pontificum habita sint, quæ sequentibus tamen sæculis longè maiore religione recepta & obser-

uata

uata fuere. Cæterum de disciplinæ emendatione ne verbum quidem postremis in synodis reperias, etiamsi sint, qui horum temporum Papis, nescio quid censuræ in mores & vitam quorundam tribuant: verum quæ aut qualis illa fuerit, ne verbo quidem exponunt. Illud constat, eius vindicandæ & reformandæ multam fidem nostris fecisse Pontifices, quoties necessitas aliqua ita vrgebat, vt ad opem Principum & popularium auxilia foret refugiendum, neque alia magis arte publicam orbis querelam consopitam, quàm concilii pollicitatione, in quo de disciplina Ecclesiarum cognosceretur. Innocentius enim ille, qui potestatis plenitudinem sibi de iure & supra ius dispensandi arrogauit, cum rebus transmarinis vrgentibus sub Otthone Quarto bullis quaquauersum missis Christi fideles ad recuperationem terræ sanctæ inhortatus esset, dubium, studione pietatis, an potius in causæ suæ commendationem, quo maiore fauore dudum fessis exhaustisque Ecclesiis insinuaret, ingenuè confessus est, suorum temporum statum generali Ecclesiæ reformatione indigere, & in hoc certo se futurum, vt vniuersæ Ecclesiæ reformationem assequeretur. Promisit autem illius bulla (vt eius verbis vtar) Concilium generale, iuxta priscam consuetudinem sanctorum Patrum, in quo *vitia extirparentur, virtutes plantarentur, excessus corrigerentur, mores reformarentur, hæreses eliminarentur, fides roboraretur, discordiæ sopirentur, pax stabiliretur, oppressi iuuarentur*, aliaque id genus, quorum Vrspergensis meminit, quæ nec ab ipso vnquam, nec ab aliis, quod sciam, Pontificibus postea seruata aut præstita fuere; Exspectata quidem in Constantiensi & Basiliensi Synodo. Verum & hos cœtus ita nobis Pontificum ambitio inuoluit, & suspensos tenuit, vt præstiterit fortasse nunquam coactos, quàm tantis sumptibus factos paruo cum fructu dimissos, ne dicam contemptos fuisse. Quod si tantum solertiæ vigilantiæque publicæ pietati Episcopi illi adhibuissent, quantum priuatis rebus augendis stabiliendisque adhibuerunt, profecto minus hodie laboraretur, minusque tumultuum & periculorum illi sentirent, quibus cum vitiis corrigendis & moribus vindicandis perpetuum certamen est, quique hoc vnum vrgent, vt Ecclesia Christi ad normam veteris veræque & indubitatæ religionis reformetur, quo deinceps alita virtute, & ornamentis verè Christianis specimen illud Apostolicæ synceritatis referre, suoque se modo & ordine continere possit. Ægrè enim relinquimus, quæ longa nobis consuetudine commendantur. Perdifficile est; illorum errori occurrere, qui & opum, & potentiæ æstimatione dignitatem, adeoque religionem Ecclesiæ metiuntur. Capitum enim, hoc est, summorum Pontificum vrbis, non exemplis modo, sed etiam documentis hactenus confirmati sunt, qui sua tam obstinatè defendunt, nec ignorant Paschalis Secundi sententiam, qui in Synodo quadam Romana (sicut Vrspergensis scribit) Episcopis nonnullis ob contemptam Hainrici Quinti Imperatoris authoritatem tumultuantibus in hæc verba respondit: *Ecclesia primitiua Martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines: dein ad fidem conuersi sunt Reges, Imperatores Romani, Principes, qui matrem suam Ecclesiam, sicut boni filii, honestauerunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, sæculares honores & dignitates, regalia quoque iura & insignia, quemadmodum Constantinus, cæterique fideles, & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quàm apud Deum.* Hactenus Paschalis, cuius sententia ita postea obtinuit, vt ætas nostra etiam Iulios Cataphractos & Alexandros nihil non audentes inspexerit. Atque vtinam cordi esse


illis Pontificibus potuisset, quod tam fideliter CHRISTVS monuit de huius mundi diuitiis, quod nemo duobus Dominis seruire possit, nemo Deo seruire & Mammonæ, & facile gloriam ab hominibus quæsitam abiecissent, nec ad illa semel iurati Christo respexissent, quæ ipse Dominus non doctrina modo frequenter repetita & inculcata damnauit, sed fuga etiam detestatus est. Et decuisset Paschalem, vtpote summum Pontificem, memorem esse verborum Christi ad hunc modum Pharisæos exstimulantis: VOS ESTIS, *qui iustificatis vos ipsos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo.* Nunquam ergo ex æquo coram Deo & hominibus Ecclesia florebit, cum quæ apud homines florent, apud Deum Christo teste florere nequeant. Homo videt in facie, Deus iudicat in corde. Floridam vero Ecclesiam fateor, quæ ad hunc modum cum sæculi Regibus non gladium modo, sed honores etiam & dignitates communes habet, simulque & sæcularem & spiritualem functionem non modo confuso, sed etiam conuerso dispensationis munere vindicat. Cæterum Catholica sit & Apostolica nec ne; id in medio quærendum relinquimus, dùmmodo certum habeamus, hoc puriorem & sinceriorem semper fuisse Ecclesiæ statum, quo vetustior fuit, honoresque & opes contemptim habuit. Deteriora autem omnia Pontificum placita & instituta habita, quo recentiora esse dignoscuntur. Verum de opibus quæsitis & ambitis honoribus plus satis dictum est. Quod ad doctrinam attinet, ita proximis sæculis prope omnia Collegia & Monasteria Germaniæ defecerant, vt nisi cessationem illam publicam & inertiam nostris hominibus indignam optimi aliquot Principes recenter institutis Academiis emendassent, hodie non artibus modo honestis omnibus, sed literis etiam & linguis, quas veteres Ecclesiæ tantopere excoluerunt, in totum careremus, vsque adeo fatali quodam veterno circumuenti, & ad luxum & otium sua omnia conuerterunt, qui religionis doctrinæque excolendæ nomine iam olim fundati donatique fuerunt. Iam vt tandem finiamus, negari non potest, quin in densa illa temporum caligine & plus quàm duris ac barbaris sæculis Ecclesiæ Germaniæ non paucæ summos viros Antistites habuerunt, nec Abbates cœnobiis defuerint tam pietate, quàm doctrina & eruditione præstantes. Sicut enim in aspero aliquo senticeto rarò videas ita omnia spinis & vepribus obducta & impedita esse, quin & flores passim & odores emineant, ita tenebræ illæ profundæ ignorantiæ quantumuis atræ & crassæ adeo Ecclesias nostras non oppresere, quin viros suis omni virtutum genere probatos ostenderit. Quod ipsum & de illis sentimus, qui hodie rerum potiuntur. Sunt enim multi, qui non priuato modo in cœtu, sed aula etiam & palatio adeo vel opum affluentia, vel rerum domesticarum splendore, vel in totum vlla aut nominis, aut functionis gloria non tanguntur, aut insolescunt, quin votis omnibus cupiant causam veritatis, quæ tempore tam longo sepulta iacuit, tueri, vitamque & disciplinam eorum, qui se Christianos profitentur ita componi, emendari, reformari, vt à primæua illa puritate verè sanctæ Ecclesiæ Catholicæ quàm minimum distaremus. Quo sensu & Abbates quosdam duci & abundare haud dubitamus, qui oblatos cum annis mores exceperunt vlla sua culpa, quando iam constet palam multa esse à veteribus quibusdam patribus religionis prætextu recepta & admissa, quæ ne probari quidem iusta vlla causa queant, nedum defendi aut retineri. Quod ad Monachos attinet, tot sectis variegatos, idem pios viros sentire video, quod sensit doctis-

simus

simus Erasmus quando dixit: *Bonos monachos Ecclesiæ esse ornamenta, Malos carcinomata*: conquestus interim perquàm paucos esse ætate nostra, qui veri esse Monachi, aut boni videri queant. Nobis denique, qui nostris affectibus locum damus, & humanis consiliis omnia gerimus, nec ad diuina respicimus, quo & certis & indubitatis, & æternis nitamur & hæreamus, vsu venit, quod omnibus regnis suo robore nixis accidit, quod à gentili Poeta (ceu Prophetam dicere malumus) dictum est:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

FINIS.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [144] - -

PUBLIC DOMAIN

BARTHOLOMÆI SCHOBINGERI IC. ADDITIONES, AD IOACHIMI VADIANI CONSVLIS FARRAGINEM ANTIQVITATVM.

PRÆATIONIS Numerus I.

IN Rheni & Danubij Ripa Ecclesiæ Christianæ.] Quæ vt plurimum erant lignea, sine omni superflui ornatus cura sineq; magna structurę elegantia. Cuiusmodi fuit illa ad Ripã Danubij in Norico, cuius Eugippius Abbas in vita S. Seuerini meminit. Nec alia templa Diis suis exstructa à Germanis. Nã Velleiusin Gallica historia de Dea Isa, quæ Augustæ Vindelicũm culta, scribit; *Cuius templum ex ligno barbarico ritu constructum.* &c. Barbarico, id est Germanico. Nam Germani κατ' ἐξοχὴν *Barbari* dicti, vt ad Sidonium notauit Ioannes Sauaro & ad Einhardum Melchior Haiminsfeldius Goldastus, iuuenis & vera nobilitate, id est virtute, ac morum probitate, & omnium optimarũ artium ac disciplinarum studiis ornatissimus, qui & superiorum locorum, cum hos libros vnà otiosi perlegeremus, me admonuit, & alia plurima in his additionibus nostris, qua est promptitudine, suggessit. Vt est illud circa annũ Dom. cccc, cœpisse lapidea templa à Christianis exædificari. Quale fuit illud Brigantii ad lacum Podamicum à SS. Columbano & Gallo repurgatum, vt legitur apud Walefridum & Wettinum in vita Galli, apud Rapertum quoque cap. 1. & Theodorum in vita S. Magni. Quale & illud Kirchbergense, cuius Thomas Lyrer & Felix Fabri originem tradidere.

Sub Valentiano eius nominis Tertio.] Sub hoc enim Germanos Rhenũ transgressos in Romanas prouincias irruisse authorum omnium consensu constat circiter ann. Salut. cccc l. vel vt Sigebertus author est an. cccclxxiv. *Ibid. 2.*

Franci longius à ripis Galliam ingressi.] Ottho Frisingensis lib. 4. cap. penultimo. *Ibid. 3.*

Remigio authore.] S. Remigius Episcopus Remensis Ann. Dom. cccxc. *Ibid. 4.*

In vetustissimis Codicibus.] Legis Salicæ, quam posteaquam hæc Vadianus scripserat, edidit Ioannes Heroldt, cum aliis veterum Legum libris. *Ibid. 5.*

Ibid.6. *Nomine Imperij ad Francos, atque inde etiam ad Germanos translato.*] De imperii translatione ad Francos & Germanos vide libellum Marsilii de Padua *de Translatione imperii*, & quædam apud Engelbertum Abbatem Admontensem *de fine Romani imperii*.

Ibid.7. *Lothario, quem Clotharium scribæ Gallici vocant.*] Fallit enim Franc. Guillimannus, qui in libris Antiquitatum scribit litteram C. in eiusmodi nominibus idem notari quod KVNIG. Hac enim ratione omnes & sacerdotes, & monachos, & nobiles & plebeios Reges fuisse concedat necesse est, quorum nomina in veteribus instrumentis & legibus Francorum manuscriptis ita scripta & picta obseruantur. Natus autem error ex barbara illa, & imis de faucibus ducta pronuntiatione, qua Heluetii nostri hodieq; laborant. Hinc sine discrimine in illis libris legitur *Ludouuicus, Hludouuicus, Chlodouuicus, Clodoueus. Lotharius, Hlotharius, Chlotharius, Clotharius.* &c. Rationem eius rei tradit Bodinus in Method. histor. Hæc Goldastus.

Ibid.8. *A Dagoberto in optimam formam redactæ.*] Leges Francorum à Dagoberto in formam redactæ, *nihil habet quod paganismum resapiat*, in epilogo legis Francorum, quem Heroldus fecit præfationem legis Salicæ, Iustinianum (opinor) imitatus. Goldastus.

Ibid.9. *Nihilminus donatas & ornatas, quàm illas priores.*] Quas transportarunt & locis mutarunt. Hinc Rauracensis vetus in Basilienſem, Vindonissensis in Constantiensem, Auenticensis in Lausanensem, &c. migrarunt ac transportatæ sunt.

Ibid.10. *Irenæus vetus author meminit.*] Aduersus hæreses lib. 1. c. 3. vbi & Ecclesiarũ in Celtis mentio. Nam & ipse Lugdunensis Celtarum Episcopus fuit.

Ibid.11. *Quæ apud Curiam est vetusta.* De eius vetustate Guillimannus lib. 4. c. 2.

Ibid.12. *Scholarum vice cœnobia essent.*] Talia fere hodie esse nouimus Collegia Iesuitarum, suo more modoq; Vnde & ab aliis *Seminaria*, etiam *Gymnasia* vocantur, in quibus scilicet ad Ecclesiæ suæ & Reipub. regimen semina iactentur & exerceantur, præsertim in America, vt ex Epistolis Iaponicis, si vera sunt, quæ ibidem memorantur, cognoscimus.

Ibid.13. *Prouincia Gallica cœnobia vidit.*] Sub Arcadio, Vero & Honorio Principibus. Auxit postea institutum Martinus Episcopus Turonẽsis, qui collectis discipulis seueriorem quandã monasticę disciplinæ regulam circiter annũ Salut. CCCLXXXIIII. Gratiano imperãte professus est: cuius vitã Seuerus Sulpitius Rhetor, & ipse postea monachus, eũ multa ac prope ambitiosa laude monasticæ vitæ in literas retulit anno CCCC. plus minus. Hunc postea secutus Ioannes Monachus cognomento Cassianus, qui & ipse de Monachis Ægypti, & monachismi laudibus in literas retulit, & monasteria duo Massiliæ condidit annum circa CCCCXL. vt quidam volũt. Cessatum dein nonnihil, quum magno omnium terrore Gotthi in Italiam, in Gallias autem Franci irruissent. Verum illis ad fidem cõuersis, augeri amplius, sed int. a modum tamen, cœpere monasteria. Clodoueus enim à Remigio baptizatus non defuit monachismo, qui & in Alemannia à se deuicta & magna parte in seruitutem redacta, propagandæ gratia religionis, monasteria instituit, domos scilicet, in quibus regiis donationibus fouebantur, qui verbo Domini rudes illas & feras gẽtes ad fidẽ Christi cohortabãtur. Sub hoc n. Principe duo monasteria, vnũ apud Turegũ, alterũ apud Lucernã à Wichardo & Ruperto fatrib. Ducibus Alemanniæ seu Sueuiæ, fundata sunt, omniũ, q. sciam, Alemannicorũ monasteriorũ vetustissima, circa ann. Dom. DIII. regnante in Italia Theodorico Gotthorũ Principe. Postea annis plus minus XXX. sub Iustiniano Imp. emersit S. Benedictus ille ἀρχισπουδαγὸς monachorum, anno Domini DXX.

Quum

Quum Theodosio Iuniore imperante.] Videndum an tempore Valentiniani e- *Ibid.14.*
ius nominis Vltimi.

Cuius Basilium fecere authorem.] Cuius epistolã vide ad Greg. de *vita solitaria.* *Ibid.15.*

Anglis & Hybernis.] Hic nota, monachismũ non quidẽ sub Gregorio in An- *Ibid.16.*
glia & Hybernia, sed antea incepisse. Colũbanus n. & Gallus XXV. annis ante Gregorii pontificatũ ex Hybernia in Galliã traiecerunt. Gregorius igitur monachismo iam recepto fauens, Anglis & Hybernis affuit, missis, qui institutum monachismũ iuuarent & fouerent. ita enim Lãbertus tradit; *Gregor. Papa August. n. Archiepiscopũ cum monachis in Britanniam misit, vt genti Anglorum verbum Dei euangelizarent Dominicæ incarnationis ann.* DXCVI. Idem quoq; tradit Sigebertus monachus.

Et veteri etiam in Germania plusculi consederint.] Quale est Scotorum mona- *Ibid.17.*
sterium Herbipoli ad Mœnũ, quod abhinc aliquot annis cultoribꝰ priuatũ, Monachis p Iuliũ Episcopũ ex Italia euocatis recoli non ita pridẽ occœpit.

Anachoretarum.] Anachoretæ tẽpore priores fuerũt Cœnobitis. Cœperũt *Ibid.18.*
n. tẽpore persecutionũ Decii & Valeriani annis plus minus CCL. à Christi natiuitate, vt Hieron. author in vita Pauli Herem. to. 1. Hinc est quod Isidorus Epis. lib. 7. Etym. inqt; *Anachoretæ Heliã & Ioannẽ, Cœnobitæ Apostolos imitãtur.*

Neque enim adeo vel addicti erant certo loco.] Tales quoque monachi fuere D. *Ibid.19.*
Hieronymus, Simplicianus, Augustinus, &c.

Vt non magna ex parte Ecclesiis interesse, &c.] Vide Hieronymum in vita Hila- *Ibid.20.*
rionis, & in Institut. Monachi ad Rufinum, item ad Paulinum, & de Custodia virginit. ad Eustochium, & Vitas patrum passim.

Certo fixũ in loco hærere.] Adeo vt Anshelmus lib. 2. de similitudinibus non *Ibid.21.*
veritus sit scribere; *In somnis* (nempe ergo, in somnis, inquit ille Plautinus senex) *se vidisse Angelum Dei describentem sibi quis esset verus monachus: nempe qui locum suæ habitationis perpetuum eligat, in quo perpetuo habitare disponat.*

Sarabaitæ.] Vide 6. quæst. 1. c. *quidam monachi*, & c. *qui vero.* *Ibid.22.*

Quod inflati vagarentur.] Inde Gyrouagi dicti, Anseg. lib. 4. c. 45. Sed de his *Ibid.23.*
& aliis Monachis plura legere potes apud Anton. histor. part. 3. tit. 16. §. 4.

Quàm vt a turbæ strepitu & sæculi curis semoti carnem frænare, &c.] Sic Plato in *Ibid.24.*
Timæo scribit, Sacerdotes apud Athenienses à populo separatim cõuixisse, ne aliqua profana cõtagione eorũ castitas seu vita pollueretur. Et Hier. contra Iouinianum; *Stoicus vir eloquentissimus de vita antiquorum sacerdotum loquens ait, quod omnibus postpositis negotiis semper in templo fuerunt, & rerum naturas atque causas siderumq; motus studiosissimè contemplabantur, & nunquam se mulierib. miscuerunt; nunquam cognatos, propinquos, vel liberos viderunt ab eo tẽpore, quo diuino cultui seruire cœperunt: a carne & vino semper abstinuerunt propter tenuitatem sensus & verginem capitis & libidinis refrænationem: pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum: cubile de foliis palmarum habebant, & otio nunquam torpebant*, &c. quæ vide apud eundem, & Iacobum Magni Sopholog. lib. 7. c. 1. & adde epist. Basilii ad Gregorium Nazianzen. de vita solitaria.

Mores componere, abstinentiaq; sese exercere.] *Sancto Monasteriorum vsu patientia* *Ibid.25.*
coaluit, & durioris obseruationis consuetudo laborum tolerantiam hausit, sicut de Eusebio Episcopo scripsit Ambrosius lib. epist 10.

Nemo tantum suo consilio tribuebat, vt negaret rescindi posse, &c.] Vide Erasmũ *Ibid.26.*
in vita Hieron. Huc faciũt quę scribit Epiphan. Cypri Episcopus eõtra Montanistas. hæres. 48. lib. 2. tom. 1. *Nos vero non necessitatem imponimus; verum cum bono consilio admonemus exhortantes eum qui potest: non autem necessitatem imponimus non potenti, neq; reiicimus ipsum a vita. Sanctum enim omnibus prædicauit, vt debilium infirmitatem portemus, velut etiam ipse S. Apostolus dicere comperitur, & tales redarguere, qui non sunt eiusdem doni; Iuniores, inquit, viduas reiice.*

Ibid.27. *Quin & euocati sunt sæpe e monasteriis*, &c.] Possidonius in vita Augustini c. 11. *Proficiente vero doctrina diuina sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensi clarici ordinari cæperunt. Ac deinde inoteſcente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ pradicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito, continentia & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse & creſcere cæperat, magno desiderio poscere atque accipere. Episcopos & clericos pax Ecclesiæ atque vnitas & cepit primo, & postea consecuta est. Nam firme decem, quos ipse noui sanctos & venerabiles viros, continentes ac doctissimos, B. Augustinus diuersis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Simul literæ & ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes Domini Ecclesiis propagatis & monasteria instituerunt, & studio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterũt.* Hæc ille. Iustinianus Imperator prohibuit Episcopum ordinari, qui non XV. annos in monasterio monastica conuersatione impleſſet, Nouell. 123. c. 1. Et Iacobus Magni Sopholog. lib. 7. c. 3 scribit, *concludere Hugonem, quod canones rationabiliter diffiniant, nullum esse in Episcopum eligendum, nisi prius in sacris ordinibus fuerit religiose conuersatus.* Augustinum fuisse monachum testatur ipse epist. 89. ad Hilar. in fin. 4. quæst. & contra liter. Petilian. lib. 3. c. 4. & Ambrosius part. 3. serm. 94. & Possidon. in vita Augustini c. 5. Ex monacho Presbyterum, ex Presbytero Episcopum se factum esse, & qua ratione scribit ipse vbertim *De communi vita & moribus Clericorum*, tract. 1.

Ibid.28. *Ac velut in ludo ad certamen instituti.*] Hieronymus *ludũ* vocat *monasteriorum*: quia ex illis tanquã ludo prodibant viri exercitati & pietate & disciplina, qui magno cum fructu Ecclesiis adhibebantur. Hinc à Basilio monachos ἀσκητὰς, hoc est exercitatores dictos fuisse Gregor. Nazianz. in orat. funebri in laudes Basilii habita docet. Vnde & ἀσκητήριον, id est exercitatorium, Basilium scripsisse Hieronymus tradit, cuius fragmenta quædam Volaterranus transtulit, certæ vitæ modum proponens, ad quam se monachi componerent & exercerent.

Ibid.29. *Labore illo manuum.*] Alimonia monachis ex labore manuum, vide Augustinum in expositione psalmi 99.

Ibid.30. *Vota autem quæ monastica dixere.*] Causa adiuuans fiduciæ operum vota monastica.

Ibid.31. *Nec mandata sed hominum præscripto instituta.*] *Frustra me colunt docentes doctrinas hominum.* Matth. 15.

Ibid.32. *Ditiores catalogo inscripti fratrum in numero haberentur.*] Veteres Christianos mutuò se Fratres appellasse vel ex scriptura constat. Sed postremis temporibus ij tantum Fratres appellati à monachis, qui aliquid victus & amictui eorum suppeditarunt. Aliter quàm ab Augustino in Psal. 99. vbi de monachis ait; *Laborant manibus suis, inde se transigunt, non auare aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis Fratribus, cum sufficientia, & cum caritate vtuntur.* Fratres vocat homines Christianos quosuis, non eos tantum, qui præbendis monasteriorum suo sibi peculio coëmptis gaudeant, vt hodie.

Ibid.33. *Gregorii.*] Vide Gregorium in homilia 5. in Ezech. in fine.

Ibid.34. *Augustinus.*] Lib. 10. cap. 22. de ciuitate Dei.

Ibid.35. *Bernardus.*] In sermone de Annuntiatione.

Ibid.36. *Sed gratis daretur sitientibus aquam illam viuam.*] Esa. 55. Ioan. 4 Hieron. in Esai. d. c. 55. quem vide.

Ibid.37. *Nec dedit errores.*] NB. Carolus Magnus non dedit errores Ecclesiæ, sed temporum vitio recepit.

AD

AD LIBRVM PRIMVM.

PAG. I. NVM. I.

Synodi Magonciacenſis.] Synodus Magonciacenſis celebrata eſt anno Domini DCCCIII. ſub Carolo Magno.

Magno Franci & Alemanni nobilitatem, &c.] Tacitus in libello de Moribus Germanorum, Adamus Bremenſis hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 5. Witichindus Monach. l. 1. Leges Francorum, Alamannorum, Francorum, & alii ſcriptores. *Ibid. 2.*

Nulli tum erant Epiſcopi ſuffraganei.] De Epiſcoporum aũt deriuatione & origine vt aliquid dicamus, ſciendum eſt, quod *Epiſcopus* dicitur quaſi inſpector & ſpeculator. Hoc enim ſenſu Cicero ſcripſit ſe epiſcopum deſignatum à Pompeio, vt oram Campaniæ maritimam ſpecularetur. Ab Arcadio autem Iureconſulto, qui pani cæterisq; rebus venalibus inſpiciendis præſunt, Epiſcopi vocãtur, l. vlt. *ff. de munerib. & honorib.* Inde vocabulum illud ab Eccleſię Doctoribus propter ſingularem emphaſim paſtoribus etiam Chriſtiani gregis attributum eſt, quod ouium curæ ſuæ commiſſarum doctrinæ, vitæ & morum inſpectores eſſent conſtituti. Ab inſpectione igitur, vigilantia, cura, labore, fide docendi, quã Eccleſiis debent, dicuntur Epiſcopi. Vnde poſtea & Latinæ Eccleſiæ, ſicut & Preſbyteri & Parochi, Diaconi, & alia nomina cõmuni loquendi vſu retinuerunt. Iidem aũt fuerunt Epiſcopi, Preſbyteri, & Parochi, iiſdemq; nominibus promiſcuè vocantur tam in literis ſacris, vt ad Philip. 1. ad Timoth. 1. 4. 2. ad Tim. 1. Act. 20. quàm à Patrib. antiquis, vt Hieron. in epiſt. ad Oceanum, & in epiſt. ad Tit. c. *legimus*, diſt. 93. ſed & à Chronographr. Francicis & veteribus fundationum chartis, ſæpe Epiſcopus pro Parocho, & è contrà: & Parochia pro diœceſi ponitur. Quod ideo factum videtur, quod omnes olim paris gradus & æqualis authoritatis eſſent, & *vno* (vt Ambroſius inquit ad Epheſ. 4.) *recedente ſequens ei in ordine ſuccederet.* Verũ quia cõmunis illa Preſbyterorum adminiſtratio per vices viſa eſt incõmoda, & *ſequentes Presbyteri cæperunt inueniri indigni ad tenendos per vices primatus*, ait idem Ambroſ. ideo ne indigni temerè vſurparent, & eſſet multis ſcandalum, tum etiam vt diſſenſionum materia & ſchiſmatum ſemina tollerentur, & vt Hieronymus inquit, *Ne vnuſquiſq. ad ſe trahẽs Chriſti Eccleſiam rumperet*, factum eſt, vt vnus ex Preſbyterorum ordine in ſingulis ciuitatibus ordine cæteris præficeretur, ita vt cum eorum cõſilio omnia gereret & adminiſtraret. Hinc nomen Epiſcopi, quod ante omnibus erat cõmune, attributum eſt vni, quo facilius inſigni aliqua propriaq; appellatione à cæteris diſcerni poſſet. Proinde ex eo tẽpore reliqui Preſbyteri nunquam Epiſcopi ſunt appellati; quãuis Epiſcopi Preſbyterorũ nomen nõ reſpuerint, vt legendum eſt apud Euſeb. lib. 5. c. 33. hiſt. Eccleſ. & Tripart. lib. 4. c. 24. Multiplicatis autem per omnes prouincias Eccleſiis, cum neq; ad cõmunia capienda cõſilia, quibus ſemper opus fuit, conuenire, neq; cõmuni per omnia conſenſu regi poſſe viderentur, confuſionis vitandæ cauſa certa quædam ratio & forma cogendorũ cœtuum, quas *Synodos* vocãt, inſtituta eſt, &, vt coniicio, ſub Cõſtantino Magno, diuiſis per ſpatia certa regionibus, ita vt vnuſquiſq; Epiſcopus ſua regione contentus, ab alterius adminiſtratione & cura abſtineret. Quî enim facilius vel vtilius conuenirent, quàm quos ipſa vicinitas, eadem lingua, iidẽ maxima ex parte mores, & mutua in rebus ciuilibus cõmercia, copulant? Hinc dubio procul poſt ordinem inter eiuſdem oppidi & vicini territorii Preſbyteros poſitum, illa epiſcopatuũ in diœceſes & metropoles diſtributio cœpit à Conſtantino Magno reddita Eccleſiis pace. Quæ tamen, vt voces ipſæ arguunt, à Græcis Eccleſiis originem habuiſſe videtur, non quidẽ, quod ſciam, ab

Ibid. 3.

l. 2. l. 31. l. 34. l. vltim. C. de ſacroſ. Eccl. l. 5. auth. ſed neque, eod. Nouell. 54.

Euſeb. lib. 5. c. 24.

c. 13. q. 1. diſt. 80. c. epiſcopi.

ab aliquo coeuntium Patrum Cõcilio aut decreto profecta sit, sed quod natura suadente & necessitate flagitante ad exemplar Reipubl. Romanæ efformata est. Hoc enim vult illud Hieronymi epistola ad Titum; *Nouerint Episcopi consuetudine se magis quàm Dominicæ dispositionis veritate Presbyteris esse maiores*, &c. Stante enim Republica Romana, erant prouinciæ in diœceses, quasi gubernationes dicas, id est certa spacia, distributæ, in quarum præcipuis vrbibus Præsides conuentus suos agebant, cuius nouem Plinius in Asia numerat hist. natur. lib. 5. c. 29. & seq. quarum septem in Apocalypsi recensentur. Metropoles autem dictæ sunt ciuitates, ex quibus deductæ fuissent aliquando Ecclesiæ: quæ appellatio postea penes celeberrimas & frequentissimas ciuitates mansit, quasi materna quadam authoritate eminentes. In oppido igitur cuiusq; diœceseos præcipuè primus Presbyter, qui & πρωτόκαθεδρος Episcopus vocabatur, in cõmuni quotidiana iurisdictione, cæteris tum vrbanis, tum aliis eius regionis Compresbyteris, id est toti diœcesi præerat: non quidẽ gradu aut imperio vel dominationis authoritate, sicut Bernardus ad Eugenium inquit lib. 2. *Nomen Episcopi non sonat dominium, sed seruitutem*: verum ordine & primi in sacro consessu loci dignitate, scribente Augustino epist. 19. *Secundũ honoris vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus maior est presbyterio*: in singulos quidem inspectionẽ hactenus habens, vt eos & officii admoneret, & de rebus ad diœcesin vel morum censurã spectantibus ad Compresbyteros suos (quorũ cœtum, *Senatum Ecclesiæ* Hieronymus vocauit, c. Ecclesia, 16. q. 1.) referret, sententias rogaret, & quod visum decretumq; esset, pronuntiaret, à quo iudicio ad synodũ prouincialem prouocare licebat, c. 6. q. 3. & 4. Quoniam aũt regio interdum latius patebat, quàm vt cõmodè in vrbem quauis occasione venire possent, Episcopi, vt verisimile est, otio & quieti consulentes, vicis & pagis, qui non minus quàm vrbes cõmuni inspectione egebant, vicarios quosdam Episcopos ordinare soliti sunt, qui *Chorepiscopi* nominabãtur, quasi χωρεπίσκοποι, id est rustici, regionarii, siue vicarii Episcopi: qui non in ciuitate, sed ruri per vicos & pagos munus gerebant. Horum primam mentionẽ factam inuenio in Cõcilio Ancyrano can. 12. item Neocæsariensi can. 13. & Antiocheno can. 8. & 10. Et quia insolenter sese cum Episcopis gerent, nec vlla satis bona ratio eorum institutionis appareret, eorum munus sublatum & antiquatum est: in quorum tamen locũ successisse vel surrogatos fuisse mihi videntur *Archipresbyteri vicani*, de quibus in c. vlt. de officio Archipresbyt. *Metropoleos* autem *Episcopus* inspectionem & ἐπισκοπὴν in ciusdẽ prouinciæ Coepiscopos habuit, ad quos eodẽ, quo diœceseos Episcopus in suos Cõpresbyteros, ordine, bis aut minimũ semel in anno cõgregatos de omnibus totius prouinciæ negotiis, & eorum qui ad synodum prouincialem prouocarunt cõtrouersiis referebat, & sententias rogabat, vt quod maiori parti visum esset, decerneret. Quod si pares fuerunt Episcoporum sententiæ, tum alios aliquot ex propinqua prouincia euocabat, qui ambiguitatem cum prouinciæ Episcopis tollentes, quod alteri parti visum esset, confirmarent. In qua synodo Episcopus, qui alicui eius prouinciæ loco præesset, & ipse vt Metropolitanus creabatur, nec ab ea sententia cuiquam ab omnibus prouinciæ Episcopis damnato prouocare licebat, cauẽte id Concilii Antiocheni canone XV. Et hæc quidem fuit Ecclesiarum Christianarum per diœceses & prouincias distributio, non temere profecto, sed prudenter & cõmodè à nõnullis inchoata, & deinceps multorũ cõuentuũ sacrorum decretis in vniuerso terrarũ orbe cõfirmata, vt Concil. Nicen. can. 6. anno Dom. CCCXXV. & Conc. Constantinopol. can. 2. an. Dom. CCCLXXXI. iuncta l. 3. C. Theod. de fide Catholic. Nulla autem alia Patrum mens fuit, cum hanc πρωτοκαθεδρίαν

Vide epistol. Damasi & Leonis I. 86. & dist. 68. c. quamuis, & seq. Can. Apost. 33. Concil. Antioch. can. 9. 10 annis, 18. dist. cap sicut olim, de accus. &c. habebatur, &c. seq. c. propter, 18. dist. Nouell. 123. de sanctiss. Episcop.

in

in diœceſes, & has rurſus in Prouincias ſub vno quopiam cæteris præeunte diſtribuerent, quàm vt Eccleſię non cuiuſquam arbitrio, ſed cõmuni gubernatorum diuinitus conſtitutorum, & in nomine Domini ritè & ordine congregatorum ſententia & conſenſu, ſicut inter pares regerentur, Diœceſano videlicet primo Preſbytero in trimeſtribus illis conuentibus, quorũ veſtigia quædam adhuc extant, ſic ſuis Compreſbyteris præeunte, & primo Prouinciali Epiſcopo in ſemeſtribus prouincialibus ſynodis ita omnia inter Epiſcopos moderante, vt quemadmodum veteribus canonibus diſertè præcipitur, nec à primo Preſbytero abſque ſuorum Compreſbyterorum, nec à primo Epiſcopo abſque ſuorum Coepiſcoporum ſententia & conſenſu, nec viciſſim quidquam ab iſtis abſque ſuo duce & moderatore gereretur: quin ordinem & in generalioribus atq; adeo œcumenicis ſynodis obſeruatũ eſſe ex earum hiſtoriis liquet, Rufino lib. 10. hiſtor. & Socrate Eccleſiaſt. hiſt. lib. 3. Vſque adeo autem humano hoc inſtituto quamuis pio & nunquã ſatis laudato, neque Sathanæ ad irrependum in ipſa Eccleſiæ viſcera aditus ſatis fuit occluſus, neq; coerceri ambitio & auaritia, peſtes illæ religionis deterrimæ, potuerunt, quin hominum vitio, non patrum culpa, ſucceſſu temporis pulcherrimus hic ordo in oligarchiam quandam & demum in horrendam illam Antichriſtianam tyrannidem Oecumenicam transformatus ſit. Cum enim πρωτεία illa, quæ ordinis & muneris ab initio fuit, poſtea ſublata electionis libertate, quæ loco ſucceſſionis per vices conſtituta fuerat, & certæ ciuitatis ſedi addicta & perpetua conſtituta, gradus ſuperioritatis & imperii, dominationis & poteſtatis præeminentia facta eſt, ſpiritus ambitionis & auaritiæ facile irrupit, & quod vnum ſynodorum remedium habebat ab Apoſtolis aduerſus omnes hæreſes & ἀπταξίαν Eccleſia, malum omnium peſſimum euaſit, & primò quidem in gradum ſuperiorem, mox ab hoc gradu in horribilem illam tyrannidem conſcendit. Epiſcopi enim Diœceſani hac πρωτείας innouatione & obtentu omnia ſenſim ad ſe pertrahere ſtudebãt, nec ſolum Preſbyteros κυβερνήτας, quos Laicos appellare cœperunt, quaſi ad Eccleſiaſticam εὐταξίαν nihil pertinentes, expulerunt, ſed etiam aliis Compreſbyteris ſuis iam non præeuntes in cõmunibus deliberationibus, ſed arbitrio ſuo dominãtes, alios quidem ad ſuas parochias relegatos ab epiſcopali conſilio excluſerunt, alios vero quot & quoties libuit, aſſumere cœperunt, non quibus cum propriè de rebus Eccleſiæ deliberarent, ſed quorum opera vicaria vterentur. Vnde tandem pro Chriſtiano illo preſbyterio Officiales, neſcio quos & Curiam à mundanorum Principum foris nihil differentem habere occœpit. Prouinciales autem illi Epiſcopi, abiectis modeſtiſſimis titulis Apoſtolicis, quibus etiam nec aliis in vetuſtis illis & purioribus canonibus *primi Presbiteri, primi Episcopi*, item πρόεδροι, πρῶτοι καθέδραι, appellati ſunt, & aſſumptis magnificis illis & faſtuoſis *Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum*, non minus ambitioſe ſe geſſerunt, aliis aliorum fines quamuis variarum ſynodorum canonibus deſcriptos inuadentibus. Notum eſt enim ex illorum temporum hiſtoria, adeo inter ſe tumultuatos eſſe, quum ſynodus Nicæna cogeretur de gubernationis ſuæ finibus, vt nullum finem cõcertationes illæ habituræ fuiſſent, niſi libellos accuſatorios ab Epiſcopis ſibi propoſitos, congeſtos in ignem Conſtantinus Imp. abieciſſet, Euſeb. de vita Conſtant. lib. 3. c. 13. Ruffin. hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 16. Sozomen. hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 16. c. vlt. diſt. 22. Quãuis nec tum quidẽ deſierint. Conſtantinopolitanus enim, cuius ſedes nullũ nomen acceperat, teſte Gelaſio Primo, nedum vt inter Metropolitanos cenſeretur, non deſtitit, donec in Concilio Cõſtantinopolitano primo ſecundum ab Epiſcopo Romano locũ & honorẽ primatus

Ex canon. 9. Concil. Antiocheni.

Can. vlt. ſynodi Epheſ. anno Dom. cccxxxi.

tus inter Metropolitanos obtineret. Qua de re est canon 3. eius Concilii & in synodo II. Constantinop. can. 36. & Nouel. 131. & l. 16. C. de sacros. Eccles. vbi ab Imperatore Zenone idem confirmatur, & in l. 24 C. eod. ab Iustiniano Imperatore vocatur *caput reliquarum Ecclesiarum*. Videtur autem eadem nisus ratione, qua Romanus Episcopus dominari iam cœperat, nempe, quod Constantinopolis Regia esset ciuitas, & Noua Roma. Quod cum Gelasius ille in epist. Dardaniæ Episcopis inscripta merito irrideret; *Alia*, inquiens, *est regni secularis potestas, alia dignitatum Ecclesiasticarum distributio*: tamen adeo non profecit, quin nihilo minus in Chalcedonensi illa Oecumenica Synodo, alioqui quod ad doctrinam venerabili & orthodoxa Constantinopolitano non tantum primatus ille secundus, licet repugnãtibus Episcopi Romani Legatis confirmatus, verum etiam contra Constantinopolitanæ synodi canonem 2. ditio longè lateque ampliata fuerit. Verùm ne tum quidem, quæ ambitionis rabies est, modum vllum tenuere: sed aliquanto post tempore, in sexta Constantinopolitana Synodo in Trullo habita, Quartumuiratus ille, quo Romanus Occidentem, Constantinopolitanus cum vicina regione Orientem, Alexandrinus Africam, Hierosolymitanus autem dicis caussa quartum locum nactus est, Antiocheno, cuius antea nobilissimæ Ecclesiæ sedes tertia inter Metropolitanos numerabatur, cæterisque deinceps Metropolitanis sub Quartumuirorum illorum iugum redactis, ad instar Triumuiratus Romani inuectus est: quæ non magis Rempublicam Romanam, quàm hic ille Ecclesiam Christianam pessumdedit, & perdidit. Quemadmodum enim Triumuiratus aditum Augusto ad imperii monarchiam patefecit; pari ratione Quartumuiratus ille dominationi monarchicæ in Ecclesia ianuam aperuit. Cum enim Alexãdrinus & Hierosolymitanus, qui nõ tanta, quanta reliqui duo ob sedem imperii & honorem, dignitate præeminerent, sed intra suæ se sedis limites continerent: Romanus nec parem magis, quàm Pompeius, nec Constantinopolitanus maiorem magis, quàm Cæsar, ferre potuit, & quasi (vt Alexander Dario respondit) *sicut mundus à duobus Solibus, sic Ecclesia duobus Patriarchis regi nequiret*, inter Duumuiros illos, spectantibus reliquis duobus, infinita de primatu orta sunt certamina. Et Gregorius quidem Romanus aduersus Ioannem Constantinopolitanum, qui se Oecumenicum, id est, vniuersalem vocari volebat, recte & probè scripsit; *Antichristi præcursori hanc appellationem conuenire*: sed imprudenter, & nihil tale cogitans contra suam ipsius sedem Propheta exstitit. Bonifacius enim eius nominis Tertius, secundus à Gregorio, tantum abfuit, vt prædecessoris sui sententiam probaret, vt è contrario à parricida illo Phoca *Capitis Eccl. sia Christianæ*, vt scribit Paulus Diaconus, verè Antichristianum nomen postularit & impetrarit. Quod haud alio fonte, quàm à πρωτοθρονίᾳ illa certæ sedi, electionis libertate sublata, perpetuò addicta, ceu diximus, emanauit. Cum enim dominatio hinc quædam Episcopalis Diœcesana supra Compresbyteros, Metropolitana supra Prouinciales Episcopos, Patriarchalis quadruplex supra Metropolitanos Coarchiepiscopos, inuecta atque constituta erat: eadem certè parique ratione Monarchicum demum supra Compatriarchas imperium, siue Catholicum supra Catholicam Ecclesiam vniuersam dominium erectum fuit, nec ante quieuit ambitio, quàm gradatim ad fastigium summũ horribilem suam tyrannidem perduxerit. Inde factum, vt Sathana interim dum his de rebus isti rixantur, doctrinam ipsam miris modis deprauante, in ipsam quoque fidem dominationem vsurparit. Id quod iam Bernardus etiam quæstus fuit, cum manifestò scripsit ad Pontificem epistola 230. *Et olim quidem erat con-*

Can. 28. Anno Dom. DLV.

c. antiqua, de priuileg. vide dist. 22. per totam.

De Antiochena vide Chrysost. homil. 3. & 16.

Grego. lib. 6. epist. 188. & 194. lib. 7. epistol. 74. 79. & 8. & ad Eulog' Alex. Episc. in epistol. part. 7. ep. 30. & c. ec. ce. distin. 99. & c. legimus, dist. 93.

Anno Dom. DXLIIII.

Anno Dom. DCIIII.

Lib. 3. de gest. Rom. c. 18.

tra Apostolum Petrum dominantes in Clerum, imo & contra Coapostolum eius Paulum dominabimini fidei totius orbis. At nunc nouum aliquid addidistis vsurpantes amplius & in ipsam religionem: quid restat, nisi vt adiiciatis & ipsis Angelis sanctis dominari? Quin immo nec ista in miseras conscientias tyrannide contentus, ipsa denique Cæsarum & Regum sceptra sibi, honorandi sacri ministerii obtentu subiecerit. Quam calamitatem à Ioanne in Apocalypsi, & Sancto Paulo epistol. 2. ad Thessal. apertissimè prædictam maturè etiam præuidit Gregorius Nazianzen. optimo iure omnem illam περιφρόνειαν penitus sublatam esse exoptans, qui de ea in oratione post suum in Vrbem reditum in hæc verba differit: *Propter hanc*, inquit, *res omnes nostræ iactantur & concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ versantur in suspicione, & bello, eoque surdo, & ne nomen quidem habente: propter hanc periculum est, ne ab hominibus esse censeamur, qui a Deo sumus; & ne magnum illud & nouum (nempe Episcopi) nomen amittamus. Quod vtinam neque esset præsidentia, neque loci prælatio, neque violenta præeminentia, vt ex sola virtute agnosceremur. Nunc enim dextrum hoc latus, & sinistrum, & medium, & sublimior & inferior sedes, & illa præeundi, vel eodem gradu incedendi consuetudo, multas nobis clades nequicquam intulerunt, & multos in foueam impulerunt, atque ad hircorum locum abduxerunt, non ex inferioribus: sed iam etiam ex pastoribus, qui quum essent magistri Israelis hæc ignorarunt.* Hactenus Gregorius, cui non solum fastuosa illa nomina, sed res quoque ipsæ, non minus quàm aliis quoque Patribus, adeo displicuerunt, vt ne *Exarchi* quidem appellationem, longè tamen modestissimam & sacrarum communionum deliberationum inceptori conuenientissimam, ferre potuerint, sed in celeberrima illa Carthaginensi Synodo expressis verbis expunxerunt, & generaliter eiusmodi voces omnes damnarunt, atque adeo certam Metropolitanis illis appellationem, ne *primi* quidem *Episcopi*, sed duntaxat *primæ sedis Episcopi* assignarint, cauentes ne fumosus ille fastus mundi in Ecclesiam introduceretur, quæ lucem simplicitatis & dimissionis animi iis præfert, à quibus conspectus ille diei Domini expetitur, sicut ipsi Patres in epistola ad Cœlestinum Vrbis Romæ Episcopum missa scripsere. Nec prætereundum, quod ante Concilium Chalcedonense, quod incidit in annum Christi circiter CCCCLV. nulla, quod ego deprehenderim, subscriptio Synodica comperiatur, in qua Archiepiscopus inscribatur. Sed concedamus Patribus nihil malè suspicantibus pro primis Episcopis Archiepiscopos & Patriarchas iam olim vocatos fuisse, (fuerunt enim initio iidem Metropolitani, Archiepiscopi, & Patriarchæ dicti) tamen certum est, primitiuæ Ecclesiæ ignota hæc nomina fuisse: nec dubitamus, cum postea vsurpari cœperunt, quin iam tum sit molitus Sathan iacere tyrannidis illius fundamenta. Apud Francos quidem & Germanos, vt est apud Ansegisum libro 1. cap. 8. neque Metropolitanus sine Coepiscoporum suorum consilio, neque Episcopi rursus sine Metropolitani scientia in parochiis quidquam innouare poterant. Vnde Episcopi, qui ad Metropolitanum respiciebant, *Suffraganei* etiam dicebantur, quasi Metropolitanorum auxiliarii, quod auxilio & suffragio Metropolitanis assisterent, vel absentium vices gererent. Qua significatione vsurpatur etiam à Radeuico libro 2. de gestis Frider. cap. 74. Parique ratione Chorepiscopi Episcoporum suorum suffraganei quodammodo erant. Longè tamen alii vtrique à μυσταγώγοις siue *Initiatoribus* illis & *Cæremoniariis*, quos multo post tempore institutos Suffraganeos etiam & Vicarios vocarunt. Operæpretium autem, nec minus Lectori rem gratam facturum nos putauimus, si Metropolitanorum Francorum, &

Concil. Carthagin III. can. 26. c. 42. vnde c. prima sedis, distinct. 99. & seqq. c. multi, c. quicunque, dist. in. 4. ex Chrysost.

Germanorum, quales & quot quisque sub se Episcopos, vel Metropoleon, quales sub se illo tempore ciuitates habuere, distributionem ex vetustissimo quodam Codice, qui anno Regni Caroli Magni XLII. Imperii autem IX. scriptus est, desumptam hic subiiceremus, quæ ad hunc modum habet.

BREVIS ANNOTATIO DE CIVITATIBVS ET METROPOLEIS, VEL QVALES sub se habent ciuitates.

Prima Prouincia Lugdunensis habet ciuitates numero V.
Metropolis ciuitas Lugdunum.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
Ciuitas Capillonensis.
Castrum Matisconense.
Secunda Prouincia Lugdunensis *habet ciuitates numero* VII.
Metropolis ciuitas Rotomagus.
Ciuitas Baiocassiani.
Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Saiorum.
Ciuitas Lixouiorum.
Ciuitas Constantia.
Tertia Prouincia Lugdunensis habet ciuitates numero VIIII.
Metropolis ciuitas Turones.
Ciuitas Cenomania.
Ciuitas Redonis.
Ciuitas Andegauis.
Ciuitas Namnetis.
Ciuitas Corisopitus.
Ciuitas Venetus.
Ciuitas Osismus.
Ciuitas Dioblentus.
Quarta Prouincia Lugdunensis *habet ciuitates numero* VIII.
Metropolis ciuitas Senones.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Ottisiodoro.
Ciuitas Autricus.
Ciuitas Tricasium.
Ciuitas Aurelianis.
Ciuitas Parisius.
Ciuitas Melnis.
Prima Prouincia Belgica habet ciuitates numero IIII.
Metropolis ciuitas *Treueris.*
Ciuitas Mediomartis, *id est* Metis:
Ciuitas Lecorum, id est Tullo.
Ciuitas Viriduno.
Secunda Prouincia Belgica *habet ciuitates numero* XII.
Metropolis ciuitas Remis.
Ciuitas Sessionis.
Ciuitas Catalonis.

Ciuitas

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [154] - 122

Ciuitas Veremundis, id est Noviomagus.
Ciuitas Atrauitum.
Ciuitas Camaracus.
Ciuitas Turnacus.
Ciuitas Siluanectis.
Ciuitas Beluzaco.
Ciuitas Ambianis.
Ciuitas Morinus, id est Ternacus.
Ciuitas Bononia.
Prima Prouincia Germania habet ciuitates numero II. Metropolis ciuitas Agrippina, id est Colonia.
Ciuitas Tungris.
Secunda Prouincia habet ciuitates numero VIII.
Metropolis ciuitas Mogontiacus.
Ciuitas Argenteratensis, id est Stratburg.
Ciuitas Nemetis, id est Spira.
Ciuitas Wangionum, id est, Wormatia.
Ciuitas Wirtzburgensis.
Ciuitas Constantia.
Castrum Rubilocus, quod Eichsteti dicitur.
Ciuitas Augusta Vindelicum, id est Auuerpureh.
Prouincia Batauiorum, id est Noricus Ripensis super Danubium, sine Noricus Mediterranea habet ciuitates numero VI.
Metropolis ciuitas Iunauo, id est Salzburg.
Ciuitas Regino.
Ciuitas Patauia.
Ciuitas Frigistensis.
Ciuitas Noua.
Ciuitas Sabionensis.
Prouincia Sequanorum habet ciuitates numero VII.
Metropolis ciuitas Vesontio.
Ciuitas Equestris, id est Aucticus.
Ciuitas Basiltensis.
Ciuitas Vindonensis.
Ciuitas Argentarensis.
Ciuitas Ebritunensis.
Ciuitas Rauracensis.
Prouincia Alpium Penninitarum habet ciuitates numero II.
Metropolis ciuitas Centronium, id est Darantasia.
Ciuitas Valensis.
Prouincia Meninsis habet ciuitates numero X.
Metropolis ciuitas Vienna.
Ciuitas Gennauensis.
Ciuitas Gratianopolis.
Ciuitas Albensis, nunc Viuario dicitur.
Ciuitas Detensis.
Ciuitas Valentina.
Ciuitas Trecastina.
Ciuitas Vasensis.
Ciuitas Aurausicus.
Ciuitas Carpentoratensis, qua nunc Vitasca dicitur.

Item Prouincia Meninſis habet ciuitates numero IIII.
Metropolis ciuitas Aralas.
Ciuitas Maſſilia.
Ciuitas Auernicus.
Ciuitas Cabellicus.
Prima Prouincia Aquitanica habet ciuitates numero VIII.
Metropolis ciuitas Bituricas.
Ciuitas Aruernus.
Ciuitas Rotenſis.
Ciuitas Albienſis.
Ciuitas Catuſca.
Ciuitas Limodium.
Ciuitas Cabalum.
Ciuitas Vellaborum.
Secunda Prouincia Aquitanica habet ciuitates numero VI.
Metropolis ciuitas Burdegala.
Ciuitas Agemnenſis.
Ciuitas Aequolinſis.
Ciuitas Santonis.
Ciuitas Pictauis.
Ciuitas Petrocorio.
Prouincia Noua Popularia habet ciuitates numero XII.
Metropolis ciuitas Eloſacis, id eſt Auſtius.
Ciuitas Aquinſis.
Ciuitas Latcoruntis.
Ciuitas Conſorumnis.
Ciuitas Boatius.
Ciuitas Berunenſis.
Ciuitas Aturinſis.
Ciuitas Vaſatecas.
Ciuitas Turbandis.
Ciuitas Elorona.
Ciuitas Eloratis.
Prima Prouincia Narbonenſis habet ciuitates numero VIII.
Metropolis ciuitas Narbonas.
Ciuitas Toloſatis.
Ciuitas Agatenſis.
Ciuitas Megalonenſis.
Ciuitas Biterenſis.
Ciuitas Nemonenſis.
Ciuitas Lutunenſis.
Ciuitas Vtienſe.
Secunda Prouincia Narbonenſis habet ciuitates numero VII.
Metropolis ciuitas Aquenſis.
Ciuitas Aptenſis.
Ciuitas Regenſis.
Ciuitas Foriuli.
Ciuitas Vapcenſis.
Ciuitas Segeſtino.
Ciuitas Antipolitana.

Prouincia Alpium maritimarum habet ciuitates numero VIII.
Metropolis ciuitas Ebrodunum.
Ciuitas Viennensis.
Ciuitas Rigomunensis.
Ciuitas Solmensis.
Ciuitas Sunitinensis.
Ciuitas Clunatecas.
Ciuitas Celmenensis.
Ciuitas Vinsintensis.

Hanc Diœceseon & Metropoleon distributionem, quæ sub Carolo Magno fuit, à posterioribus Imperatoribus Episcopatuum translatione & nouorum institutione sæpe immutatam esse minime dubium est.

Canonici autem dicti.] *Canonici* à regula dicti: hinc *canonice viuere*, cap. quoniam, 12. quæst 1. Ansegis. lib. 1. cap. 69. in fine. Quidam à lectione librorum Canonicorum *Canonicos* dictos putant, sicut & *Canonicas horas*, Bullingerus homil. 54. Quod iure atque merito irrisit Goldastus ille noster, cum anno Domini MDXCIX. à me quæsitus ita super hac voce litteris responderet; *Ego video veteres in omni vita & scientiarum genere tradendo certas regulas & compendiosas institutiones plurimum adfectasse. Inde* Vegetius *lib. 3. cap. 26. recenset regulas aliquas generales bellorum. Idem* Medicis præstitit *in Aphorismis* Hippocrates. *Eodem fine Anianus ex* Pauli *sententiis quasdam* Gotthis *suis selegit, quæ hodie* Receptæ Pauli sententiæ *dicuntur. Ita veteres Episcopos Fratribus suis (ita vocabant eos, qui cum ipsis in communi vita constituti viuebant) certos vitæ disciplinæq; atque adeo omnium dictorum factorumq; canones, id est regulas præscripsisse indubium esse arbitror. Obseruasse ex Augustino* Clericos *non separatim (vt hodie) sed in eisdem cum Episcopo ædibus habitasse. Sic enim ille* De communi vita Cleric. *serm. 1. Nostis omnes, inquit, aut pæne omnes, sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum; Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. Horum Fratrum officium atque institutum quid & quale fuerit, persequitur idem* Augustinus *in expositione Psalm. 99. Quibus idem* Augustinus *certam viuendi regulam præscripsit, quæ hodieque exstat. Nec moror hic* Erasmi *censuram, quam* Richardus Cenomannus *iam olim refutauit. Regulas autem Græci κανόνας nominitant. Vnde tit. Pandect.* De diuersis regulis iuris, *lib. 2. Eclog. 3. Basilic. & apud* Harmenopul. *lib. 6. cap. 2. inscribitur* περὶ κανόνων καὶ ἑτέρων νομίμων. *Inde ergo dicti Canonici fratres illi in consortio Episcoporum, à Germanis* Tumherren *a domo, quia in eadem cum Episcopo domo versabantur.* Hæc ille. *Ibid. 4.*

Ædes Episcoporum &c. Monasteria dicta sunt.] Collegia etiam *Monasteria* dicta, hodie **Münster**. antiquitus *Dominica* appelata, non à domo (quod pace Goldasti nostri dictum volo) sed à Domino, quod in iis propter Dominum coibant. Hinc Germani Episcopalia & Cathedralia templa adhuc **Tomkirch** / & Canonicos **Tomherren** appellant. Vide Eusebium lib. 9. cap. 10 Caspar Hedion, in edicto Galerii Maximini, & B. Rhenanum. *Claustra* quoque dicebantur *a cludendo, quoniam* (vt inquit B. Wolkuinus Abbas in Seidichenbach in homil. sua, quam in Euangelio Matth. de zizania & semine contra cleri vitia scripsit) *non solum corpore, sed & corde intus manentes omnes sensus suos ab appetitu seculari, ab omni concupiscentia temporali strenue clauserunt. Hodie a claudicanda rectius dicuntur, quia viri claustrales rebus temporalibus inhiant, quasi in vtramque partem claudicantes, dum seruire Deo volunt & Mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro.* Ideo autem Collegia, Monasteria & Claustra quoque promiscuè dicta fuisse puto, quod vitæ ratio à Monachorum instituto non multum discrepabat. Hinc *Canonicus ordo & monasterialis* *Ibid. 5.*

competentia in diplomate quodam Regio apud Albertum Krantz pro eodem ponitur libro 2. histor. cap. 15. Sed posteaquam Canonicorum sodalitia nonnulla iis vinculis soluta liberataque sunt, factum est, vt cæteri ab imperitis, qui vim verbi Græci parum assequebantur, non simpliciter Canonici, sed *Canonici regulares* dicerentur: quasi diuersa esset vtriusque vocis significatio, quæ tamen vna eademque est, & sicut in doctrina, ita vita & moribus quoque plane similes sunt.

Ibid. c. *Comitatus primus illis.*] *Acoluthi* dicebantur, quod Episcopum comitabantur.

PAG. 2. NVM. 1.

Nec luxum decere, nec ornatum Episcopos.] Vide cap. iubemus, de consecrat. distinct. 1.

Ibid. 2. *Ante omnia illud agebant Episcopi.*] *Quatuor sunt*, inquit Abbas Wolkuinus, *in quibus Episcopus tenetur subditis: exemplum bonæ conuersationis, pabulum sanctæ prædicationis & temporalis sustentationis, & diligens executio officii, & suffragium deuotæ orationis.* Hieronymus epistola 100. alloquens Episcopum; *Domus tua conuersatio constituta est in gratia publica disciplina: quicquid feceris, omnes faciendum esse putant. Caue igitur, ne malum committas: quoniam qui reprehendere volunt, repudiantur, si delinquentes fore videantur.* Et mox; *Subuenire pauperibus, visitare languentes, gaudere cum gaudentibus debes.* Videndus Iacobus Magni Sopholog. lib. 7. c. 3.

Ibid. 3. *Caterum & hunc sanctissimum morem.*] Idem Magnus d. loco; *Plures tamen insipientes sunt viri, qui vita maculati ad præsidium sublimantur: & quod detestandum nimis est, ad præsidentiam tanquam ad patrimonium curritur, veterumq; exempla negliguntur.*

Ibid. 4. *Cum artium aliarum tum sacrarum litterarum.*] In antiquis Christianorum Ecclesiis certi quidam deputati erant, qui non tam sacras literas, quàm reliquas totius Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, necessarias artes, studiosis hominibus profiterentur. Loca, in quibus docebant, σχολὰς Græci, vnde *Scholastici*, quod dignitatis tantum nomen hodieq; in Ecclesiis permansit: & διδασκαλεῖα, vnde *Didascali*, quales fuerunt Panætus apud Euseb. l. 5. cap. 10. & Didymus apud Ruffinum l. 2. c. 7. &c. qui Alexandriæ claruerunt. Hæc Goldast. *Lectores* apud Græcos ἀναγνῶσται dicebantur, quo munere aliquando functum esse Iulianum Imper. testis est Theodoretus. vide Tripart. libro 9. cap. 38.

Ibid. 5. *Turpissimum, docere velle quod non didicisset.*] Nouella 123. cap. 1. § damus, & facit c. officium tui. extr. de elect. vbi Gloss. & c. quamuis, cum gloss. fin. de æt. & qualit.

PAG. 3. NVM. 1.

Aut nulla aut rara in sacris ædibus simulacra.] Euseb. lib. 7. c. 14. Eccl. histor. inquit; *Nonnullos ex gentilibus ad Christum conuersos gentilem seruasse morem, vt imagines apud se seruarent, non tamen ad cultum, sed in amoris signum*: vide Bullingerum in libello de orig. erroris in Diuorum & simul. cultu. Rara tum in templis nostris simulacra fuisse, vel illud arguit; quod à Carolo Magno in Synod. Francofurti ann. Domini DCCXCIV. conuocatâ. decreta septimæ Synodi Constantinopolitanæ, ceu iconolatrica, damnata & rescissa fuere. Quin etiam ipse Imperator Carolus contra Imagines elegantissimum librum cõscripsit, vbi inter cætera; *Domus Dei decorem non in imaginibus materialibus*, inquit; *sed in virtutibus refulgentem licet videre.* vide Auentinum.

Ibid. 6. *Picturas.*] Paulinus Nolanus picturarum in templis author tẽpore Theodosii II. & Martiani.

Reli-

Reliquiæ Sanctorum.] Reliquiarum honos & cultus tẽpore Hieronymi cœpit. Aduersus quem Vigilantius scripsit, & antè eum Tertullianus in libro, quem Scorpiacôn vocauit, & in lib. de Resurrect. carnis. vide Ruffinum lib. 11. Eccl. hist. c. 33. & Augustin. lib. 22. c. 10. de ciuit. Dei. Constantini Magni tempore cum Ecclesiis pax data esset, cœperũt mirari Martyrum ossa magis, quàm vitæ institutum & testimonium. Hieronymus autem primus superstitionem hanc adserere conatus est. Bullinger. in lib. de orig. cult. simulach. *Ibid. 3.*

Ab Ethnicu etiam cordatioribus.] Præter Persium Cicero lib. 2. de Legibus, quantum opes à sacris abesse debeant in illis verbis docet; *Opes amouento.* Vbi & Platonis adducit verba hæc: *Aurum & argentum in vrbibus & priuatim & in fanis inuidiosa res est*, &c. *Ibid. 4.*

Insuetis antea & insolitis auxit.] Quas à Romanæ sedis Episcopis, Gregorio Magno cæremoniarum magistro, eas primum instituente, accepit. *Ibid. 5.*

Eum luxum disciplinæ corruptela.] Vide Bullinger. in lib. de origin. err. Missæ. *Ibid. 6.*

Aureos quondam Presbyteros, &c.] *Sacram cœnam non aurea vasa, sed aureas mentes requirere*, Chrysostomus dixit. Et D. Hieronymus Exuperium Episcopum Tolosanum laudat, quòd in sacra cœna calatho & calice vitreo vsus est. *Ibid. 7.*

Et cibum & somnum communem, &c.] In Concil. Magonc. can. de vita clericorum, 12. q. 1. c. necessaria, & dist. 32. c. præter. *Ibid. 8.*

PAG. 4. NVM. 1.

Et legum præscripto &c.] Ansegisus lib. 2. c. 26. Cod. Theodos. lib. 16. in lit. de Episcop. Eccles. & clericis, Hieronym. ad Eustoch. de seruanda virginitat. tomo 1.

Quam Africæ Episcopi.] De hoc vide Cyprianum. *Ibid. 2.*

Vt ne testamentarium quidem constituere.] Ambros. lib. 2. Offic. cap. 26. Concil. Chalcedonens. & Ansegis. lib. 1. c. 22. Monachis & Clericis erat lege prohibitum ne hæreditates captarent. Et docet ipse Hieronymus, quod monachorum & clericorum auaritia locum fecit legi, & lege coerceri oportuisse, vide eum ad Nepotianum. *Ibid. 3.*

Aduocati.] Aduocati, sæcularium rerum causa Episcopis dati: hi Oeconomi dicebantur. Bernardus lib. 4. ad Eugenium; *Memento Saluatorem Iudam œconomum habuisse. Quid Episcopo turpius, quam incumbere supellectili, & substantiolæ suæ omnia sciscitari, de singulis monere, de suspicionibus moueri ad quæq; deperdita*, &c. Miratur ibidem, cur Prælati tot inueniant, quibus curam, animam committant, & tamen inuenire nolint, quibus suas facultates in curam exhibeant. Vide Iacobum Magni Sopholog. l. 7. c. 7. Dixi œconomos fuisse. Quales olim & Collegia habuerunt Principum nomine adhibitos, qui censuum & redituum, hoc est annonæ, gerebant curam, quos Magistros curiæ hodie vocant, quia cura, id est iurisdictio, opulentioribus Cœnobiis & Collegiis accesserit: quâ vetera in totum caruerunt, sicut & imperio. Nam ne nomen quidem vel meri vel mixti imperii notum erat Episcopis, longe minus monachis; quippe alienum est à functione Ecclesiastica. *Ibid. 4.*

Aduocatorum solertiæ relinquerent, &c.] De bonis Ecclesiarum & administratione eorundem, quantum quidem ad res temporales attinet, Impp. suis legibus cauerunt, quibus Episcopi obtemperarunt; interim tamen illis de rebus docuerunt, non quod adeo ius sibi vindicarint ciuilis administrationis, quæ sanè ad ciuilem politiam attinet, sed quod functionis suæ officio postulante ostenderent, quid ea in re sacris eloquiis traderetur, & iure diuino præscriberetur. *Ibid. 5.*

Ibid.6. *Memores doctrinæ Christi.*] Lucæ 22. Matth. 20. Bernardus lib. 2. de consider. inquit; Si dominari appetis, præesse contendis, Creatori tuo te præferre conaris, qui gloriam dominandi fugit, & erat subditus Principibus suis: Ideo sancti quidam viri adeo ab imperio alieni erant, vt ipsum etiam episcopatum, speciem tantum imperii habentem, detrectarint. Nam Ambrosius (memorabo exempla, quæ apud illos authentica sunt) mulieres publicas (id est meretrices) in domum suam ingredi fecit, vt illis visis electio reuocaretur. Fugam postea accepit, sed proditus à Leontio reuerti est coactus, vt in eius vita legitur. S. Marcus pollicem sibi abscidit, vt indignus sacerdotio haberetur, vt scribit Heraclides lib. 2. Paradisi. S. Ammonius electus in Episcopum aurem sinistram ferro resecauit, linguam etiam abscisurus, nisi dimisissent. Quidam monachus in Episcopum electus, oratione sua impetrauit, vt pridie confirmationis moreretur, Tripart. hist. lib 3. S. Gregorius in Pontificē electus columna fulgida super ipsum descedere, vbi latitabat, cognitus est. S. Martinus fugiens electionem, anserum strepitu proditur. Quidam vero Episcopatum non quidem renuerunt, verum adeo dominium nullum adfectabant, vt vitam, quam prius asperam duxerant, asperiorem longè produxerint, vt de Abbate Vatila legitur in Vitis Patrum lib. 2. p. 10. & Abbate Opi lib. 2. part. 1. Et sane non est fugiendus oblatus Episcopatus, vt inquit Isidorus, sed humiliter gerendus. Et Gregor. in Pastoral. l. 2. c. 7. *Nullus se extollat ex electione, sed magis se humiliet.* Bernhardus in epist. ad Episcop. Senonens. *Noli altum sapere: quia altum sapere diffi cile est, & omnimodo inusitatum: & quanto inusitatius, tanto periculosius.* Augustinus epist. 66. Pet. *Vt cogites nihil esse hominibus in hac vita, & hoc tempore latius, felicius, & acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si tamen non præsumptuose, aut adulatorie res agitur: sed nihil apud Deum miserius, tristius & damnabilius si male fiant.*

Ibid 7. *Principum suorum simplicitate.*] Episcopi Principum indulgentia & simplicitate abusi insolescunt.

Præpingues quidam & opulenti Præsules.] Hos Abbas Wolkuuinus *Sacerdotes Baal* vocat, quod ad maiores tendāt honores per ambitionem; & simul grauiter in dominādi libidinem inuehitur. Vide Othonem Frisingens. lib. 2. de gestis Frid. c. 20. vbi de Arnoldo Brixiensi scribit, & Guntherum lib. 3. Liguriui, ibiq; Spiegelium & Rittershusium interpretes.

Ibid.8. *Victu & vestitu contenti.*] distinct. 47. c. 3. ex Ambrosio, & vide 12. q. 1. per totum. Augustinus de communi vit. & morib. Clericor. part. 1. *Apprehensus & Presbyter factus per hunc gradum perueni ad Episcopatum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Ecclesiam nisi cum his indumentis, quibus illo tempore vestiebar,* &c. Hieron. epist. 94. *Obsecro te iterum atque iterum, ne officium Clericatus, genus antiquæ militiæ, in vanum assumas, & ne lucra sæculi in Christi militia quæras, ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti.* Et illico; *Procuratores atque dispensatores domorum alienarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates,* &c.

Ibid.9. Vt pars vna Episcopo, &c.] 12. quæst. 2. c. vobis, c. Vulturanæ, c. concesso, cap. quatuor & seqq. Ansegis. lib. 1. c. 80. Synod. Wormatiens. anno Dom. DCCCXXXIII. celebrata.

Ibid.10. *Ludimagistros vt alerent.*] Ansegis. lib. 2. c. 5. & lib. 1. c. 68. c. quibusdam, dist. 37. c. 1. c. quia nonnullis de Magist.

PAG. 5. NVM. 1.

Non alia magis causa Canonici; &c. quam quia de reditibus ecclesiasticis, &c.] Wolkuuinus Abbas inquit; *Rara auis in terris hodie Canonicus a canone vitæ.*

Vnde

Vnde ergo? Audi vnde. Est namque canon vita, vt dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicuius pensionis certæ. Vnde solet dici; Solue mihi canonem meum, id est pensionem meam, id est statutam pecuniam meam. Eia ergo, ô Canonice, inuenimus canonem tuum, à quo deriuaris, id est a canone pecuniæ, non a canone vitæ, id est a Canone regionis, non a canone religionis, &c.

Omnes religionis amore exciti.] Religionis amore, & virtutis causa donationes factæ tanquam egenis, ne deessent alimenta his, qui rebus sacris deseruirent, l. priuilegia, C. de sacrosanct. eccles. *Ibid. a.*

Sed etiam Pontifices.] Episcopi Germaniæ etiam *Pontifices summi* appellati: Ita Wolfhartus Presbyter quidam Ecclesiæ Eychsterensis Episcopo suo Erchenboldo Waldeburgis vitam inscribens in hęc verba orditur; *Domino Beatissimo Deoq. vere dignissimo Erchenboldo Pontifici* &c. Et in Vsuardi Martyrologio, quod dedicauit Carolo Magno, id nomen sæpius reperitur. Extat & Curiæ in æde S. Lucii tale epitaphium Valentiano Episcopo à nepote positum: *Ibid. b.*

SCE. M. EPCS.

HOC IACET IN TOMOLO QVEM FLEVIT RETICA TELLVS
MAXIMA SVMMORVM GLORIA PONTIFICVM.
ABIECTIS QVI FVDIT OPES, NVDATAQVE TEXIT
AGMINA CAPTIVIS PRÆMIA LARGA FERENS.
EST PIETAS VICINA POLO, NEC FVNERIS ICTVM
SENTIT OVANS FACTIS QVI FELIT ASTRA BONIS.
HIS POLLENS TITVLIS VALENTIANE SACERDVS
CREDERIS A CVNCTIS NON POTVISSE MORI.
QVI VIXIT IN HOC SAEC. ANN. PLS. MN. LXX. DPS.
SVB D NP. IDIAN. SEPS. PCS. BASIV CCCS. IND
XI. PAVLINVS NEPVS IPSIVS HÆC FIERI ORDINAVIT.

Nec defuere etiã superiori bárbaro illo & iniquo sæculo qui hoc non aduerterint. Nã Petrus Rauennas IC. qui aliquãdiu in Germania vixit, & filiũ etiã habuit Bremensem Canonicum, ita scriptũ reliquit in Dictis suis Notabilibus: *Semel reprehensus fui a quodam, qui se tenebat sapientem & doctum in iure, quod appellassem Episcopum. summũ Pontificem. Ira inuasit me, & dixi: Et ego etiã sum iurista habemus iura, in quibus Episcopi appellantur summi Pontifices, in c. si officia, c. qui Ecclesiasticis, 59. dist. c. si Episcopus, 18. dist. Fuit necesse, quod deueniremus ad libros. Volebat tamen pertinaciter suum errorem defendere, nec potuit.* Hæc ille: quorum obseruatio, nec quid reticeam Goldasto nostro debetur.

Neque Episcopi tantum, sed quilibet sacerdos olim *Pontifex* dictus. Vide Ansegis. lib. 4. in præfat. Caroli in additionib. De vtroque pluscula annotauit Sauaro in Sidonium, quem consule.

PAG. 6. NVM. 1.

Vt Episcopi non cleri tantum, sed populi etiam manu. &c.] Electio Episcoporum quondam penes clerum simul atque populum. Ansegis. lib. 1. c. 78. Cyprianus lib. 1. epist. 4.

Aut Principes aut Duces.] Otto Frising. siue Rathuuicus lib. 4. de gest. Fridericc. cap. 71. Platina in Damaso II. & Leone IX. *Ibid. a.*

Imperator autem electionem haberet ratum.] Vide Ferrarien. practica in forma libelli ex substitutione, §. *ex suo corpore.* *Ibid. b.*

Hain-

Ibid.4. *Hainricum.*] Hainricus IV. primus omnium Imperatorũ à Gregorio VII. anathemate percussus. Ottho Frising. lib.6.c.35.

Ibid.5. *Nec mirum si sunt qui quærant.*] Vide l.si quenquam, 30. C. de Episcop. & clericis.

Ibid.6. *Nolle se cum clero.*] Morem eligendi Pontificem, vel Friderici I. tempore, quanquam iam bona parte in Cardinales inclinaret, tamen clero omni populoque omni Romano præsente & de eligendo consultante, obseruatum est, constat ex Ottone lib.4.de gest.Frider.cap.70.& 71.

PAG. 7. NVM. 1.

Carolo Pipini filio.] Marsilius de Padua in lib.de Translatione Imperii, cap. 8. Gratian. dist.63.c.Hadrianus.

Ibid.2. *Post Gregorium extitisse Papas.*] Vrspergens.in vita Hainrici IIII. & V.

Ibid.3. *Vt nostri, id est Germaniæ Principes.*] De hoc vide Georgii Haymburgensis IC. Confutationem primatus Papæ ante annos CL. & plus sub Sigismundo Imp. scriptam.

Ibid.4. *Vt parum hactenus rata fuerit Imperatorum electio.*] Auentinus lib.6. in epist. Adriani ad Septemuiros Ecclesiasticos.

Ibid.5. *Veteres Germanorum Episcopi.*] Cuspinianus in Hainrico IV.

Ibid.6. *Simoniæ crimen.*] De hoc crimine videndum Aureum Speculum Papæ & eius Curiæ, scriptum ante annos CC. Adi Gratianum caus.1. q 6. c.si quis, c. porro, & c cum omnes, Ansegis. lib.1.c.21.

Ibid.7. *Partim ambitio, partim auaritia.*] Abbas Wolkuuinus in sæpe dicta homil.de semine & zizania contra cleri vitia inquit; *Tribus generibus sacerdotum Diabolus tres filias suas, quas habet, desponsauit: Superbiam videlicet, Auaritiam, & Luxuriam. Superbiam sacerdotibus Baal, id est ambitiosis, & dominari volentibus: Auaritiam sacerdotibus Dagon, id est, cupidis & curiosis: Luxuriam sacerdotibus Beelphegor, id est, impudicis & libidinosis, &c.* Anselmus de Similitudinib. cap.25. Prælatos ambitiosos comparat pueris venantibus papiliones, qui dum sequuntur illos in foueam cadunt.

Ibid.8. *Alemanni parochiam vocabant.*] Vide Budæum de parœcia, & Alciatum de parochia. in lib. Prætermissor.

PAG. 8. NVM. 1.

Et iubebat Canon.] Ansegis. lib.1.c.83. & Concil. Wormatiens. anno Dom. DCCCXXXIII. Ante XXX. annos nullus ordinabatur. Ansegis. d. l.1.c.49.

Ibid.2. *Quod certe e iuramento.*] Formam iuramenti lege apud Othonem Frisingens. lib.3. de gest. Frider. l.c.19.

Ibid.3. *Licebat lacus pastores.*] Ansegis. lib.2.c.5.& lib.1.c.30.35.& 44.

Ibid.4. *Baptismi & Eucharistiæ.*] Vide Rabanum de Institut. cler.

Ibid.5. *Magonciaci & Wormatiæ.*] Anno Domini DCCCXXXIII.

Ibid.6. *Compatres & patrimos.*] Ansegis. lib.2.c.35.c.44.

Ibid.7. *Infantes.*] Spiritales filiolos, quos vocant.

Ibid.8. *Cœna Dominica dabatur credentibus.*] Ter minimum in anno, Vide Ansegis. lib.2. cap.43. & c.38. Calix tum aqua misceri consueuit, vide canon. Concilii Wormatiensis, quæ opinio quondam fuit Cypriani, quam tamen ipse ceu retractauit lib.2.epist.3.

PAG. 9. NVM. 1.

Priuatim & in primis ægrotis extra cœtum.] Ansegis. lib.1. cap.150.

Ibid.2. *Missam vocabant cœnam.*] Carolus Magnus vetuit Presbyteros Missas celebrare, nisi ipsi quoq; cõmunicarent. Vnde deprehenditur, Missam aliud non fuisse quàm participationem Eucharistiæ in populum, nec illo tempore pri-

uatæ

uatæ Missæ vsum fuisse. Alioqui quomodo Missas celebrare potuerunt Presbyteri, qui ipsi non cõmunicarint? Vide Ansegis. lib.1.c.6. Idem cauetur in Concil.Mogunciacens.anno Dom. DCCC.XIII. *Missæ* autem nomen Græcis incognitum ab interpretibus loco τῆς λειτουργίας positum, id est officii & ministerii, apud Ambrosium legitur, qui dicit *missam facere*, à postrema cœtus parte, qua oratur, & gratiæ aguntur: quibus finitis populus dimittitur: in epist. ad Marcellin. 33. lib.1. vide Bullinger. in lib. de origin. err. in missa. Inde *Missa* pro dimissione & fine. Ioannes Cassianus lib.3.cap.7. *Præstolatur congregationis missam*, id est vt cœtus & conuentus absoluatur & compleatur. Et mox; *Contenti somno, qui à missa vigiliarum atque ad lucem cõceditur.* Adi Beatum Rhenanum in Tertullian.

Infantes suos altari admouebant Eucharistiæ gratia.] Vide Ansegis.l.1.c 155. *Ibid.3.*

Iubebat canon, vt Presbyter.] In Synodo Magonciacens. Præside Bonifacio, tempore Carolomanni anno Domini DCCXLII. *Ibid.4.*

Nec facile admittebantur vel Presbyteri vel Episcopi.] Ansegis.lib.1.c.2. & c.66. & c.136. *Ibid.5.*

Synodi annuæ,] Idem Ansegis.lib.1. c.13. & distinct.18.cap.127. in Decreto Gratiani. *Ibid.6.*

Cessarent aut cunctarentur.] Nec poterant ante peractam synodum discedere sine magna pœna. *Ibid.7.*

Author est Rabanus.] Lib.3.cap.1 de Instit.cler. *Ibid.8.*

Refrixit synodorum celebritas.] De hoc conquestus est Petrus de Aliaco in libello de Reformat. Ecclesiæ, quem Patribus in Concilio Constantiensi obtulit. *Ibid.9.*

Disciplinæ custodiendæ haud mediocrem medelam afferebat.] Auth. de sanctiss. Episcop.collat. vlt Ita canon 3.Concil.Toletani IV. *Nulla pene res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos mores synodos facere negligunt.* *Ibid.10.*

Per Alemanniam Principis edicto monebantur.] Ansegis. lib.1. c.20.32.58 76. 103.& 160.item in Conc.Magunciac.anno DCCCXXXIII. *Ibid.11.*

Symboli articulos, &c. exponebant.] Et monebantur parentes sub pœna, vt filios suos siue ad monasteria, siue Presbyteris tradant, quo fide Catholica instruerentur. *Ibid.12.*

Violenti.] Prohibitum erat alium cogere ad bibendum. Ansegis.lib.1.cap. 138.154:168.lib.4 c.46.& 73.& Conc.Mogunc.anno DCCCXXXIII. *Ibid.13.*

Auguriorum, &c.] Idem Ansegis.lib.1.c.62. *Ibid.14.*

Vt superstitiosa sublata sunt.] Idem lib.1.c.102.103.& lib.4.c.46.47. *Ibid.15.*

PAG. 10. NVM. 1.

Adeo inhæsit nostrorum animis, vt sint passim, &c.[Vt in Burggrauiatu Norembergensi in vico Fert, ditionis nunc Anspacensis, etiamnum admittũtur tales monomachiæ, facultate nimirum facta à Rathinburgiis & Burggrauione, qui nunc est Marchio ex familia Brandenburgensi in placito Ansbacii.

Quo probandæ innocentiæ monomachia concessa fuit.] Vide Alciatum in libello de monomachia siue duello. *Ibid.2.*

Purgatio per Eucharistiam.] Hæc etiam facta, vbi furtũ in monasterio commissum. vide Synod. Wormatiens.anno DCCCXVIII. *Ibid.3.*

Si quis vinum aut annonam.] Ansegis.lib.1.cap.33.119.123.& seq.& c.75. *Ibid.4.*

Memorat Ansegisus.] Lib.1.c.158.lib.2.c.33. In Concilio Moguntino XIII. Anno Imperii Caroli in basilica S.Albani martyris habiti anno DCCCXIII. Hæ festiuitates constitutæ sunt: *Pascha cum feria secunda, tertia, quarta, à feria quinta* *Ibid.5.*

quinta ante Missam licentia fuit arandi & seminandi, & hortum & vineam excolendi, & sæpem circumcludendi, ab aliis vero operibus cessatum, & post missam ab omni opere vacatum: Ascensionis Domini pleniter: Pētecostes vt Paschæ: Apostolorum Petri & Pauli per diem vnū, S. Ioannis Baptistæ, Assumptionis S. Mariæ: S. Michaelis: S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ: Natalis Domini per dies quatuor, Octauas Domini, Epiphaniæ, Purificationis Mariæ, Item festiuitates martyrum, quorum in vnaquaq; parochia corpora quiescunt: Item dedicationis templi

Sub Ludouuico vero Pio & Lothario, Ansegiso teste lib. 20. c. 33. hic dies festi celebrati sunt: *Dies Dom. Paschæ, cum omni honore & sobrietate cū tota hebdomada, Ascens. Dom. pleniter: in Pentecoste vt in Pascha S. Pet. & Paul: per diem vnum: S. Ioan. Baptistæ, Assumpt. S. Mariæ: S. Michaelis, S. Remig. S.* Martini, *S. Andreæ, In natal. Dom. dies quatuor, Octauas Dom, Epiphan. Purificat. Mariæ, & festiuitat. Martyrū, quorum in vnaquaq; parochia corpora quiescunt.* Id obiter notandum solo die Dominico placita Mercatus fuisse interdicta: sicuti etiam omnia opera seruilia, & reliqui actus ciuiles. vide Ansegis. lib. 1. c. 75. & lib. 2. c. 6. & c. 139. item Concilium Moguntinum.

Ibid. 6. *Litaniam maiorem.*] Sine tamen omni pompa, vt cauetur in Synodo Mogunciac. anno DCCCXXXI.

Ibid 7. *Festiuam esse iussit.*] Ansegis. lib. 1. c. 158. & lib. 2. c. 32. Festū quoq; Trinitatis sub Carolo M. cœpisse testis est Iacob. de Voragine serm. 1. in festo Trinitatis, vbi inquit; *Festum de Trinitate olim ab Ecclesia nō fiebat, sed quia circa ipsam Trinitatem multæ hæreses succrescebant, ideo Carolus Christianissimus Imperator rogauit Alcuinum magistrum suū, vt historiam de Trinitate componeret, per quam errores eliminaret, & fidē Catholicam edoceret: qua composita ordinatum est, vt festum illud solemniter celebraretur.*

Ibid. 8. *Multis etiam veterum creditis sint.*] Epiphanio, Ruffino lib. 11. hist. Eccl. c. 33. Ambros. in epist. ad Hebr. August. de cognit. veræ vit. c. 39. de vera relig. c. 55. de ciuit. Dei lib. 10. c. 12. & l. 22. c. 29. in exposit. Psalm. 108. de cura pro mort. ger. c. 15. de Spir. & anim. c. 29. in expos. Psal. 85 sub fin. Quæst. super Exod. 108. & aliis plurimis in locis: Bedæ presbytero in præfat. Martyrolog. Petro Damiano Meditat. c. 40. & *23.*

Ibid. 9. *Licebat autem Principi in regno.*] Vide vniuersam historiam Ecclesiasticam, & veterum Synodorum omnium acta.

Ibid. 10. *Vel temulentiæ vel fornicationis.*] Ansegis. lib. 2. c. 23.

Ibid. 11. *Confestim à Comite compellebantur.*] Vide in Synodo Mogunc. sub Bonifacio præside anno DCCXLII.

Ibid. 12. *Hoc modo & Otomarum.*] Ratpertus in lib. de casib. Monast. S. Gall. Walafridus in vita S. Othmari.

Ibid. 13. *Nec minus interim domesticorū.*] Hotoman. vide in libel. de Francogall. c. 10.

Ibid. 14. *Comitia.*] Quæ annuatim Kal. Maii plerumq; habita, quod *generale placitum* & *Conuentum generalem* & *curiam* appellarunt.

Ibid. 15. *Raro vllum diem eximie festum.*] Eginhart. in vita Caroli M. Aimonius libro 4. c. 13. 30. 41. 74. 116. 117 item lib. 5. c. 31. & 50. Sigibert. in Chron. an. DCLXII. Greg. Turon. lib. 7. c. 14. Otto Frising. lib. 1. de gest. Frider. c. 40. & 43.

PAG. 11. NVM. 1.

Dabantur autem & legibus.] De quibus rebus in publicis illis Conuentibus ageretur, vide Hotoman. IC. in lib. de Francogall. c. 11.

Ibid. 2. *De Conciliis indicendis non nisi Imperator.*] Attestatur vniuersa historia Ecclesiastica & omnium Synodorū acta. Nicephorus lib. 8. c. 14. & 49. lib. 9. c. 5. 12. 31. & seqq lib. 11. c. 3. & passim, Otto Frising. lib. vlt. de gest. Frid. c. 68.

Quam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [164] - 132 PUBLIC DOMAIN

Quam Romani Pontifices nec vniuersales nec Catholici.] Græci Imperatores Episcop. vrbis suæ Augustæ *sanctissimos & beatissimos & Catholicos* cognominarunt. vide auth. *vt determinatus sit num. Cler.* collat. 1. *Ibid. 3.*

Statim à Gregorio &c.] Immo Pontificum Romanorum ambitio pluribus ante Gregorium annis pullulascere cœpit: tempore nimirum Concilii Carthaginensis, cui & B. Augustinus interfuit anno CCCC. LXXXV. in quo iam tum de iure sedis suæ, vt nimirum ab omnibus Metropolitanis ad illum appellaretur, asserendo ambitiose nimium per Legatos suos contendit, supposito etiam per crimen falsi canone Concilii Sardicensis, eoq; mutilato, pro canone Concilii Nicæni, cuius authoritate tributum sibi ius illud fuisse affirmabat. Sed cum fraude patefacta ab vniuersali Synodo de falso convictus & condemnatus esset, decretum est, vt sua deinceps diœcesi & præfectura contentus esset. Sed adeo non profecerunt Patres Carthaginienses, quin asserere sibi ius illud perrexerit, similiq; falsitate & impostura Gratian° postea in suis Decretis Synodorum Canones corrumpens contaminare non erubuerit, vt apparet ex cap. *renouantes*, dist. 22. & c. *placuit*, 2. q. 6. item 6. qu. 4. c. *Osius*. vide Nicephor. lib. 9. *Ibid. 4.*

Et in litteras relata est.] Otto Frisingens. lib. 6. cap. 39. *Ibid. 5.*

PAG. 12. NVM. 1.

Extat SanGalli vetustissimus codex.] Qui nunc penes me asseruatur.

Legibus igitur Principum.] Suas quoq; Leges habuerunt Baioarii, Saxones, Frisiones, Burgundiones, & reliqui Germaniæ populi, quæ ex Bibliotheca Fuldensi studio & opera Ioan. Heroldi in lucem editæ sunt. *Ibid. 2.*

Monasteria etiam & Collegia parebant.] Eadem ratione, qua sub Romanis Imperatoribus, vt videre est in Cod. & Nouell. constit. Iustiniani. *Ibid. 3.*

Ab Isodoro Hispalensi.] Isodorus Hispalensis Episc. primus rescripta Pontificum collegit, tempore Lotharii Imperatoris. *Ibid. 4.*

Gratiano.] Ius Pontificium *à Gratiano* Doctore Bononiensi consarcinatum anno Domini MCLX. *Ibid. 5.*

Clementinæ.] à Clemente V. Anno Domini 1308. in Concilio Viennensi Ecclesiæ obtrusæ. *Ibid. 6.*

Hæc Decreti verba.] Ansegis. lib. 2. c. 47. *Ibid. 7.*

In illos animaduersum.] Idem lib. 2, cap. 36. *Ibid. 8.*

Venus incesta.) In Lege Alaman. tit. 20. c. 2. & Lege Baioarior. tit. 8. *Ibid. 9.*

Alemanni incestas nuptias.) Lege Alameman. tit. 40. & Lege Baioar. c. 8. *Ibid. 10.*

PAG. 13. NVM. 1.

Durabat Lex illa diuina, &c.) Eadē apud Baioarios, vt in lege Baioar. c. 11. tit. 14. & 15.

Seruum fugitiuum.) Ansegis. lib. 1. c. 33. 55. 82. *Ibid. 2.*

Cæsareis Iustiniani.) L. iubemus, §. 1. C. de Episcop. & Cler. item in auth. de Sanctiss. Epis. & auth. de Monach. collat. 1. *Ibid. 3.*

Crebra mentio fit Marcarum.) Ansegis. lib. 1. c. 149. *Ibid. 4.*

Carolomanno Maioredomus.) Sub Bonifacio anno DCCXLII. *Ibid. 5.*

Resig. Ecclesiarum.) Ansegis. lib. 2 c. 29. *Ibid. 6.*

Quod legitimè possidere debeat.) Sacram rem in pignus dare, nisi pro captiuis redimendis, non licebat. Ansegis. lib. 1. c. 88. *Ibid. 7.*

Quas hodie Cathedrales.) Ansegisus lib. 1. c. 40. *Ibid. 8.*

PAG. 14. NVM. 1.

Pasterum liberalitas demanaret.) Parochi enim ab hospitalitate dicti videntur. Antiqui sic vocabant eos, qui paulo largius hospitio excipiebant peregrinos. Vide Budæum, & Alciatum.

Ibid.2. *Hodie rebus aliter habentibus.*) Bernardus super Cantic. homil. 75. *Quoniam pauci sunt, qui non quærant, quæ sua sunt ex omnibus causis suis, sc. Ecclesiæ. Diligunt n. munera, nec possunt pariter diligere Christum, qui manus dederunt mammonæ. Vnde enim æstimas talibus rerum affluentiam superare? vt puta vestium splendorem, mensarum plenitudinem, vasorum argenteorum & aureorum congeriem, nisi de bonis sponsæ? Et inde est quod Ecclesia inops & nuda relinquitur: nec student ornare sponsam sed spoliare: non custodire sed perdere: non instituere sed prostituere: non quærunt pascere gregē sed mactare & devorare, dicente Domino per Prophetam: Qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

Ibid.3. *Alemanni quum pars essent regni Francorum.*) Mendici apud Alemannos nulli vagantes. Ansegis. libr. 4. c. 52. & seq. & lib. 1. c. 80. 112. 118. 126.

Ibid.4. *In tenuioribus æquales partes, &c.*) L. priuilegia, C. de sacrosan. Eccles.

Ibid.5. *Carols legem exstare.*) apud Ansegisum lib. 1. cap. 85.

Ibid.6. *Mansos.*) Mansus, Rehlinhoff/Mansus dicitur quantum quis cum vno pari boum laborare potest in anno: vt not. in c. 1. Extr. *de cens.* & in vsib. Feudor. *Si de inuestit. feud. fuer. controuers.* cap. 1. §. penultim. Bartol. ad L. *si ita, ff. de aur. & arg. leg.*

Ibid.7. *Omnem fornicationem seuere coercerent.*) Ansegis. lib. 1. cap. 92. Vide in Conc. sub Bonifacio anno DCCXLII.

Ibid.8. *Et quod diuersum scriptura, &c.*) Vide dist. 30. c. si quis nubtias, & dist. 28. c. si quis, & dist. 31.

Ibid.9. *Quem morem plusculis sæculis receptum.*) Vide dist. 32. cap. de illo, & seq. Eum morem quum Nicolaus I. Romanus Pontifex superstitiose religiosus, durius quam prædecessores sui persequeretur, & diris execrationibus Clericos matrimonio iunctos infectaretur, S. Vlricus Episcopus Augustanus (qui sub Heinrico I. & Ottone I. à quorum consiliis erat, vixit) elegantem epistolam ad Pontificem de presbyterorum coniugio scripsit, qua illum ab eo furore magna grauitate reuocare conatus est, pie admonēs ne noua tyrannide perditionis causa multarum animarum existeret. Cuius epistolæ Æneas Syluius quoq; meminit in sua Germania. Sed quid pia illa admonitione profecerit apud deploratæ cæcitatis homines, posteritas testatur.

Ibid.10. *Hildebrandus Monachus Papa.*) Qui fuit A. D. 1074. ad quem vsq; morem illū durasse in Gallia atq; Germania Iacobus quoq; Faber Stapulensis auctor est in suis commentariis. Et Lambertus Schafenburgensis sua historia commemorat, Episcopum Treuirensem habuisse in matrimonio sororem Regis Ruzenorum. Eum primus, quod sciam, in Germania prorsus turbare tentauit Leo IX. R. P. Concilio Maguntino sub Heinrico III. habito, cui centum & triginta Episcopi interfuerunt, ut narrat Albertus Krantz in sua Saxonia lib. 4. cap. 43. Hunc insecutus postea Nicolaus ille II.

Sacerdotes quoq; Anglorum, qui ex Germanis Saxonibus oriundi, suas vxores vsq; ad tempus Edgari Regis, hoc est ad Annum à Christo nato 960. retinuisse scribit Polydorus Virgilius in vita eius libr. 6. Henricus etiā Huntingtonensis libr. 7. refert. Anno Domini 1101. sub Henrico Rege eius nominis I. Anselmum Archiepiscopum Cantuarien. Londini habuisse Concilium, quo Clericis Anglis nuptias, quæ illis antea non erant prohibitę, interdixit. Tum anno post 25. eiusq; Henrici Ioannes Cremensis Cardinalis, Pontificis Roman. Legatus cum in Angliam venisset, Londini synodum Episcoporum coēgit, in qua cum de vxorib. Clericorum seueriſſime tractaret, inter cetera dixit, summum esse scelus, sacerdotē à latere meretricis ad corpus Christi conficiendum surgere. Sed ipse cum die proximo corpus CHRISTI in sua missa confeciſſet, nocte quæ sequebatur in adulterio

deprehensus est. Itaq; iusto Dei iudicio graui eum ignominia re infecta Romam redire habuit necesse. Verum cũ Papa nullus vellet acquiescere, idem rex Henricus anno regni sui 29. re tota sibi ab Episcopis commissa, post grauem & diturnam deliberationem, effecit vt clerus vxores à se pecunia, & ea non parua redimerent.

Repente tanta seditio, &c.) Otto Frisingens. lib. 6. cap. 34. Nauclerus genera. 36. *Ibid.* 11.

PAG. 15. NVM. 1.

Heinrichо IV. Imperante.) Qui, miris hac de re per Germaniam excitatis motibus, Synodo Magonciæ conuocata, ab Episcopis Pontificis partes tuẽtibus persuasus, Clero omni matrimonio denuo interdixit.

Wunnesridus Legatus.) Anno Domini DCC.XLII. *Ibid.* 2.

Ad castitatem seruandam cogere.) Vide Cyprianum ad Pompeium contra Epistolam Stephani, Ambros. li. 1. de Virginit. *Ibid.* 3.

Iam aduersum Apostolica doctrinæ.) Hunc ritum Apostolicum nuptiarum Græci retinuerunt, neq; vnquam adduci potuerunt vt mutarent, etiam quũ Ecclesiæ aliæ ἀχριβίαν recepissent. Et Erasmus in 1. ad Corinth. 7. ait: *Ætate Pauli cum inter innumeros Ethnicos perpauci essent Christiani, fortasse commodius erat à matrimonio abstinere: nunc mutatis rebus haud scio an magis expediat sanctum connubium & immaculatum horum sanctè pureq; colere etiam sacerdotes, si qui non continent, quanto horum tam ingens vbiq; numerus est, &c.* *Ibid.* 4.

Monachorum disciplinam.) Ansegis. libr. 1. cap. 69. libr. 2. cap. 8. libr. 4. cap. 45. *Ibid.* 5.

Lectores.) Vide collat. vlt. auth. de sanctiss. Episcop. *Ibid.* 6.

Velare.) Antiquus est velandi ritus quo de meminerint Concil. Carthagin. IIII. cap 4. Mileuitan. can. 20. Gelasius Papa can. 14. & 15. Innocentius I. Epist. 2. ca. 12. Augustinus sæpe. Quorum locorum me commodum Goldastis ille noster monuit. *Ibid.* 7.

Tondere.) Augustini temporibus rasuram monialium nec dum fuisse vsurpatam liquet ex eius verbis in regula monialium, quæ est Epistol. 109. *Non sit notabilis habitus vester* (alloquitur moniales) *nec affectetis vestibus placere, sed moribus: nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis nec foris vel spargat negligentia vel componat industria.* Ex quibus verbis etiam id liquet, monialium Professioni eo tempore nullas certas vestes fuisse accommodatas. Id tamen paulò post vt fieret decreuit Concil. Carthaginense IIII. cap. 11. *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis.* Vide ibidem cap. 104. vbi religiosum habitum à laicali distinguit. Et Augustin. contra Faustum lib. 6. c. 9. *Inordinate viuere & diuersi generis professiones velle miscere, vt vel sanctimonialis habeat ornamenta nuptiarum, vel ea quæ se non continens nupsit, speciem virginis gerat, omnimodo peccatum est.* Videne virginalem communem habitum monialibus fuisse non certum aliquem & ab vsitato discretum? *Ibid.* 8.

Certamq; ad normam vitæ.) Ansegis. lib. 4. cap. 45. Cypriani tempore monialium votum continentiæ non perpetuum fuisse vel eius verbis liquet in lib. epist. 1. cap. 11. *Si sese*, inquit, *ex fide Christo dicauerunt, pudicæ & castæ sine fabula perseuerent, & ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent: Si autem perseuerare nolunt vel non possunt, melius est vt nubant quàm in ignem deliciis suis cadant.* *Ibid.* 9.

Virginitatem velut de suo vouent.) Ambros. li. 1. de Virginitat. Neq; enim imperari potest virginitas sed optari. *Ibid.* 10.

Ibid.11. *Scelus esse ducant.*) Adeo quidem, vt qui virgini sacræ se sociauerit, incesta fœdera sacrilegaq; miscere diceretur, & à sacra communione detruderetur Ansegis. lib. 1. c. 100.

Ibid. 12. *D. Paulus.*) Ad Hebræ. 13. 1. ad Cor. 7. vbi Ambros.

PAG. 16. NVM. 1.

Ad velum Ecclesiæ famulatum.) Prohibitum Abbatissis vel benedictiones date vel virgines velare. Ansegis. lib. 1. c. 71.

PAG. 17. NVM. 1.

Etiam coactæ puellæ profitentur.) Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Vbi necessitas imponitur castitati, austeritas libidini datur: nec casta est virgo, quæ metu cogitur.*

Ibid. 2. *Præsulum indulgentia.*) Quam indulgentiam cum reipsa defensare non possent, fabulis id conati sunt. Vnde ficta impia illa de Beatrice somnia, quæ multos annos in omni scortationis genere libidinem dum explet suam, vices eius in monasterio S. Maria semper Virgo gessisse non minus impudenter quàm impiè ab illis scribitur.

Ibid. 3. *Violatur non tam corporis actu quam animi consensu Virginitas.*) Prosper in libr. Epigrammat.

Virginitas carnis intacto corpore habetur,
Virginitas animæ est intemerata fides
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris
Sed mentis pietas auget vtrumq; bonum.

PAG. 19. NVM. 1.

Communi edicto permisit.) Ansegis. lib. 1. cap. 81.

Ibid. 6. *Veterem disciplinam monasticam reuocare.*) vt scribit Sigebertus.

PAG. 20. NVM. 1.

Ne priore moriente lupus aliquis Principis.) Vide Ratpertum & Ekkehardum de Casib. monast. S. Galli.

Ibid. 2. *Germanorum Regis Imperatores.*) Chunradus Rex maiestatis reos iudicauit, qui negarent Imperatorem de Ecclesiasticis causis legendis ve Episcopis & surrogandis cognoscere posse. Vide Ottonem Frisingens.

PAG. 21. NVM. 1.

In collegiis & monasteriis quibusdam Germaniæ nostræ.) Vide Ratpertum, Ekkehardum, Conradum de Fabariis, Herman. Contractum, & Walafridum.

PAG. 22. NVM. 1.

Criminalium causarum cognitio.) Ansegis. libr. 1. cap. 6.

Ibid. 2. *Quod ne Episcopi quidem.*) In legibus Caroli frequenter Episcopis iniungitur, vt bene viuendo & recte prædicando, populis sibi commissis iter vitæ præbeant: Comitibus verò, vt iustitiam diligant & faciant. Vt hinc facile deprehendi possit, nihil minus cogitasse tum Episcopos, quàm de iure gladii in se transferendo, quod ab ipsorum officio longè discrepat. Vide lib. 12. c. 4. & 12. & passim, & Ansegis. lib. 4. c. 60.

Ibid. 3. *Certis de generibus causarum.*) Ciuilibus fere.

Ibid. 4. *Caroli & Ludouici legibus.*) Ansegis. lib. 4. cap. 79.

Ibid. 5. *Ad Comitem referebant Aduocati.*) Horum enim authoritas & Episcopis & Abbatibus patrocinabatur.

Ibid. 6. *Placita dicebantur.*) *Placitum* etiam Latina consuetudine id propriè dicitur, quod de re in multorum consilio quæsita & deliberata tandem inter ipsos conuenit. Vnde *placita Philosophorum* apud Ciceronem & alios antiquos dicta sunt. Hinc vulgatam formulam, qua Scribæ Regii etiam num in legum & constitutionum clausulis vtuntur. *Quoniam ita nobis placet*, ex illo vocabulo *placiti* deriuatam esse rectè existimat Hotomannus I. C. proque ea poni solere

solere. *Quia tale est nostrum placitum.* lib. Francogal. cap. 11. & comment. 1. de verbis feudalib.

Vt & Abbates irent.] Monachis vero ad placita ire prohibitum erat. Vide Ansegis. lib. 1. c. 69. lib. 4. c. 69. *Ibid. 7.*

Ludouicii Pii sanctio.] apud Ansegis. lib. 4. c. 93. & 46. *Ibid. 8.*

Repeti non sinebat.] Pœna 15. solid statuta, si quis testibus conuictus furi et vel 15. ictuum à scabinis accipiendorum qui causam prius iudicauerunt. Vide Ansegis. lib. 3. c. 31. *Ibid. 9.*

PAG. 23. NVM. 1.

Quæ si liberorum hominum fuissent.] Idem Ansegis. lib. 4. ca. 27.

In Chronicis Cœnobii.] Apud Raspertum & Walafridum. *Ibid. 2.*

Secessus.] *Recessus* pro solitudine Ciceroni etiam dicitur lib. 12. ad Atticum: *Mihi recessus & solitudo prouincia est.* *Ibid. 3.*

Nec multo erant presbyteris Parochianis celebriores Abbates.] Abbatis & Parochi. Par æstimatio, sicuti Monachi etiam & Diaconi. Ansegis. libr. 3. capit. 25. *Ibid. 4.*

Vt Episcopi veteri more, &c.) Idem Ansegis. lib 2. cap. 4. 8. & passim, auth. de sanctiss. Epis. auth. de Monach. collat. 1. Adeo subiecta Episcoporum administrationi Monasteria fuere, vt ne condi quidem Principes antiqui monasterium permitterent Episcopo non consulto. *Ibid. 5.*

PAG. 24. NVM. 1.

Iidem etiam Concilia, &c.) Vide Conc. Monguntin. Præside Bonifacio ann. 742. Gratian. caus. 16. q. 1. & 2.

Diuitias frugalitatem & pietatem, &c.) Immodicæ Ecclesiarum possessiones ad auaritiam & impietatem perducunt. auth. *Vt determinat. sit numer. cler.* collat. 1. *Ibid. 2.*

PAG. 26. NVM. 1.

Nec me fugit esse quosdam qui ius illud Pontificium defendentes, &c. ad Ludouicum Pium, &c.) Immo quidam Constantino IV. Constantis filio, qui Anno Domini DCLXX. imperauit, affingunt. Ita enim Sabellicus Ennead. 8. lib. 6. *Constantinus*, inquit, *Multa bona animi in Benedicto II. Cernens statuit, vt quem ante Clerus populusq. Romanus cum exercitu creassent Episcopum, is vere vicem Christi in terris gerere crederetur, nulla Imperatoris aut Exarchi approbatione exspectata.*

PAG. 27. NVM. 1.

Ex eo enim tempore quo sordidi quidam Episcopi.) Chrysostomus in homil. de Ioanne Baptista: *Neq. lasciuiæ dans seipsum perdidit, quam habebat, excellentiam. Quod enim non seruiebat lasciuiæ, monstrat sola solitudo & carcer. Si enim vellet mollibus vestiri, non eremum inhabitasset sed Regum palatia.* Et Hieronymus in Matt. cap. 11. ad illa verba, *Ecce qui mollibus induuntur in domibus Regum sunt, &c. Ex hoc ostenditur*, inquit, *rigidam vitam & austeram prædicationem vitare debere aulas Regum & mollium hominum palatia declinare.*

Quod quidem & Germanici postea Imperatores.) Exemplo Constantini Magni qui semper secum Sacerdotes tanquam animæ custodes habuit, vt testatur Euseb. lib. 2. c. 12. & seq. *Ibid. 2.*

PAG. 29. NVM. 1.

Veteres Monachi sæculum auersati.) Proinde ex Monasteriis veluti ex quodam Seminario legi & assumi consueuerant ad munera Ecclesiastica qui probatissimæ inter ipsos vitæ & eruditionis habebantur, vt docemur ab Augustino ad Aurelian. & ex c. nos autem, c. legi. 10. q. 1 & per totam illam quæst. In qua promotione Abbatis, de vita & moribus testimonium perhibentis, con-

sensus requirebatur. Ad ministerium autem Ecclesiæ vocati monasticum institutum officiumq; deserere cogebantur, vt maiori & præstantiori munere fungerentur, quia vtramq; simul obire & exequi posse non videbatur. Ideo & Clericus vitam monacham amplexus militiam suam, vt Gregorius ait, amittebat. Monachus enim non Doctoris sed plangẽtis habet officium: Clerici a. est docere & pascere populum. Quam ob causam cum nulli in monasteriis essent presbyteri aut Clerici, monachi tanquam cæteri ex populo qui *Laici* Græcè dicuntur, ad communem omnium ædem sacram percipiendorum sacramentorum causa se conferebant: interdum presbyterum accersebant, qui sacra celebraret, vt est traditum in c. non est, de regula. & à Panor. in c. dilectus. de Capel. Monach. Iustinian. nouel. *133*. & d. caus. *16* q. 1. c. hinc etiam. Ac idcirco, vt dictum est, tam monachi quàm eorum antistites Ecclesiæ presbyteri erant subiecti. Verum vt hac molestia liberarẽtur monachi, ne ad communem Ecclesiam accedere aut presbyterum accersere cogerentur, cœperunt postea ex his aliqui in suis monasteriis presbyteri ordinari, qui tamen, veluti quandam Ecclesiam inter se constituerent, in cœtu tantum suo sacramenta administrarent. Inde factum vt idem presbyteri, i. e. pastoris atq; Doctoris, & monachi officio fungeretur, d. c. *16*. q. *1*. c. peruenit, c. interdicimus. Tripert. hist. li. 8. Et iubebat lex Caroli M. vt monachus si ad clericatum peruenisset, propositum monachicæ professionis non amitteret, apud Ansegis. libr. *1*. c. *27*. Antea quidem & Gregorius Episcopũ in monasterio liturgiam celebrari prohibentem acriter increpauit: idemq; Bonifacius fecisse legitur. Postremò cùm ad lucrum & quæstum degeneraret religio, & auaritiæ furore vetus illa cum monastica tum Ecclesiastica disciplina & abstinẽtia quotidie deterius haberet, & ipsa ẽt in vrbe in Episcopos eligerentur qui monachi fuissent, concessum illis est, vt vel in monasteriis positi è laicis Clerici fierent, & reliquos simul ordines titulo tenus, h. e. sine cura pastorali, hac sola causa reciperent, ne quid eis ad meritoria illa pro viuis & mortuis sacrificia peragenda deesset. Post illa omnia & hoc indultum est eis, vt inter sese, Abbatis tamen arbitrio, presbyteros constituerent, qui Ecclesiarum duntaxat illarum Parochi dicerentur, quarum bonam reditum partem incorporationis prætextu sua in monasteria contraxissent, atq; inde vicarios mitterent fere sæculares (vt ipsi vocant) sacrificos, qui curæ animarum præessent. Qua re quantum farinę monasteriis paulo antiquioribus sit allatum, res ipsa facilè indicat. Ad recentiora verò quod attinet, non desinunt queri & lugere omnium Ecclesiarum egeni, quod ociosorum quorundam & paupertatis titulo sese venditantium hominum mendicitate omnis eis alimoniæ præripiatur occasio, qui fortes tamen & validi nescio, quæ opera & sacrificia venum exponere & licitari malunt, quàm manuum labore victum parare.

Ibid. 2. *Sed corpus etiam præscripto aliquo laboris genere.*] Labore manuum monachi victum quærebant, vt iam dictum. Qua de causa à Græcis χειρονάκται vocati sunt: Item ἀσκήται. Et item monasteria *ascetria & asceticum opus*. Et exstat tit. in Nouell. Iustinian. *De Ascete*, item in Codic. *ascetriorum* sit mentio. Vide Basilium in *quæst. compendio explicatis*, quæst. 284. & in *Moralib.* summa 48. capit. 7. Et Augustinus in Psal. 99. scribit: *Sic & in illa vita communi fratrum quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei: inde viuunt, cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt, non auarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis fratribus, cum sufficientia & cum charitate vtuntur. Nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent, &c.*

Qui ma-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [170] - 138
PUBLIC DOMAIN

Qui manuum labore victum quærunt.] Quod adeò verum est, vt celebretur in Ecclesiastica historia cuiusdam monachi apophtegma; *Monachus qui non operatur, latroni par iudicandus est*, Tripert. lib. 8. c. 1. Qua propter & Iustinianus Imperator; *Duabus*, inquit, *potissimùm in rebus operam & diligentiam reponere oportet Monachos, vt aut sacris vacent Scripturis, aut quas manuarias vocare solent artes decentes meditentur exerceant q.. Siquidem mens inerti ocio dedita haudquaquam sane quicquam bonorum pepererit. Nouell. 133. c. vlt.* Et Pelagius Pontifex de monachorum officio differens hæc tria ipsis attribuit, *quietem, orationem, & laborem manuum*, 16. q. 1. c. si cupis, & c. de præsentium. *Ibid. 3.*

Ne monasteriorum & Ecclesiarum bona diuiderentur.] Vide Concil. Mogunt. præside Bonifacio, anno 742. & adde Ansegis. lib. 1. c. 72. *Ibid. 4.*

PAG. 30. NVM. 1.

Mundam hoc, illud immundum cogitat.] 1. ad Cor. 8. 10. ad Roman. c. 14. & 15. Matth. c. 7. Col. 2. c. 17. 1. Tim. 4.

Vini vsus.] Vini vsum interdici voluit Ecclesiasticis hominibus Iacobus Magni in Sopholog. lib. 7. c. 2. *Ibid. 2.*

Meminit Augustinus.] Lib. 2. de Manich. morib. c. 13. & lib. 30. contra Faust. Tertullianus conflictationes animæ vocat ieiunia, *feros & aridos æstus*, &c. quę nostri *angarias*, Paulus ἀφειδίας ad Colos. 2. Kästigung/deß Leibs abbruch. *Ibid. 3.*

Quæ veteres voce paululum intenta recitabant.] Vide Augustinum lib. 10. confess. c. 33. & lib. 9. c. 1. *Ibid. 4.*

PAG. 31. NVM. 1.

De nigro autem tunicæ.] Ambrosius part. 3. serm. 94. de Augustino; *Nouum Christianum nouis vestimentis cucullæ nigræ induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitia donauit.* In Martyrolog. Rom. III. Non. Maij; *Mediolani conuersio S. Augustini Episcopi à S. Ambrosio Mediolanensium Præsule baptizati & monastico nigroq. habitu induti.*

Sed & barbam alere.] Anicetus Papa Primus constituisse dicitur, ne clericus comam & barbam nutriat, teste Mantyrolog. Rom. & Maurolyco Messanensi Abbate, XV. Kal. Maij. Ideò autem clericos & monachos rasos fuisse censemus, quod cuiuscunque apparatus & splendoris se contemptores profiterentur. Comám enim nutrire ij solebant, qui elegantiæ, ornatus & lauticiæ studiosiores essent. Hinc curiositatem & delicias veterum Romanorum in coma & capillis insectatus est Seneca his verbis; *Quid illos ociosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut dissecta coma restituitur aut deficiens hinc atq. illinc in frontem compellitur. Quomodo irascuntur si tonsor paulo negligentior fuit, tanquam viuum tonderet? Quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est? si quid extra ordinem secuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit Rempublicam suam turbari quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore quam de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? hos tu ociosos vocas inter pectinem speculumq. occupatos*, &c. de Breuit. vitæ, c. 12. Apud Lacedæmones sane, vt legitur apud Plutarchum, ingenui tantùm comam alebant. Hinc illud Aristophanis in Auibus, cuius meminerunt paræmiographi; δοῦλ' ὢν κόμην ἔχεις, id est, *seruus cum sis comam habes.* Idem quoque apud Francos in vsu fuisse ex lege Caroli Magni coniicio, quæ exstat apud Ansegis. lib. 1. c. 137. in qua de conuersione liberi hominis agitur, qui in monasterio comam deposuerit. Comam ergo deponere sanctioris cuiusdam deditionis argumentum fuit, vt auctor est P. Æmilius in Carolo M. Et huic sententiæ suffragantur ea, quæ scripsit Augustinus in lib. de operib. Monach. *Ibid. 2.*

cap.31.in fine, & in lib. Retractat. & Polydorus Virgilius de inuentio. rer.lib. 4.c.8. Quidam exemplo Nazaræorum Mosaicæ legis inductam rasuram vel tonsuram monachorum & clericorum putant, de quorum instituto mentio fit in lib. Numer. cap.6. & apud Ioseph. lib. 4. Antiquitat. Nazaræi autem dicebantur, vt quidam eruditi interpretantur, quos inter Origines in d. cap. 6. qui vt liberius vacarent legi, discendæ & expendendæ benignitati Dei, aliorũ commercio se abdicabant ad tempus & Domino se totos dedebant: vel qui cum profusiùs vino & reliquis corporis deliciis vsi fuissent, postea seuerioris vitæ generi se mancipabant, vt corpus affligerent. Gregorius Nazianzen. monachos Nazaræos vocat quasi segregatos & coronatos, & Basilium Nazarenum, orat. funebr. in laudes Basilij. Aliis à sacerdotibus Ægyptiis id ortum asserunt, quorum meminit Herodotus in Euterpe. Diuus autem Paulus in epistol. 1. ad Corinth. 11. indecorum ait viros comatos esse, idque naturam ipsam nos docere scribit: vnde sumptum est c. prohibete, distin. 23. Quæ admonitio huius Clericorum instituti forte causa fuit. D. verò Hieronymus, quod & in Decretis Canonicis scriptum legitur c. duo sunt, 12. q. 1. rasuram, quam *coronam capitis* vocant, ab institutione Ecclesiæ Romanæ esse, & rasum caput diuitiarum omnium derelictionem & temporalium depositionem significare dicit: ad capillos, qui remanent, aliqua sacerdotibus esse retinenda ad sustentationem. Quæ Glossæ interpretatio est, qua, vt Polydorus Virgilius inquit, *bene multi sacerdotes gaudent, ritusq; seruandi causa late verticem radunt; sed ex magnis opib., quas habent, nihil impertire, nihil deponere, nihil relinquere volunt.* Hodie profectò nulla alia magis causa tonderi videntur clerici, quàm vt cognitioni sæcularis, quem vocant, iudicis eximantur, vel vt Ecclesiasticum aliquod beneficium possint emere, quoniam habent bestiæ characterem. Tonsuræ autem olim, vt id quoque obiter notemus ex Rabano lib. 1. de instit. cler. in clericis admodum latæ erant, nec multo plus supererat crinium, quàm in monachis derasis supersit, cum hodie aliquot tantùm capilli sphæræ instar in vertice tondeantur. Illud quoque hic admonendum duximus, apud Francos promissam barbam intonsumque capillum. Regiæ nobilitatis insigne habitum fuisse, quod *capillitij regij ius* vocabant, vt qui Reges à populo creati aut Regio genere prognati essent, comam alerent, eamq; à fronte discriminatam vnguentisq; delibutam decus atque insigne regium regiæq; stirpis haberent, teste Amonio lib. 1. c. 4. & lib. 3. cap. 61. & Agath. de bello Gotthor. lib. 1. & Hotomanno in Francogall. cap. 4. Quod iis quandoque abscindebatur, quibus vel regnum abrogaretur vel adipiscendi regni spes adimeretur. Et exstat memorabilis historia de Regina matre Crotilde, quæ duobus filiis caput abscindi, quàm comam maluit, apud Gregor. Turonens. lib. 3 c. 18. lib. 6 c. 24. & c. 44. Cui rei causam dicit L. Salica in tit. 38. de homicid. paruulor. Tonsuram quoque pœnæ genus, idque graue & ignominiosum fuisse hisce personis, ex constitutionibus Caroli Magni, & aliis quibusdam Principum Romanorum, quæ apud Harmenopulum exstant, facile deprehenditur. Detonsi enim per iudicem in monasteria detrudebantur, qui vel mentis inopia vel animi libidine facinus aliquod designassent, aut indigni essent iudicati qui publicæ rerum administrationi præessent. Sic enim intrusi perinde atque in exilium relegati, aut in insulam deportati habebantur, &c.

Ibid. 3. *Criminosorum latibula haud rarò monasteria.*] Lege Iustiniani in monasteria intrudi iubebantur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores & Clerici, qui vel luderent ipsi vel ludentibus communicarent, vel publicis ludis spectaculisve interessent, authent. *de sanctiss. Episcop.* capit. decimo, & cap.

& cap. *si episcopus*, distinctio. quinquagesima. Fuit ergo & his carcer monasterium.

Pipinus Caroli Magni filius.) Eginhart. in vita Caroli Magni. *Ibid.4.*

Chunradi Imperatoris hoc nomine primi.) Quod refert Ekkehardus de casibus monasterij. *Ibid.5.*

Vt vilia etiam & abiecta ordine quodam gererentur.) Ansegis. lib. 4. c. 45. *Ibid.6.*

PAG. 32. NVM. 1.

Abbatum suprema & dignitas & potestas esset.) Ideo vocabantur *Archimandritæ*, quasi ductores agminis. Iustinian. auth. de monach. collat. 1. Sidon. Apollinar. lib. epist. 8. Iuuenal. satyr. 3. Martialis lib. 5. ad Paulum.

Et monachis qui ordinariis functionibus præerant.) Adeò vt ne librum quidem sine eorum consensu & auctoritate monasterio ausi fuerint exportare. Retulit mihi familiaris ille meus Goldastus, vidisse se in Bibliotheca monasterij Hailsbrunnensis, quod non longe abest Onolsbachio in Burggrauiatu Norinbergensi, vetustissimum librum ex orthodoxorum Patrum sententiis collectum, in quo primus eius monasterij Abbas monachis suis fidem pro libro his verbis dederit; *Hunc librum de licentia fratrum mecum sumpsi in iter Bauaricum*, &c. *Ibid.2.*

Perinde atque in veteri militia.) Exod. c. 18. *Ibid.3.*

Cen translatis diligentiæ vigilantiæq. nominibus.) Qua de re Augustini verba sunt in lib. de moribus Eccles. cap. 31. quæ adducit Bullingerus, de Errorib. fol. 55. *Ibid.4.*

Vt nouem hominibus decimus præsit.) *Decanus* caput contubernij. Vide Fl. Vegetium & Modestum. *Ibid.5.*

Qui vel villis vel humilioribus Ecclesiis.) Ansegis. lib. 1. c. 110. lib. 4. c. 45. *Ibid.6.*

Vicarij & Locumtenentes.) Zinßprobst vnd Statthalter. *Ibid.7.*

Damistas.) Vel *Arabarchas.* *Ibid.8.*

PAG. 33. NVM. 1.

Ad operam quamcunque honestam & sua professione dignam.) Neque enim abhorrebant ab hominum congressu, nec ita ocio dediti erant more pseudomonachorum nostri temporis, vt nihil in commune referrent, & se homines esse, hoc est, ad societatem hominum iuuandam natos, non recordarentur. Reperti quidem sunt, quorum superstitio nemini sano probari queat. Qualis ille monachus, quem Theodoretus refert sexaginta annis neque locutum cum vllo neque à quoquam conspectum fuisse. Hieronymus quoque in vita Pauli Simplicis Eremitæ, & alij de aliis. Sed rariora tamen fuisse hæc prodigia compertum est.

Laicis presbyteris.) Leyenpriester. Hi *Parabolani* olim dicti, ideo fortassis quod tem periculo plenam tractarent. Vide in L. *placet*, & in L. *parabolani*, C. *de episcop. & cleric.* *Ibid.1.*

Laica collegia multis olim monasteriis coniuncta fuisse.) Quorum fratres *Lolharti* dicti, qui alij sunt à *Laicis*, vt docuit Bebelius in Triumpho Veneris. *Ibid.3.*

Vt semel ingressis egredi iterum.) Ansegis. lib. 1. c. 26. & c. 69. lib. 4. c. 45. *Ibid.4.*

Pœna erat banni.) Apud eundem d. l. 1. c. 95. *Ibid.5.*

Quadraginta denarijs supputatũ æstimarunt.) Nec absimilis erat æstimatione aurei solidi, quem *Rhenensem* vulgo vocamus. *Ibid.5.*

PAG. 34. NVM. 1.

Xenodochia viderentur.) Xenodochia fuisse appellata docet August. tract. 97. in Ioan. vbi ait; *In Antiochia primũ post ascensionẽ Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum, & monasteria & xenochia postea sunt appel-*

appellata nouis nominibus: res tamen ipsa & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur.

Ibid.1. *Quæ hospitalia appellabant.*] Ansegis.lib.1.c.70.& lib.2.c.29.

Ibid.2. *Missi Dominici.*] Missi similes fuere illis, quos Græci ἐιρηνάρχας dixere, qui pacis publicæ curam gessere, contentionibus passim discordiisq; sedatis.

Ibid.4. *Vel à Canonum.*] In libris Ansegisi passim, lib.1.c.106.lib.2.c.12.& 26.lib.4, cap.34.

Ibid.5. *Regia diplomata.*) apud eundem d.lib.4.c.28.

PAG.35.NVM.1.

Tempore Ottonis Primi.] Vide apud Hirsfeldensem:

Ibid.2. *Perinde vt apud Romanos Proconsules.*] Vide Ciceronem, lib.1.epist.ad Q Fratrem, & ad Atticum, lib.8.

Ibid.3. *Duces rei maxime militari.*] De quibus in legibus Baioar.

Ibid.4. *Comites autem & eis inferiores Centenarij.*] Vide supra de Comitibus, & Ansegis.lib.2.c.6.

Ibid.5. *Missi ipsi quater in anno.*] Ansegis.lib.2.c.28.& lib.4.c.80.

Ibid.6. *Actione hinc data concessa*, &c.] Idem lib.4.c.21.& 44.

PAG.36.NVM.1.

Lex, *illa Pipino regnante lata.*] In concilio sub Carolomanno, præside Bonifacio, anno Domini DCC.XLII.

Ibid.2. *Nullus homicida, nullus adulter.*] Seneca in Declamat. scribit apud Romanos nullum obtinere potuisse sacerdotium, qui homicidium vel fornicationem commisisset. Vnde Iacobus Magni probus auctor, lib.7. Sophilog.cap. 1.exclamat; *Aut igitur apud gentiles sacerdotes digniores erant, aut tempore moderno sacerdotium passi merentur.*

Ibid.3. *Fœdissimum autem habebatur si Præsides.*] Vide Ansegis.lib.2.c.4.

Ibid.4. *Nullum vnquam labefactatæ pietatis.*] *Turpe est Doctori quum culpa redarguit ipsum*, vt est apud Dionysium Catonem,

Ibid.5. *Vestales suas stuprum passas.*) Vide apud Seruium, lib.2. Æneid.

Ibid.6. *Apostolis respondens.*) Matth.cap.7.

PAG.37.NVM.1.

Apostolus clamet.) 1.ad Corinth.1.

Ibid.2. *Secundas nuptias adeo eleuat.*) Tertullianus cum Catharis & Montanistis in quibusvis fidelibus secundas nuptias damnat. Hieronymus verò infensissimus quoties libuit nuptiarum hostis in clerico præcipuè damnauit. Vide Bezam in lib. de Polygamia.

PAG.38.NVM.1.

Facessant igitur pugnæ & luctæ illorum, &c.) Lege libros Gersonis de Pollutionibus, & fugæ.

Ibid.2. *Mulctantur fere sexcentis sol. qui immunitatem*, &c.) Ansegis.lib.1.c.134.& lib. 2.cap.26.

Ibid.3. *Et in lege Alemannorum.*) Et in lege Baioariorum, c.1.tit.7.

PAG.39.NVM.1.

Multis in locis capitale erat.) Vide in capitulis Caroli Magni, quæ ad leges Longobardorum addita sunt.

Ibid.2. *Qui Episcopum occidisset.*) Apud Baioarios si Episcopus interficeretur, fiebat tunica plumbea ad staturam occisi, & quod pensaret auro, tantum dare cogebatur qui occidisset. Si aurum non habebat, aliam pecuniam, vel res alias, donec totum debitum compensatum fuisset. Si verò non habebat quod daret, seipsum cum vxore & liberis Ecclesiæ in seruitutem dedebat, quousq; se redimere posset. Vide legem Baioar. in c.1.tit.10.

Licebat

Licebat autem comiti in vincula reposcere.] Anſegiſ. lib. 3. cap. 26. 18. q. 4. c. 26. & ſequentibus. *Ibid. 3.*

Hodie immunitatem vocant libertatem illam aſyliæ.] Iuſta certè aſylorum authoritas ea quondam fuit, vt iniuria affectis & potentiorum formidine oppreſſis & inſidias timentibus magis quàm ſceleratis hominibus ſeruiret, idq; vel Plutarchus in Theſei vita teſtatur, & Thucydides libro ſecundo. Tacitus etiam libro 3. fatentur, quibus expreſſum conuenit ius ciuile, in authent. de mandat. princip. & Cod. in titulo, de his qui ad Eccleſ. confug. Moyſes quidem ſacer ille Dux ex tribus, quas condiderat, vrbibus aſylum conſtituiſſe legitur, quod illis profugio foret, qui delicta non voluntariè commiſiſſent: & extant huius rei paſſim teſtimonia in libris ſacris, vt Exodi 21. Numer. 35. Deuteron. 19. Ioſuæ 20. 1. Regum 1. 2. 3. Romulus verò ad exemplum Cadmi Thebani, vt quàm ocyſſimè vrbs ciuibus repleretur, locum conſtituit, ad quem quiſquis quamlibet ſceleſtus confugiens ab omni pœna tutus eſſet, vt memoriæ prodiderunt Plutarchus in Romul. Liuius libro primo, Dionyſius Halicarnaſſ. libro ſecundo. Inde factum puto vt vbique fere gentium templa tantâ dignatione habita fuerint, vt qui ſupplices in ea confugiſſent, cuius vis criminis impunitatē conſequerentur, nec inde educi poſſent. Qua de Couarruuias libro ſecundo, Reſolut. cap. 22. Tacitus libro 3. Polyd. Vergil. libro 3. cap. 12. Coraſius libro 5. Miſcell. cap. 23. Quarum inſtitutum Pontifices poſteà Romani, increbreſcente ſuperſtitione, ſecuti ſceleratos quosvis quantumque grauia ſcelera commiſiſſent, Eccleſiarum immunitate gaudere voluerunt, cap. inter alia, de immunitat. Eccleſ. Dicitur autem *aſylum* à priuatiua particula *α* & verbo *συλάω*, ſiue *συράω*, quod eſt rapio, quia neſas ſit quemquam ex aſylo rapi. Hinc *aſyliæ* ius illud libertatis & veniæ, quod quis apud Eccleſiam vel aram conſequitur: & *aſyli*, homines ſacroſancti, quos attingere ſine piaculo vel prehēdere nō licet. Vidēdus Budæus in L. *quis ſit fugitiuus, §. apud Labeonem. ff. de ædil. edict.*

Vt ne in vrbibus quidem poſiti quicquam ferant ciuilium exactionum.] 12. quæſt. 2. cap. nulli liceat, cap. clericis, de immunit. Eccleſ. in VI. c. quanquam, de cenſib cap. non minus, c. aduerſus, de immunit. eccleſ. Iure tamen diuino & humāno muneribus legitimis & ordinariis obnoxiæ ſunt Eccleſiæ. Stata enim tributa & vectigalia, quæ *canonem* vocamus, cum Reipublicæ nerui ſint, nemo detrectare poteſt. Ideoque Chriſtus tributum Cæſari pendi non ſolùm præcepit, ſed ipſe etiam illud cum ſuis Apoſtolis exſoluit, vt legitur Matth. c. decimoſeptimo. Ab iis verò, quæ extra ordinem Principum arbitrio indicuntur, immunes ſunt, niſi graue aliquod periculum & neceſſitas immineat Reipublicæ. Quo caſu ratio poſtulat, vt eius etiam oneris partem homines Eccleſiaſtici ferant. Inter ordinarias autem præſtationes illam quoque collationem, quæ belli cauſa indici ſolebat, relatam olim fuiſſe tam ex iure Ciuili (leg. placet. l. iubemus. l. neminem. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. l. nullus. Cod. de Decurion. leg. 1. Cod. de Indict. 11. quæſtio. 1. cap. magni, & 23. quæſtio. 8 cap. tributum. Duaren. libro quinto, de Eccleſ. cap. decimo.) quàm Caroli Magni capitularibus conuincitur: eoque iure Regēs Franciæ etiamnum vtuntur. Optimo igitur iure monachis & clericis noſtris tam præfractè & ſine omni exceptione ius illud immunitatis prætendentibus obiici poteſt, quod Diocletianus Imperat. neſcio cui Philoſopho vocationem numerum poſcenti reſpondit; *Profeſſio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant. Nam cum Philoſophum te eſſe proponas, vinceris auaritia & rapacitate*, L. profeſſio. C. de muner. patrimon. *Ibid. 5.*

Anti-

Ibid.6. *Antiquorum Regum beneficientia.*) Vide Duarenum, libro quinto, de Eccles. cap.10.

PAG.40.NVM.1.

Antiqui nummi cernuntur.) Quorum ego aliquot habeo argenteos puros putos: sed quorum Regum aut Imperatorum fuerint nequeo discernere: quia nulla habent adiecta nomina propria. Ipsorum autem Episcoporum & Abbatum ne ex loco quidem licet cognoscere: quia omnes sunt vniformes, quorum apud Goldastum nostrum nonnullos admodum elegantes vidimus.

PAG.41.NVM.1.

Quos vulgo denarios.) Alamannis, Pfenning/vicinis Gallis adhuc Denier.

Ibid.2. *Apud eundem Gregorium.*) Lib.9.c.1.Dialogor.

PAG.42.NVM.1.

Mitra bicorni & pedo insignes.) Cuiusmodi nuper repertus in vinea quadam nostri Goldasti, ab altera tamen parte vacuus, formâ pari cândemq; cum angusto neq; amplitudine maior. Vt planè mihi persuadeam omnes eius ponderis atq; formæ nummos olim angustos vocatos.

AD LIBRVM SECVNDVM.

PAG.46.NVM.1.

Ad vulgaris linguæ vsum ampliorem excogitata.) Adeò vt eam etiam idem Carolus certis regulis & canonibus conceptam Prouincialibus (id est, Romanis) vt opinor, tradere tentauerit. Nam Germanicæ linguæ Grammaticam conscripsisse, testis est Einhardus, & alij. Quid si etiam barbaris & inconcinnis concionatoribus, qui ad populum dicentes verba Latina ita torquebant in Germanicum vsum, vt nihil minus quam Germaniam saperent, & à nemine ferè intelligerentur. Nec mirum illo tam barbaro & imperito sæculo, quo Germanicus sermo nondum scribi cœptus, aut certè paucissimis consuetus erat, non potuisse peregrina verba ac phrases in linguam Latinâ conuertere, quum superiori sæculo nondum reperti essent, qui illud præstare scirent, adeò vt in concionatores, quos *barbaros, inconcinnos, ineptos, insulsos depranatores Latinæ & Germanicæ linguæ* appellat, libellum ediderit Iacob. Wimphelingus abusuum sui temporis nõ ineptus æstimator. In quo inter alia; *Sic etenim dicunt illi illepidi concionatores; Dixit Iesus, ibat, ambulabat, sanabat, docebat, respõdebat*, Der HERR was sprechen/er was gohn/er was wandeln/er was gesundt machen/er was lehren/was antworten/*sicque de innumerabilibus: vbi simplex verbum Germanicum sufficeret*, Der HERR sprach / er gieng / er wandelt/ er macht gesundt/ er lehret/er antwortet. *Ille enim modus est Germanicus, præsertim in Heluetia, id est, Alsatia, & in Germania Vltrarhenana, quarum partes sunt Ortonauia & Brisgauia*, &c. Cuius loci & sententiæ simul me commonuit Goldastus. An & Othfrydus monachus Wissenburgensis Rabani Mauri discipulus ignaris linguæ sacerdotibus Grammaticam suam Germanicam præscriptam esse voluit? quoniam, vt Rabanus auctor est, suo tempore in sacris & cantu omnia ad plebis fructum & intellectum valuisse, hoc est (sicuti ego interpretor) Germanicâ linguâ celebrata fuisse.

PAG.47.NVM.1.

Extat apud nos Sangalli Psalterion à Notkero Monacho &c.) Est nunc penes me in mea Bibliotheca, quod vulgare & publicum in vsum dare recepit noster Goldastus cum ampliſſima priscorum verborum expositione. Quod hîc meminisse volui, vt ab aliis etiam amicis & rerum patriarum studiosis auris eius velleretur in datæ fidei memoriam.

Orati-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [176] - 144

Orationem Dominicam.] Retulit eam omnium primus à Vadiano acceptam Iohannes Stumpfius in Chronic. ſicuti pleraque omnia eius ſcriptoris, quæ de Turgouia & Podamico lacu leguntur, non ſunt, ſed noſtri Vadiani, velut ex eius commentariis à nobis aliquando cum Deo edendis Solemeridiano clarius fiet. A Stumpfio deſcripſit Geſnerus in Mythridate, ab hoc Nathan Chytræus in Notis ad Galateum Caſæ. *Ibid.* 2.

Omelias aliquot Germanicè ſcriptas ante annos plus minus trecentos.] Exſtat & apud Baronem de Hohenſaxium in arce Forſteckia venerandum antiquitatis monumentum, & quod verè aureum rerum Germanicarum theſaurum continet, abhinc annos CCCCL. & amplius ſcriptum ab Imperatore Henrico, Cuonrado rege Iuniore, aliiſque Imperij Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, &c. in certamine, vt Goldaſtus arbitratur, Muſico: qui mos ab Aulis noſtris deſueuit. Exſtant & alia apud Goldaſtum noſtrum, vt Henrici de Grauenberg Equitis Sueui, qui ante trecentos minimum annos vixiſſe mihi videtur. Nam librarius teſtatur ſe librum exſcripſiſſe de veteri codice abſoluiſſeque, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimoquinto, in die Palmarum. Habet & idem Goldaſtus Gavvani hiſtoriam, ſeu potius fabulam circa idem tempus ab incerto ſcriptam. Habet & Chriſtophori ab Helmſdorff compendium Bibliorum non infrà illa tempora ſcriptum. Habemus & nos Strikere cuiuſdam librum de geſtis Caroli Magni, & Rolandi in Hiſpania, & item Anonymi cuiuſdam Paraphraſin Poëticam ſupra illud æuum ſcriptam. Vtinam eſſent complures viri docti, qui eiuſmodi ſcripta diligentius, quàm hactenus factum, rimarentur. Non enim dubito fore, quin breui res Germaniæ noſtræ longe illuſtriores clarioresq; habituri eſſemus. *Ibid.* 3. *Ivo Rudolphi ab Ems, teſte Libliandro & Flacio Illyrico.*

PAG. 48. NVM. I.

Sed minus tamen longæuum noſtro.] Monaſterium *Augiæ Maioris*, ſiue *Diuitis*, quod appellant, fundatum eſt auſpiciis Caroli Martelli, anno Domini ſeptingenteſimo vigeſimoquarto, *ſexto anno regni Caroli, Land frido duce Alemannorum, & Pertholdo comite Durgauenſi*, quorum cura ea ipſa fundatio perfecta eſt. Fundauit autem in gratiam *Pirminii Epiſcopi*, qui monachis aliquot comitatus, Italia derelicta, zelo peregrinationis in Germaniam egreſſus eſt: à Carolo miro fauore excepti, & in eam inſulam, quæ tunc *Sindleſoua* vocabatur, deſtinati. Donauit monaſterium ex bonis fiſcalibus circumiacentium locorum pagorumque, in primis autem regia villa *Erfmuotingen*. Fundatum autem eſt *in honorem Mariæ virginis, & Apoſtolorum Petri & Pauli*, iuxta regulam ſancti Benedicti. Loca illa iam tum vinetis culta fuerunt. Voluit enim Carolus vt vinum, quod Euchariſtiæ conſecrandæ & Eccleſiæ erogandæ requireretur, ex Erfrutingen daretur. Hæc ex diplomate fundationis, cuius teſtes fuerunt ipſe *Carolus* Martellus, *Carolomannus filius, Pipinus filius, Hupert Maiordomus, Kaldrammus Archicancellarius*. Signum Caroli.



PAG. 49. NVM. I.

Post quem Lotharius.] Vel *Clotharius*, vt alij eum nominant. Rationem superius attuli ex Goldasti nostri opinione.

Ibid. 2. *Dagobertus Francorum Austrasiorum rex.*] *Dagobertum* hunc libri quidã Chronici falsò *Theodbertum* nominant, qui Hiltperti ex concubina filius quum patre mortuo regnum occupasset, repente est à Theodorico, secundo Hiltperti legitimo filio, auia Brunihilde instigante, apud Coloniam Agrippinam oppressus. Neque alius post eum Theodbertus, sed Dagobertus ille Lotharij filius, Austrasiis præfuit.

PAG. 51. NVM. I.

Arborem Felicem.] Propter agri fertilitatem nimium pomiferi, & omnium rerum abundantia gaudentis: tum etiam ob loci ipsius amœnitatem lacusque cum præterfluente Rheno amœnitatem. Sic *Arabia Felix* cognominata, quod frugibus, fœtibus, palmite, odorumque suauitate prædiues esset. Sic & *Augia Dives*, à quibusdam etiam *Felix* dicta.

Ibid. 2. *Paucas domunculas & eadem arctißimam*, &c.) Extant Chartæ nomine Gotefridi anno Ducatus eius vigesimo scriptæ, annis plus minus XIII. ante Abbatem Othmarum: in quibus apparet, Gallum in ædicula seorsim extructa conditum fuisse, & prope ipsam, Ecclesiam fuisse, cum iure Parochiæ, quæ forte illa est, quæ hodie sancti Petri dicitur. Nam pastorem tunc temporis fuisse, ea Charta testatur. Item monachum aliquem velut pro Abbate habitum, sicut eo tempore Scaftarium, cuius Charta meminit. Hæc Goldastus.

PAG. 53. NVM. I.

Quas mihi casu quodam videre contigit.) Quod ita accidit. Quum anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimoprimo, ciuitas nostra locum Monasterij, qui muris ambitur & includitur, à Confœderatis suis Tigurinis & Glareanis certa pecuniæ summa comparauissent, tum ciues primo ineuntis anni mense Palatium, quod vocant, irrumpere illudque primò despoliare cœperunt, vix lectorum supellectile saluata & aliò transportata ab Hieronymo Schovvingero Gossouensi patruo meo magno, Monasterij tum à IIII. Pagis Præfecto. Cumque omnium omnis ætatis hominum concursus fieret, omnesque anguli atque arcæ perscrutarentur, repertæ fuerunt in quadam cista Chartæ membranæ amplius 600. breues illæ quidem sed peruetustæ, in quibus continebantur omnis generis donationes, legata, redditus, census, &c. à Nobilibus & plebeiis, temporibus Ludovvici, Caroli, aliorumque Regum Franciæ, Monasterio datæ atque traditæ. Has Chartas quum pueri per vrbem gestarent, præcepit Senatus, vt in Curiam perferrent, ibique custodirentur. Quas tandem Vadianus, Consul creatus, ad se recepit, & aliquot in hoc secundo libro inseruit. Pars earum ad me, aliquot etiam nescio quo casu ad Goldastum nostrum peruenit.

Ibid. 2. *Primùm vici, deinde oppida muris cinêta*, &c.) Præter commemorata est etiam vno à nobis miliario oppidum satis elegans atque amœnum Episcopi Cella, quod primò Monasterium fuit à Salomone Constantiensi Episcopo fundatum, postea abiecto habitu monachico Collegium factum, tandem succrescentibus ædificiis muro cinctum. Idem cum Lucerna accidit.

PAG.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [178] - 146

PAG. 54. NVM. 1.

Regiam habuerũt apud Thuregum Carolus, &c.] Tiguri locus fuit insignis cum arce & palatio, quo frequentissimè vsi sunt Francorum reges. Habuit eadem arx sacellum nobile, quod vna cum arce post mortem Friderici Secundi funditus euersum est. Locus arcis hodieque eminens est cum arbusto amœnissimo, & lingua Germanica, auff dem Hof vocatur. Durauit idem palatium, anno Domini 1153. Exstant enim litteræ Wernheri comitis de Baden, quæ Friderico Secundo regnante in eodem palatio Imperiali datæ sunt.

PAG. 55. NVM. 1.

Iusiurandum etiam in iudicio præstabatur, &c.] Plures etiam simul iurarunt, eo more qui traditur in fine legis Ripuariæ. Cum aliqui illis, qui per iuramentum coram Missis (i. legatis) dixissent, obgannirent, testes spatis suis apprehensis deuotabant, se hoc quod dixissent, coram Regibus & Principibus dicturos & affirmaturos vsque ad sanguinis effusionem.

PAG. 56. NVM. 1.

Super fluuiolum Stainaha.] Sic barbari monachi dixerunt, quam qui elegantiores haberi studebant, *Petrosam* nominarunt, vt Ratpertus & Ekkehardus.

PAG 57. NVM. 1.

Gallonem.] Hinc *Sanctigallunum* in vetustissimis tribus chartis legitur; sicut à Reginone *Reginunum*, quod *Regium* hodie dicitur.

Vnde & militiam ingredi & stipendia merere.] Militarunt monachi etiam sub Francis, interdum nonnihil militia exempti, præter eam quam Imperator iniisset. Hinc veterum Abbatum militandi officium, quod more magis Gentis quàm iure vllo receptum & institutum est. Abbas Augiæ cogebatur militare, vt & S. Galli. Episcopus euocabat Abbates, si quando Cæsar expeditionem parans, illos adesse mandasset. *Ibid. 1.*

PAG. 59. NVM. 1.

Vicus ille Wasserburgensis.] Wasserburg, celebris vicus tempore Caroli Imperatoris, in quo Gozbertus Abbas curtes aliquas donatas monasterio habuit, sicut aliis in locis multis. Abbates habuerunt *Curtes*, id est, Kelnhöf/ siue Kemmhöf/ in aliquot villis, vt Gossovv, Herisovv, Romanshorn, &c. ad quas multi census redditus q; dabantur ad monasterium perferendi.

PAG. 60. NVM. 1.

Frequenter autem masculis.) Hinc *feuda masculina*, Mannslehen.

PAG. 61. NVM. 1.

Tanto asseuerationis studio, vt videri queat dubitatum de ea re fuisse.) Nec iniuria. Nam quum anno 1529. Senatus decreto, cui etiam ipse Vadianus interfuit, præsentibus confœderatorum legatis, nempe Tiguro Diethelmo Rœstio cõsule, & Iacobo Wertmullero Quæstore, & Glaronâ Cunrado Schindlero & Fridolino Klinio, loculus S. Galli adaperiretur, nihil in eo repertum fuit, præter imagunculas ligneas, linteamina vetustate putrida, caluariam, & ingentem quendam dentem. Nec alias reliquias in Othmari loculo rerepertas ipse Vadianus oculatus μάρτυς in schedis suis testatum reliquit. Verterque autem loculus erat admirandi pretio & artificio operis, ex auro, argento & cupro inaurato vnionibus & margaritis pretiosissimis ornato, ex ebore anaglyphico, &c. Has Galli & Othomari reliquias maioribus nostris impu-

impudentissimi illi hypocritę adorandas ostentarunt, his tot diuitias atq; innumeros fundos concumularunt. Erat prȩter hos loculos & ingens quędam crucifixi imago, quæ in Litaniis & orationum indictionib. olim circumferebatur. In ea itidem nihil repertum, præter veteres quosdam nummos Sangallenses: ipsa autem crux ex ligno tiliaco fabricata, simulacrum autem crucifixi pice & bitumine fartum. Quam rem magnæ fuisse circumstantibus admirationi, memoriæ reliquit idem Vadianus: quoniã monachi superstitiosæ plebi nescio quas pretiosas reliquias in ea cruce asseruari pro concione semper persuaserint. Erat consuetudo maioribus nostris tempore litaniarum & solemnium festiuitatum panes & alia edulia cruci admouere, persuasi ex eius tactu benedici atq; sanctificari. Ita miseris modis maiores nostri à seductorib. istis seducti fuerunt. PAG. 62. NVM. 1.

Vulgo Morsswilen.] Mörschwil / olim sub Salomone Episcopo vocabatur *Morinesuuilare*, vt & in hac charta, & *Isanbrechtsuuil*.

Ibid. 2. *Libra & pondo Latinis scriptoribus.*] Vsurpasse etiam *Libræ* nomen Germanos, nota hæc lb, qua pondo hodieq; significatur, demonstrare videtur.

PAG. 64. NVM. 1.

Alij inde vectum Campodunum.] Otho Frisingensis, lib. 6.

PAG. 68. NVM. 1.

Annum regni eius XXXV. indicet.] Duas chartas vidi, quæ habent annum XLVII. regni, sub Grimaldo Abbate.

PAG. 69. *

Lotharius iunior ab Hadriano Pontifice excommunicatus.] Otho Frisingensis, lib. 6. c. 3. & Vrspergensis.

Ibid. 1. *Crassi ex fratre nepos licet illegitimus.*] Alij legitimũ Carolomanni filium fuisse contendunt. PAG. 70. NVM. 1.

Eo honore reliquo sexennio functus est.] Rerum gestarum gloria insignis. Vide Sigebertum.

Ibid. 2. *Cui Lotharij regnum tradidit.*] Et præterea Ludouicum, qui Patri in imperio successit. PAG. 71. NVM. 1.

Tractum aliquem terrestrem Gouu vocant.] *Marcas* autem vocarunt, quæ nunc territoria, vulgo Gegirten appellant. Hinc Zukuriederomarc, Gosslovveromarko, &c. In chartis tempore Pipini, Caroli & Ludouici, & posterorũ scriptis, vt quidem exemplis docet noster Goldastus.

Ibid. 2. *Quos mallos & placita vocant.*] *Malli*, Landgericht / quorum nomina adhuc durant, Landtgericht im Turgow / By Rauenspurg / By Ranckwyl / comitum de Montfort, & aliis locis Alemanniæ plurib. Dixi 3. ex sentẽtia nostri Goldasti.

PAG 73. NVM. 1.

Dabantur à Principe aduocati.) Sine quorum manu Abbates nihil ausi ratificare, tradere, vel cambire. Si Aduocatus abesset, consentiebat Vicarius. Posteriores Principes sibi vindicauere nonnunquã aduocatias Monasteriorũ & Collegiorum, quum Pontificum auaritia grassari in Germanorum Ecclesias cœpisset, circiter annum millesimum ducentesimum. Sic Ruodolphus rex, qui comes erat ab Habspurg, Aduocatum se monasterij Tigurini fecit.

Ibid. 2. *Deinde & curiæ Magister.*) Nota, in monasteriis Hofmeister Ampt / esse plano nouum ac recens officium.

PAG. 75. NVM. 1.

Vlrichus Zasius:) in L. *si non sortem.* ff. *de condict. indebit.*

PAG 88. NVM. 1.

Ahadorf ad Aham amnem.) *Ahadorf* tempore Caroli, celebris vicus & Ecclesia tituli S. Alexandri Martyris. Fuisse videtur iuris monasterij Sanctimonialium, vt ex aliis vetustis litteris coniicimus. Atq;

Atque hæc ἀυτοσχεδιάζοντες & quasi aliud agentes, quæ inter legẽdum memoria suggessit, annotare primùm in margine, & pòst, quia nõ indigna amicis videbantur, quæ à Christianis & ęquis lectoribus cognoscerentur, tumultuaria colligere opera, & in hunc libellum conijcere placuit, quem tamen accurare per forenses non licuit occupationes. Finem faciemus, vbi prius ea apposuerimus, quæ in aliis schedis quibusdam Vadiani manu exaratis deprehendimus. Noluimus enim te fraudare vllo tanti viri κειμηλίῳ, quod quidem ad institutum faciat operis præsentis. Sic autem habent schedæ.

Francorum & Longobardorũ temporibus, quoniam occupatis iam prouinciis Romanis longe lateq; præesse cœpissent, cantandi in sacris ritus admissus immodicè atque auctus est: idq; Principum & Nobilium cura & studio. Semper enim cantandi sese studio Germani oblectarunt, & Monachi, qui in Principum gratiam emerendam semper studiosissimi fuere, nulla parte magis gratificari Principibus sunt conati. Inde cantus plusquam barbarus & clamosus admissus. *Cantus.*

Denarium vnum in argento probato aut ferramentis, aut vestibus nouis, &c. His modis censum præstabant sub Gozberto. *Census.*

Sub Werdone pœna violatę donationis, &c. *A sacrosanctis altarib. excommunicetur*, anno Catoli XVI.

Tempore Salomonis *Romanishorn* ad monasteriũ S. Galli attinuit. Sub eodẽ Milo quidam censum de *Sumbri* ad monasteriũ ordinauit, pro animæ suæ salute. Salomonis Aduocatus fuit *Puoto*.

Sub Grimaldo factæ donationes ad monasterium, quo nutrirentur iuuenes quoad ad prouectiorem ætatem peruenerint. Adalhart de Itingen cum suis aduocatis, Eginonis & Marthrati.

Thiota Abbas, qui & *Thieto*, sed in antiquis Tabulis *Thioto*. Eo tempore Comites sub se *Tribunos* habuere, vt habet vetus Tabula, *Bernhardum Comitem*, *Wittonem Tribunum*, &c. sub tempore Thietonis.

Gozberti Aduocatus fuit *Adalrammus*, anno XII. Ludouici Imperatoris.

Tempore Ludouici tres sorores in Altsteten, diuiserunt hæreditatem: quarum vna Regi partem suam, altera monasterio S. Galli, tertia sanguineis dedit, &c.

Bernhardus Abbas, *Witto* aduocatus, anno primo Arnulphi Imperatoris.

Engilberti Abbatis aduocatus fuit Hugebertus, anno regni Henrici XI. Item Hartmuoti Abbatis Wolfpertus aduocatus, anno XI. Catoli Imp.

Sub Bervvigo Abbate, fuit Ludouicus rex Alemanniæ, in Teutschlandt: & Ludouicus alter Imp. in Francia, sub quibus Geroltus comes in Turgouia.

Sigmarisvvang olim dictum, quod hodie Syberwang / tempore Grimaldi Abbatis, *& Lutoldespurg* quod nunc Lütisburg.

Egino Episcopus, etiam *Etegino* dicitur, tempore Caroli Rector Cœnobij S. Galli. Aliquæ litteræ testantur, Eginonem Episcopum præfuisse monasterio sub Werdone vel cum Werdone Abbate.

Villa *Pappinheim*, testibus antiquissimis litteris, fuit in Pago Turgaugiensi, nempe tempore regis Caroli anno II.

Ante Salomonem & sub eo *Bibliothecarius* fuit in nostro monasterio, hoc est, præfectus Bibliothecæ, & qui libris scribendis & apparandis operam nauaret. Qualis sub Salomone fuit Walrammus monachus. Erant autem Bibliothecarij fere scribendi probè periti.

Lacus Bodamicus ante natiuitatem Christi, & multo etiam post tempore dictus fuit *Cromus* lacus (Cromasee) vnde *Cromanshorn*, quod postea *Romanshorn*, nunc Romishorn. Latini eum *Acronium* appellarunt, vt Pompon.

Inter officiales personas monasterij nostri fuit *Ædituus*, non contemptus nec postremi ordinis: quippe qui etiam Tabulas Donationum signaret, & in testem citaretur.

Sub Beruvvigo Abbate scribitur in litteris Donationum, *Hludouuicus Imperator, & Hludouuicus iunior rex Alamannorum*, tempore Geroldi comitis Durgauiæ: quo tempore Puato aduocatus claustri fuit, Isanbert Decanus.

Sub Vlrico (puto) Primo littera Donationis sic habet in fine; *Notavi regis Ottonis adhuc pueruli annum V. Cuonrado duce, Handolto comite, &c.* Eo tempore Herisovv ad monasterium pertinuit.

Anno Domini DCCCCLXXI. fuit annus X. imperij domini Ottonis, duce Burkardo, comite Eberhardo. Fuit sub Abbate Burchardo.

Tempore Ludouuici regis *Herinsovv* Parrochia fuit sub Salomone Abbate, longe antiquior Ecclesia Abtzellana. In antiquis litteris Carolus Magnus, postea Imperator Augustus fact⁹, inscribitur ita; *Regnante domino Carolo rege Francorum & Longobardorum, seu Patricio Romanorum.*

Sub Abbate Grimaldo aliquæ litteræ sic subscriptæ sunt; *Anno XXXVI. regni Hludouuici regis, sub Ruadberto vicario Carolo filij regis.* Hic Carolus fuit Iudithæ filius ex Cæsare Ludevvico.

Tempore Othmari *Carolomannus Maiordomus* in litteris aliquibus Donationum subscribitur. Fuit frater Pipini. Habuit & Carolus fratrem Carolomannum. Item ea ætas habuit in monasterio *Lectorem*, qui se hoc titulo sæpe subscribit sub multis Abbatibus.

Sub Gozberto Abbate subscribitur in aliquibus litteris; *Regnante domino Hludouuico Imperatore nostro, anno XVIII. Carolo verò anno III. sub Erchanbaldo comite in Turgouia.* Carolus fuit filius Iudithæ, vocatusque fuit Iunior, & habuit partem diuisi imperij.

Scalch veteribus Francis seruus dicebatur. Inde in antiquis litteris *Scalcho*, inuenitur etiam Latinis pro seruo, & velut proprio nomine serui. Salomon attigit imperium Conradi, sub quo serui Schalch dicti.

Grimaldus Abbas Hartmuotum substituisse videtur viuus & valens. Nam ita litteræ quædam sub Grimaldo datæ sonant: *Signum Grimaldi Abbatis & successoris eius Hartmuoti Abbatis, qui hanc chartam prius neglectam cum manu Aduocati sui Helidberti eidem Thiotpoldo consignauit.*

Seruos diu habuerunt Monachi & Abbates, inter quos & concambia cum comitibus & liberis hominibus fecerunt: & *latentes* appellarunt bonis eorum ad monasterium ordinatis.

Claustrum nostrum in antiquis litteris etiam Caroli tempore, scribitur, *situm in Durgauvve in pago Arbonensi, & Ducatu Alamanniæ.*

Stimheim sub Pipino celebris vicus. Et aliquæ litteræ subscribuntur in hunc modum; *Regnante Ludouuico rege in Orientali Francia.*

Cadaloh comes Perchtoldi filius Monasterio nostro multa prædia villæ *VVange* & partem suam basilicæ ibidem constructæ, anno XXXIII. Caroli regis Francorum.

Agaunum vetus est & fundatum à Sigismundo rege Burgundiæ, Sigrichi regis patre, anno Domini 510. præter propter. Vocatur hodie *S. Mauritij in Vallesia* zu S. Moritzen in Wallis.

Vvighardus & Ruopertus fratres, Duces militum Alemanniæ, siue Sueuiæ, sub Ludouico Pio, diuisa hæreditate paterna, Principis consensu, duas Ecclesias fundarunt: alteram in *castro Turicino* iuxta fluuium *Lindemacum* Ruopertus Dux; alteram ad *Lucernam* & fluuium *Rusam* Vvighardus, in honore sancti Mauritij, & sociorum eius, & sancti Leodegarij Martyris, &

ris & omnium Sanctorum, instituto Monasterio, & se Abbate facto quot potuit Monachos eo conuocauit, Alluuico quodam docto & scripturarum perito homine ordinato, qui Euangelii prædicatione multos illius Regionis homines religionis amore inflammauit. Eundem postea successorem suum constituit, & rectorem cœnobii fecit, anno Domini 693. Hic fuit *Ludouicus Pulcher* cognominatus, quem Galli Clodoueum vocant, qui & *Alemannos* subiugauit, quorum iusta pars erat, qui hodie à veteri loci gente *Helvetii* dicuntur. Vide Contractum in suis Chronicis.

Caroli ætate *Lindemagus* amnis, qui Tigurum secat, dictus est, vt patet etiam in litteris Dotationis Caroli Magni, quæ Tiguri visuntur.


Carolus *Ecclesiam Tigurinã Canonicorum* non fundauit sed auxit redditibus, quos passim ceu stipem quandam nobilitas coniecerat, quo animas criminibus alligatas redimerent. Ea enim causa motos fuisse Carolus ipse suo diplomate testatur. Vocat autem *dotales donationes* reditus illos, quos de suo nobiles contulerunt ad victum & alimoniam canonicorum, quia tum sub vno tecto & vtris in ædibus, quas *Monasterium* vocabant, habitauere, vno pistore & promo communi condoq; vtentes. Ea re & *Fratres* vocabantur, quanquam nulla Monachismi regula tenerentur.

A Ruoperti fundatione vsq; ad dotationem Caroli anni interierunt 107.

Canonicæ Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiorum Monasticorum *Parochias*, hoc est agro suo, qui *Diœcesis* vocatur, positos homines sua prouidentia curabant, & famulatu competenti populo seu Ecclesiæ deseruiebant, pastorali vigilantia magno labore adhibita. Demum crescentibus diuitiis, & ocio, vt fit, adlubescente, cessatum est, ad luxum videlicet & ambitionem conuersis animis: & pauci delecti seorsim qui plebi præessent, *Plebaniq;* vocati sunt.

Cantores sero multis in Ecclesiis instituti, & canendi morem minus quàm pronunciandi veteres illæ ædes tenuere.

Monasterium Tigurinum Sanctimonialium conditum & fundatum est à Ludewico seniore (nam Calui filius vocatus est Iunior) Caroli Crassi patre, qui *Curtim* suam vrbis Tigurinæ, vt ipse in litteris fundationis vocat, cum integro iure & omnibus ad se pertinentibus redditibus eo contribuit. Pagum etiam *Vronia*, qui hodie *Vri* dicitur, quem & *Pagellum* vocat, cum mancipiis & iure omni ad præfatum Monasterium contribuit. Ludowicus eius primam Abbatissam filiam Hildegardam constituit, & præfata omnia concessit, sicut litteris fundationis clarè continetur: Pollicitus tuitionem & immunitatis defensionem, &c. *Mundiburdium*. Datæ sunt litteræ, *Anno XX. Regni Orientalis Francia, in Regenspurg*. Signum Lhudevvici,



Idem anno regni eius XXVI. *Chanam* curtim, quæ in pago Thuregiensi est. Monialibus Tigurinis donauit.

Idem Ludouicus anno regni eius XXXII. Orientalis Franciæ, eandem immunitatem confirmauit ad preces Hemmæ coniugis suæ, quæ filiam Bertham Hildegarda defuncta eidem Monasterio præfecit.

Post hunc & Carolus Crassus filius omnia à patre concessa confirmauit,

donationibus & immunitate confirmatis, anno 883. in oppido Vlma. Lagum Zurichgaugensem vocat, vbi constructum sit Monasterium.

Idem Ludouicus Senior Caroli Crassi pater, Sacellum S. Petri in villa Zurich eximiis reditibus donatam, in beneficium Beroldo presbytero, qui Hildegardæ filiæ fideli ministerio seruierat, cōcessit. Huic sacello capellas duas Vallis Vroniæ coniunxit, in locis nominatis *Burgela & Sylina*. cum mancipiis, decimis, terris, cultis & incultis, donauit ea conditione, vt eo mortuo res prædictæ ad prius memorati Monasterii vsum & possessionem reuerterentur. Facta est hæc donatio Anno regni Ludouuici XXV. in Orientali Francia.

Iurisdictio vel Caroli ætate concessa est Monasteriis. Quod satis ex Diplomate fundationis Augiæ deprenditur. De *Imperio* vel *mero* vel *mixto*, nulla prorsus in vllis antiquis litteris, quas quidem ego viderim, mentio.

Henricho IV. Imperante ita primum irrepsit simonia, emendis Abbatiis & Monasteriis Episcopatibusq; vt in aula Principis omnia vænū prostarent. Author mali fuit Rupertus Abbas Bambergensis, qui mercatus erat Abbatiam Fuldensem 100. Marcis auri ab Imperatore, à quo præterea quicquid voluit pecunia impetrauit, testante Lamberto in Chron.

Francia Theutonica Lamberto dicitur, quæ antea *Orientalis* dicta est, quum Germanici adhæc Reges Franci in occasu imperarent. Quibus extinctis Prouinciales illi successerunt, qui lingua vtuntur Latina corrupta aut Prouinciali.

Clodoueus, primus Christianus Rex inter Francos, Alemannos vicit, Carolus Pipini filius rebellantes compescuit.

Ducatus Sueuiæ valde antiquus est, & vt ex actis Francorum coniicitur, eo tempore constitutus in *Alemannia*, quæ & *Sueuia* dicta est, quum à Rege Ludouico deuicti, & regno Franciæ additi, ac velut in Prouinciæ formam redacti sunt, quod circiter annum Domini 500. accidit. Hic Ludouicus socer fuit Theoderici Regis Gotthorum. Regnum autem invasit vel recepit patre Childerico mortuo, anno Domini 483. Ex Volaterrano.

Tanta fuit authoritas Cæsarum in Episcopis numerandis & eligendis etiam sub Hainrichis, qui post mille annos post natum Christum imperarunt, vt Hermānus Contractus in collectaneis suis Chroni. Cunradum quendam Colonien. præpositum. Treuerensem à Cæsare nominatū, sed à Clero tamē & populo reiectum, nihilo minus tamen sese intrudentem, ac propterea interfectum, martyrio coronatum esse scribat: cum iure tamen diuino rite electus non sit, nisi qui & cleri & populi consensu fuerit admissus. Et Francorum etiam ætate legendi Episcopi authoritas penes Ecclesiam, inuestiendi autem penes Cęsarem extiterit. Quod contractus ignorauit. Vide Platinam in Damaso II. fol. 68. & in Leone IX.

Monasteria primum ab exteris, deinde à seipsis ob intestinas dissensiones & rixas, quas ambitio & amor habendi excitarant, afflicta sunt: Semper tamen ex donis & eleemosinis recreata, demum & corporationibus ditata.

Tempore Henrici III. Gregorius V. inuestituras Imperatoribus extorquere conatus est. Vide Vincentium lib. 26. specul. hist. vide Vrspergensem.

Henricus II. Primus omnium per electorum Principum suffragia Imperium suscepit. Vide Palmerium pag. 131. & Platinam in Gregor. V.

Inuestituræ ius non solum iure diuino commmune esse debet Principib. & Magistratibus Christianis, hac causa quod & ipsis honor & subiectio debetur exemplo Christi & omnium Apostolorum, sed etiam ea causa quod in maiore parte omnium donationum Ecclesiasticarum ius habet patronatus, quia

qui ex ipsorum opibus omnes & subditorum donis fundatæ & in temporaria prouisione donatæ sunt. Id quod à primo Constantino ad vsq; Iustinianum, qui res Ecclesiarum totius Imperii Romani curauit, vsq; ad nostra tempora clarius notiusq; est, quàm vt multis necesse sit exponere.

Galli adhuc retinent ius inuestituræ Episcoporum & Abbatum ex Lege Pragmaticæ sanctionis. Quam rem impiam esse Volaterranus in Carolo VI. scribit: Sed pia vt sit Romanus Pontifex fecit, postquam ei omnia venalia facta sunt.

Tributum Anglicum quidam Adulpho Regi tribuunt, qui Lothario Ludouici Pii filio imperante regnauit, ut Antoninus ex vetustioribus Chronicis tit. 16. libri historial. §. 1. annotauit.

Iuditha Ludouici Pii coniunx, Caroli Calui mater, Turonis in Monasterio S. Martini sepulta est.

Pugna iuxta Altisiodorum facta est VII. Calend. Iulii, feria VII. Hora diei quasi secunda in villa Fontis, quæ distat ab Altisiodoro 8. miliaribus Francicis.

Theodericus Ostrogothorum Rex mortuus est Rauennæ anno Christi CCCCLXIII. authore Blondo lib. 3 Decad. 1.

Gothi ex Italia penitus pulsi, anno Domini DLXIV. authore eodem libr. 4. Decad. 4.

Albuinus Langbartorum Rex sedem Regni Italici Veronam fecit. Nocuerunt templis & Sacris Langobardi, quia nondum Christum imbiberant.

FINIS.



IOAN.

IOANNIS COMANDRI EPISTOLÆ

AD IOACHIMVM VADIANVM COS.

DE ANTIQVITATIBVS CVRIÆ IN RETIA PRIMA.

GRATIAM & pacem à Domino Iesu Christo. Literas humanitatis tuæ accepi, vir ex mie, ac in primo versu exhortaris me officii iamdudum impositi, vt ex annalibus, si qui forent, scisscitarer exordia & fundationes Cathedralis Ecclesiæ ac Monasterii Diuo Lucio sacri. Ego quidem diligenter sciscitatus sum apud Diuum Lucium per omnes fratres eius conuentus: at hucusq; nihil reperi. Ante mensem miserant ad me ingentem Codicem membranis descriptum, antiquum, in quo præter historiam Diui Lucii, quomodo à Beato Timotheo quondam ad Christi fidem conuersus dicitur, penitus nihil reperi. His verò diebus ego ipse Monasterium ingressus perlustrare cupiens annales eorum. At illi suarum rerum adeò ignari vt nihil suprà, non norunt tempora primordiorum neq; nomina fundatorum. Demum sic respondebant, Monasterium illud Præmonstratensis Ordinis nũc, quondam ordinis Diui Benedicti fuisse. Hoc quoq; certũ, esse Monasterium suum ante annos plurimos flamma penitus consumptum, & post quadraginta annos rursus pari clade interiisse: ob quam causam suarum antiquitatum nihil reliqui repetiri posse. De Cathedrali Ecclesia nihil quoq; certi adhuc adeptus sum. Custos eius Ecclesiæ promisit me in archiuum introducturum, vt ego ipse libros eorum verram ac à puluere discutiam. si quid reperire possim. Hoc quidem, quantocius potuero, faciam. Ego quidem, Doctissime Vadiane, hoc suspicor, hominibus illis suarum fundationum bases & exordia adeo lubrica & fabulosa videri, vt potius celare libeat quàm prodere in lucem. Nihilominus operam dabo continuò & pro virili, vt aliquid nanciscar tuo operi dignum vt inseratur.

Quo Mussius diuerterit, prius ad te scripsisse puto. Dicuntur varia de eo. Certum est quod ad palacium quoddam parum munitum admissus est paucis viris, ac perpaucis munitionibus, etiam tormenta sua in quodam loco dimittere coactus est, & quæ ad tormenta pertinent, vt puta puluerem & lapides, in aliis locis, vt quando videre libeat concedatur, sed coniungere non permittitur.

De monasterio Diui Lucii Iacobus Salandronius noster piæ memoriæ ita dicebat, virum quendam nobilem de Vndervvegen ex Scanfit valle quondã aquis Blasuræ suffocatum ac illic sepultum & pro Diuo Lucio venerari, & à suis monasterium illud initia sumpsisse. An fabula sit nec ne, ignoro. Vale. Ex Retorum curia, 26. Iulii, 1532.

ALIA.

ALIA.

Gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. Imperasti mihi iamdudum, vir spectatissime, vt diligẽter inquirerem primordia & fundationes templorum Kathedralis & Diui Lucii. Ego quidem quàm sanctè iuro, quod diligentissimè inquirendo indagandoq; nihil perscrutari possum. Monachi diui Lucii prorsus ignari sunt suarum rerum. Deniq; perlustraui ego ipse eorum Bibliothecam: at nihil reperi præterquam hæc Barbara verba in quodam magno Codice Homeliarum: *Anno Domini millesimo CCC. XXX. Anno combussum est ecclesia sancti Lucii Regis & Confessoris in die sancti Lucæ Euangelistæ.* Postea sequitur de Ecclesia quando consecrata sit, & de reliquiis altaribus inclusis. De Ecclesia Kathedrali exactè quæsiui apud Magistrum Lucium Iter eius Ecclesiæ Canonicum & custodem, etiam apud M. Gaudentium de la porta (aliàs Byæsch) Canonicũ: qui pariter respondebant, scilicet sese monumenta non pauca habere suarum antiquitatum in deposito recluſa, sed eis non esse locum aut tempus perlegendi, nisi aliqua necessitas vrgeret. Idem responsum dederunt etiam Ægidio Scudo, qui eadem rogauit quæ ego, vt suis Chronicis inseret et. Nihil itaq; aliud nunc respondere possum. Dabo tamen operam in posterum, si quid per me aut aliũ quempiam inuestigare queam.

Cæsarem aiunt Mantuam venisse ante aliquot dies, illic forsitan hybernaturum.

Quidam sacrificus Parochus in ditione Clauenensi nuper speciem Deiparæ Virginis ementitus cuidam puellæ apparuit, ac multa nugamenta ædidit. Qui tamen deprehensus capite truncatus vitam finiuit. Huius historiæ tota series descripta à Iudice ipso mihi dabitur: postea humanitati tuæ mittam. Nam nebulo ille conatus est Euangelio Christi obesse scelestissima hac fallacia. Vale vir egregie. Ex Curia Rhetica, 17. Nouemb. Anno Christi 1532.

ALIA.


Gratiam & pacem à Domino Literas humanitatis tuæ per Leonardum fratrem nostrum accepi, atq; ea, quæ continebant cupidissimè percepi. Nũc vero tabellarium nactus adeo commodum, abstinere à scribendo non potui quamuis argumentum fortassis minus dignum sit tuis auribus. Duo habuimus Monachorum cœnobia Curiæ (quemadmodum nouit & vidit reuerentia tua) quæ nunc Monachis euacuata, & in vsum studii noui conuersa, initio quidem satis auspicato. Rector studii, quem Ludimagistrum vocamus, stipendio centum aureorum conductus est. Alius sub illo & cum illo laborans quinquaginta. Tertius quidam ex nostratibus Poëta admodũ doctus, quinquaginta quoq; De his omnibus Tabellarius ille noster, qui cœnobiorum illorum reddituum procurator est, differere melius & commodius potest quã ego scribere. Poëta ille Commentarios Cæsaris interpretari incepit, venitq; iampridem ad hunc locum: *Boiosq;, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamq; oppugnarant, &c. Noreiam*, Noribergam interpretatus est. Putant quidam ex auditoribus eum hallucinatum esse, nec in eo tractu, quem Geographi *Noricum* appellant, *Norinbergam* sitam esse. Huius itaq; discretionem à te Geographo peritissimo flagito atq; obsecro. Ex Italia fertur res ipsorum indies melius habituras.

Vale, vir eximie. Ex Rhetiæ Curia,
4. Nonas Maias, 1540.

FINIS.

V. NOB.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [187] - 155



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [188] - -

PUBLIC DOMAIN

V. NOB.

IOACHIMI VADIANI SANCTGALLENSIVM CONSVLIS

DE

PRIMITIVÆ ECCLESIÆ STATV,


SEV

CHRISTIANISMI ÆTATIBVS

Liber imperfectus.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [190] - -

IOACHIMI VADIANI, COS. SANCTGALLENSIS,

DE PRIMITIVÆ ECCLESIÆ STATV, QVI AVREA ATQVE ARGENTEA CHRISTIANISMI ÆTATE FLORVIT:

Liber imperfectus.

QVAMVIS libris superioribus de statu Collegiorum & Monasteriorum, vt Francorum & insecutorum, aliquot Principum tempore habuerunt, deque disciplinę casu & temporum inclinatione, satis dictum videbatur, tamen operæ precium, nec minus Lectori rem gratam facturos nos arbitrati sumus, si de primitiuæ Ecclesiæ statu, quę aurea & argętea Christianismi ætate determinamus, quæ veterum ex fragmentis magno studio nec minore fide collegimus, subiiceremus, vt collatione primævæ illius Ecclesiæ, cum insecutorũ atq; adeò nostrorum temporum moribus & disciplina Ecclesiastica instituta, tanto magis eluceseeret, quàm horribili casu disciplina omnis Ecclesiastica sensim viciata labascere ceperit, donec tandẽ fœdè contaminata & plus quàm corrupta in nefandam & deplorabdam malorum myriadem degeneratit. Atque hoc amplius vt privatim faceremus, adducti sumus, quod peruersa ne dicam cæca nostrorum hominũ iudicia ita disciplinam omnem Ecclesiasticam metiuntur & discernunt, vt quam postremam norunt, hanc modo primam & absolutam statuant: cum contra vetus illa, quæ vel ab illis ignoratur vel negligitur, longè omnium optima & absolutissima extiterit: postrema vsque adeo doctrinis hominum & sanctionibus (vt alia sinamus) vitiata adulterataque iaceat, vt ne nomine quidem Christianæ disciplinæ admodum digna esse videri queat. Verum illi suum, hoc est carnis iudicium sequuntur, nec expendunt illud Christi: *Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.* Longè minus illud Pauli: *Animalis homo non accipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quod spiritualiter iudicatur. Enimvero qui opes, qui luxum, splendorem, dignitatem, potentiam, qui hominum fauorem & plausum admirantur, nihil non tribuent præsenti

ſtatui Eccleſiaſtico, rerum iam dictarum affluentia vſque adeo referto & diſtento, adeoque in ocio & indulgentia beato & ſplendido, vt nulla vnquam ſæcula à nato Chriſto ſagenam adſimilem fuerint experta. At qui fidei ſanę, qui fortitudini, qui tolerantiæ, ſobritati & innocentiæ, qui rerum temporalium & caducarum contemptui, doctrinæ præterea & cognitioni ſummam tribuit veræ & ſinceræ religionis, in his hominibus præſertim, qui ſe Chriſti & Apoſtolorum vel ſucceſſores vel imitatores profitentur, quique titulos gerunt mundi abiurati: Hi profectò ne hilum quidem inuenient, quo poſtrema hæc tempora cum primis illis ſeculis longè maximè probis & ſpectatis, pietatis æſtimatione conferri (quæ illorum opinio eſt) aut collaudari poſſit. Durat quidem perpetuò, nec diſſentit vnquam à capite ſuo verè credentium Eccleſia, quæ ſanè à mundi exordio licet tentata per partes ſuas afflictaq; fuerit, tamen nunquam vel latum digitum à certæ fidei amuſſi delirat: neque olim aliud vnquam ſentiet, quàm quod à Domini Spiritu præſcriptum eſt. Cæterum illa quæ ſit & quorum numero conſtet, ne Prophetæ quidem & Apoſtoli cognouerunt. Solus enim Dominus nouit qui ſui ſint, veluti à Paulo eſt traditum. Illam ergo quam nos de certa hiſtoriarum fide cognoſcimus multis modis variatam, & ceu æratibus quibuſdam deductam mutatamque fuiſſe conſtat: quippe quæ primùm virili robore perſtitit, demùm in ſenium quoddam & ætatem pluſquam decrepitam *defecit*: quamque auream reliquit conſtans illa Chriſti & Apoſtolorum doctrina: eam demùm poſtrema ſæcula æneam & ferream effecerunt. Mihi enim ſæpe cogitanti minimè inepte fieri viſum eſt, ſi quas ætates Cumæam illam Sybillam priorum ſæculorum decurſui tribuiſſe ferunt, eas nos ſæculis poſterioribus, quæ à paſſo Domino ad noſtram vſq; ætatem defluxere, tribueremus.

AVREA ÆTAS ECCLESIÆ.

AVREA enim fuit ætas Eccleſiæ à gloria reſurgentis Chriſti & dono illo Spiritus ſancti, hoc eſt à poſtremis Tiberii annis aduſq; Conſtantini imperium deducta, annos circiter CCLXVIII. Quo tempore licet omnia plena iniuriis, calumniis & delationibus fuerint, tamen ſic erant animati Chriſtiani, vt illa ferrent magis quam facerent. Nam & ferro hoc toto tempore ita eſt ſæuitum in Eccleſiam, vt plane ferrea videri illa ætas poſſet his, qui noſtram à diuitiis & ſplendore auream eſſe iudicant: cùm tamen vel hac de cauſa Aurea meritò fuiſſe creditur: quòd auri ſumma & perpetua cõtemptrix fuit, neq; auri ſolùm ſed earum etiam rerum omnium, quarum admiratione impietas capitur, Domino noſtro primùm omnium teſtante *non habere filium hominis quo caput ſuum reclinet*: dein & Apoſtolis confitentibus *nec aurum ſe nec argentum habere*, ſed inſignia duntaxat Chriſti dona quæ petentibus impertirentur. Certe & Apoſtolus Paulus ad Gentes erudiendas vocatus *neq; aurum ſe neq; argentum abs quòvis homine accepiſſe* teſtatus eſt. Nihil enim magis aureum, hoc eſt eximium magis & precioſius eſſe poteſt, quàm animum ſublimibus rebus capeſcendis renatum, ita vt à cura, ſollicitudine & cupiditate rerum fragilium & momentanearum abducere, vt nõ niſi cœleſtibus & diuinis æterniſq; bonis ſeſe captiuare & adducere authori bonorũ omnium cõcupiſcat. Mihi ſane ex traditione Petri Apoſtoli hoc etiã magis aurea viſa eſt, quo magis exploratione fidei, quę longe auro, quod perit, precioſior eſt tamẽ inſtar auri vehementiſſimo & prope intolerabili perſecutionum igne ita eſt probata, vt & innocentia vitæ & doctrinæ puritate & morũ ſancti-

Matth. 17.

Act. 3. & 4.

Act. 20.

1. Pet. 1.

Auguſti. lib. 20. de Ciuit. Dei c. 26.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [192] - 160

sanctimonia omnibus posteà insecutis seculis exemplo esse potuerit, nec potuerit modò sed & debuerit. Sicut enim aurum ferro effoditur & igne probatur, ita & Ecclesia ferro & igne persecutionum tentata, sed & Hæreticorum insultibus vexata supra modum, haud alios fructus quàm aureos edidit.

Primùm enim certissimâ scripturarum interpretationẽ accepit, & clauẽ illa donata est, qua sola aperitur & nemo claudit, clauditurq; & nemo aperit, doctrina videlicet, quam Christus Verbum Patris de cœlo defers, nõ suam sed eius esse à quo missus esset confirmauit. Quam deinde Apostoli ceu per manus traditam ab eodem magistro didicerant, primùm quidem concionante & de regno cœlorum ipsos cum priuatim tum publicè admonente; mox etiam à resurgente, quum mentibus ipsorum aperte seipsum in Mose & Prophetis & Psalmis indicauit: Postremò quum igne Spiritus sancti inflammati repente in omnem veritatem deducti sunt. Proinde primam illam & sanctissimam Ecclesiam in doctrina Apostolorum perseuerasse legimus. Hæc enim Christum aperiebat orbi in lege & Prophetis promissum & illi ætati pretium. Quid enim aliud est doctrina Apostolica in literas posteà relata & omnibus in Ecclesiis Domini veteribus sanctissime culta & obseruata, quàm ostensio & indicatura iusticiæ, sanctificationis, & redemptionis nostræ per Iesum Christum filium Dei viuentis? Quid aliud sermo ille cœlestis seruorum Christi toto illo instrumento, quod Nouum appellamus, comprehensus, quàm commentarius quidam explicatissimus à Spiritu sancto exaratus, quo quicquid in Lege & Prophetis anteà vel figuris inuolutum vel ænigmatibus perplexum vel vmbra aliqua obscurum erat, de Christo, de doctrina Christi & rerum æternarum promissione, ita eluceſcat, vt vetera etiam illa magna ex parte nec perplexa amplius nec vllis difficultatibus involuta aut vllis tenebris caliginosa, sed simplicia, sed aperta, sed obvia omnib. & salutaria possint iudicari. Sapienter enim & pie ab illis traditum arbitror, qui Vetus (quod vocant) Testamentum Legis & Prophetarum negant recte vel capi vel intelligi, nisi à luce illa doctrinæ Apostolicæ, seu quod idem est doctrinæ Christi, primum ordiamur, & post diligentem lectionem nouæ legis vetus illud, quod novum etiam in se Prophetico spiritu complexum est, aggrediamur. Fieri enim nequit, vt tenebræ vlli nisi per fulgentem lucem discutiantur, iuxta illud Apostoli: *Eratis quondam tenebræ, nunc autẽ lux in Domino.* Frustra etiam Christus scrutari scripturas iussisset, si lucem illam Spiritus, per quam omnia etiam profunda scrutari licet, suorum animis, quos vniuersum in orbem missurus erat, non adhibuisset.

In prima igitur illa aurea & vere aurea & sancta ætate ardentissimi regni Christi, ea erat dignatione & authoritate scriptura nova, mox ab excessu Apostolorum magna ex parte agnita & recepta vt nihil sanum, nihil solidum, nihil deniq; pium aut fidei Christi accommodatum esse existimaretur, quod illa palam non doceret: nihil aureum, hoc est vere Christianum crederetur, quod illam ad coticulam adhibitũ spectatæ pietatis notã nõ abstulisset: contra autem nihil non vt impium & absurdum anathemate feriebant, quod alienum ab illa vel contra illius traditionem excogitatum & receptum fuisset. Vnica illa valebat regula, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo Patre acceptam tradidisset. Et erat recepta omnium conſensu sententia, quæ & in sequente ætate defensa est, de sola scilicet scriptura nihil dubitandum, reliqua omnia vel doctissimorum hominum scripta cum adhibito iudico legenda, vt quæ bene sentirent, in gratiam scripturarum reciperentur: quæ minus, vt illi aduersa reiicerentur. In qua re tantum abeſat, vt personæ vllius quantumuis meritæ aut excellentis, ratio habeatur,

beretur, vt ne de cœlo quidem Angelum, qui aliud docere instituisset quàm Apostoli tradidissent, vllo modo admiserint,

Habuere quidem Ceremoniæ, hoc est institutiones externæ & indifferentes suum locum, quæ quidem ea duntaxat caussa admittebantur & adhibebantur, quo omnia meliore ordine rituque fierent in Ecclesiis, quæ à Domino præcepta illis & in Apostolorum monumentis relicta fuissent. Cæterùm eius generis erant omnia, vt neque quicquam libertati Ecclesiis traditę adimerent, & subinde iustis caussis flagitantibus mutari & pro ædificatione aliter aliterq; institui potuerint. In animis erat omnium Apostoli edictum: *Omnia decenter & secundum ordinem fiant.* In totum autem paucæ & modicâ etiam æstimatione habitæ ceremoniæ.

Sacramenta duo præcipua, Baptismus & Eucharistia. Nam oleum, cuius Iacobus meminit, ad corporis non animi ægritudinem attinebat, & multis posteà sæculis, variis in Ecclesiis, alio in vsu non fuit.

Ecclesiæ tunc erant & dicebantur congregationes Christianorum paulò celebriores, Episcopis suis hoc est vigilibus & magistris disciplinæ subiecta. Harũ primę erant Apostolicæ, ab ipsis scilicet Apostolis conditæ & fundatę, velut Ephesina, Corinthia, Philippẽsis, Thessalonicensis, Romana, &c. Prętera & Hierosolymitana & Antiochena Syriæ, & Alexãdrina, inter pręcipuas habitæ: quib. adnumeratæ sunt quotquot ab Apostolis passim sunt institutę, nec doctrina priores posterioreve nec fide sed annis tantum, quorũ supputatione Græcæ fere Romanam antecesserunt. Cæterum æquales omnes potestate & functione, nec reipsa plures Ecclesię locorum interuallis disterminatę, sed vt vnum corpus Christi capitis, ita etiam vna Ecclesia cõmunicatione bonorũ omnium donorumq;, & insuper indiuulsa charitate coagmentata. Prima & vna sancta Catholica & Apostolica, ex qua reliquæ prognatę sunt, & ipsæ hac potissimum de caussa Apostolicæ, quia cum illa vna fide vno spiritu, vno sensu doctrinæ disciplinæq; coniunctæ. *Sic enim omnes primæ*, vt inquit Tertullianus, *& omnes Apostolicæ, dum omnes vnam probant vnitatem.* Proinde plures Ecclesię per Asiam, Europam, Africam, quæ partim ab ipsis Apostolis, partim ab Apostolicis (vt Africanæ omnes) transfusæ, quia in virtute Christi & fidei certitudine, ad hæc & regni Dei administratione & functione mysteriorum Christi vno in corpore vni capiti implexi erant, vna videlicet charitate donatæ, plures quidem numero, vt plura vnius corporis membra, fide tamen, quæ omnium Ecclesiarum robur & fundamentum est, vna Ecclesia Apostolica fuere. Quas inter Romana Ecclesia nec prima erat, nec caput erat, nec summa, sed inter primas & summas celebris, & inconcusso fraternitatis studio præ omnibus famigerata. Nequit enim caput esse membrum in corpore, quod capiti est subiectum.

Episcopi sanè & ministri omnes huius ætatis tales erant, qualis erat functio quam exigebat doctrina, & quales præfici Ecclesiis iusserat Apostolus. Quod si qui vel infirmitate (vt est humanum) vel errore quopiam victi offendissent, repente aderant qui admonerent & ad meliora cohortarentur. In legendis Episcopis nec fauor nec precium nec genus habebat locum, sed vitæ duntaxat, meritum, tantaque ea res perquisitione, grauitate & diligentia agebatur, non ab ordinibus modo ad ministerium vocatis, sed ipsa etiam abs tota Ecclesia, vt & Ethnici homines, quos inter Christiani tum agebant, eum morem Christianorũ magnis laudibus euexerint, & memoriæ posterorum monumentis litterarum commendarint. Summa tum & cõtinentia & abstinẽtia Episcopi erant, nulli rei magis incũbentes quàm vt doctrinę puritatem cum disciplinę sanctitate cõiunctã tuerentur. Et quia nullus huius ætatis Magistratus Christianus extabat, qui rerũ Ecclesiis obla-

tarum curã vllam susciperent, sane & hac à parte Episcopi bonorũ curam & cognitionẽ in se transferre sunt coacti: sed harum tantũ quę pauperum subleuandæ necessitati, curandisq; ægrotis & senib. itemq; mortuis funerandis, captiuis præterea liberãdis, aut certe iis qui vel in carcere vel in metallo vel exilio essent alendis, aliisq; id genus officiis dilectionis deseruiebant. quorũ omniũ dispensatio secundũ Episcopos ad diaconos pertinebat. Primæ quidem ecclesiæ Christi ea erat fides in Deum, ea in proximũ charitas, vt cum rerum quisq; suarũ iure esse dominus potuisset, tamẽ ne quid publicis vsibus deesset. & vt quã optime locarẽtur, quæ cuiusq; propria fuissent, in medium conferre omnia quã priuatim quicquã possidere, maluerit. Quod quidẽ eximium factum diuina iustitia, velut exemplum quoddã posteritati relictura, sic ratũ habuit, vt subita morte exspirarint homines quidãfucati qui simulatione fallere malebant, quã sancta fide semel promissa præstare. Posteà verò insecuti Christiani ita priuatim res suas, minime malo more, possederunt & administrarunt, vt nec publicis sumptibus cotidiana collatione adauctis quicquã deesset, & amici etiam passim & inimici religionis Christi priuatis erogationibus propter Christum adiuuarentur. Facile omnia persuãdebant sanctę plebi sanctiores Episcopi. Nec habere potest quicquam priuatum aut proprium Christiana charitas. cum naturalis illa, quę omnium gentium est, quamq; etiam brutis animalculis inseruit diuina prouidentia, verum esse testetur, quod vetustissimo prouerbio postea euulgatum, videlicet *Amicorum debere esse omnia communia*. Ita etiam liberalis est & prompta cõmunio rerum apud Christianos (Christianos voco qui ex animo colunt Christum) vt non amicis modo iuxta illum veterem adagionem, sed inimicis etiam egentibus spontaneam sese aperiat & impertiatur.

Nunc quantas persecutiones Ecclesia illa primitiua, quę multas Martyrũ myriades nobis dedit, perpessa sit, referendũ. Prima quidẽ omnium & sola, atrocissimis Ethnicorũ persecutionib. nõ in vrbe modò tyrãnorũ genetrice, sed omnib. etiã in prouinciis, nec semel nec pari modo afflicta est: neq; vlla vsquã & vnquã ad carnificinã suppliciorũ genera excogitata sunt, quæ hauriendo sanguini Christiano adhibita non fuerint. Causa eius mali Principes illorum temporũ extiterunt, qui partim suopte ingenio sæui, partim delatorum calumniis exstimulati, & quod suã, veterẽ scilicet, superstitionẽ ab Ethnicis etiam Romanis Poetis, Historicis, & Philosophis derisui habitã ab annorum præscriptione & fortunis populi Romani, magni æstimatã, nihil nõ conati sunt, Satana instigante, quo & suam à Dæmoniis cõmendatã religionem retinerent, nostram autẽ inauditis donis prodigiisq; & virtutib. admirabilem, nec ab ea quæ naturæ lege præscribitur æquitate abhorrentẽ, funditus opprimerent. Inde factum vt à Tiberio ad Constantinum vsq; & amplius nihil tutum Christianis, nihil quod huius modò sæculi est, integrum fuerit. Neq; alia vnquam ætate eo modo militatum est in hac vita pro Christi gloria, quo in ista trecentorum fere annorum militia, sub Ducibus Apostolis & & Apostolicis Episcopis, Christo Iesu auspice & Imperatore, est militatum: nec alio vnquam arbitror tempore toties de verbis Christi cogitatum, quibus admonuit, *venturum esse tempus, vt qui suos occiderent, rem gratam se Deo facere arbitrentur*: atq; ideo cohortatus in se credẽtes dixerit: *Ne metuatis vobis ab illis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: quin & beatos futuros qui persecutionem patiantur propter iusticiam, quoniam ipsorũ sit regnum cœlorum: *Beati estis* (inquit Christus) *cum probra iecerint in vos homines, & insectati fuerint & dixerint omne malum verbum aduersus vos mentientes propter me. gaudete & exultate quoniam merces vestra multa est in cœlis*. Et illud

Apostoli ex Psalmo, non solum Episcopis, sed omnibus Ecclesiis ob oculos versatum: *propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi*, &c. Fuerunt quidē ex istis Monarchis nōnulli, qui Christianos vtcunq; tulerunt, & viuere passi sunt, quamuis religioni essent infensi; vt ætate nostra & maiorum, multi principes eximiè fauerunt Iudæis, ipsi nō Iudæi sed Christiani, & Iudæorū superstitioni infensi. Inter omnes certe, qui à Christo recepto in cœlos imperium tenuerunt animis consiliisq; vehementer est variatum, iisdē haud rarò, modo blandis modo sæuis. Spes quædam in Tiberio effulserat, Christum inter Deos relaturo ni Senatus obstitisset: locus tamen in eius imperio Cristianis cōcessus, edictumq; ne Christiani de religione accusarentur. Sic n. vetus author Tertullianus prodidit. Sæuitum tamen post Tiberium in Christianos à Iudæis & Ethnicis: cuius rei Paulus locuples testis est. Prima fax rabiosissima persecutionis Nero fuit, Christianis qui Romæ erant, inter multa facinora etiā de incendio quod ipse cōflauerat, insimilatis. Eius scintillas postea excitauit Domitianus, portio Neronis de crudelitate, velut scripsit Septimius. Traianus inter mitiores cēsus Plinio Bythiniam tenenti rescripsit: *Non requiri oportere Christianos, oblatos tamen duci oportere.* Fauisse & Hadrianus visus est lege lata, ne causa indicta Christiani dānarentur. Ælii Veri inconstans animus, & ad sæuiendum promptus, nisi ipsum M. Aurelius Antoninus Philosophus, quo cum imperium gessit, interdū coercuisset. Satis cōstat Aurelium, beneficentia Christianorum militum cōmotum, non fauisse modo Christianis cōstante voluntate, sed etiam promisisse cum consorte suo Ælio Vero, vt honores adipiscerentur, & edixisse, ne molestus esse eis quisquā religionis nomine pergeret. Sed & Alexander Seuerus Christum in lario coluit & Christianos amauit. Equidem haud scio, an alii Imperatores vlli, qui Constantinum præcesserunt, perpetua in Christianos beneuolētia fuerint. Solo illo Aurelio excepto, & Philippo illo, qui, Gordiano per insidias interfecto, Imperator ab exercitu dictus est, quē nōnulli, nescio quanta fide historiæ baptizatum vna cum cōiuge Seuera à Fabiano vrbis Episcopo tradunt, *quorum testimonio* (velut ait Egnatius) *hominis perfidia fidem abrogat.* Cæteri quotquot à Tiberio ad Chlorum numerantur partim lubrica fide, partim summa perfidia in Christianos fuere. Sed atrocissimi omniū post Neronem & Domitianum, Decius, Diocletianus & cōsors imperii eius Maximinianus, Galerius Maximinus Constantii consors, mox & Maximinian' iunior Seueri consors, dehinc Maxentius, qui Seuero per factionē oppresso successit, & omniū postremus, & à Cōstantino nondū Augusto, ob animi libidinē & insolentiam oppressus, Licinius. Incōstantes autē & lubrici Gallus & Volusianus, Valerianus quoq; per initia benign' verùm mox dira rabie & ipse accēsus, quę perfidia & in Galieno & Iulio Maximino apparuit. Reliqui mitiores, sed nulla fide vt inde facile appareat vel veteris historiæ fide suffragante, quanto in periculo vitæ & fortunarum omnium illa Christi fidelium trisseclis fere ætas, versata sit: quanque breuia, angusta, & incerta fuerint respirationum intervalla paucorum Principum benignitate concessa magis quam oblata. Veterē n. legē apud Romanos tū obtinuisse D. Hieron. tradit, *vt ne quis Christianus absq; negatione dimitteretur, qui semel ad eorum iudicium pertractus fuisset.* Delationum & calumniarū infinitæ erant species, & quo quisq; mēdacior in Christianos, hoc sibi præclarior videbatur. primùm fœdus rumor & mendax vulgo ferebatur de Christianorum sacris, videlicet quod carne hominis vescerentur, quod cœna quadam peracta promiscuè concumberent, quod Asinina capita venerarentur, quod sese in scelus Sacramento astringerent, quod patriam eiurārent: parentes, liberos, fratres,

inter

inter vilia haberent: quod veterem ſacroſanctam & indubitatæ veritatis religionem, qua cepiſſet creuiſſetque & ſummam ad felicitatem perductum eſſet imperium vrbis Romæ, non contemnerent modo, ſed etiam carperent & inſectarentur: quod Cæſarum & Auguſtorū maieſtatem leui æſtimarent, imaginibus ipſorum contemptis & reiectis, adhæc improſpera precarentur Reip. & ludibrio haberent ritus tot ſæculis cōfirmatos: quod ab omni ciuili humanitate & ſocietate ahorrerent: quod ludos fugerent publicos, nec intereſſent ſpectaculis populo datis: quod Iudaicæ (Iudæos enim vocabant Chriſtianos) & ſceleratæ nouæ maleficę & immodicę ſuperſtitionis veneno fecti, Deos veteres, imperii authores & Tutores, non venerarentur, & vota, ſacrificia, incenſa, iis debita reſpuerent: quodq; omnium detetrimū eſſet, nephariarum conſpirationum authores eſſent, quotidiana ſeditioſæ ſuperſtitionis acceſſione innumeram plebem, ad nouam ſuam & peſtilentem dementiam cum iactura & detrimento Maieſtatis traherent, qui perſuadere omnib. aduerſum ritus & ceremonias maiorū non deſiſterent. quib. omnib. impudētiſſimè obiectis colophonĕ adiiciebant, quoniam recentium oraculorū fide & euidentia cōſtaret, res imperi Principumq; ſaluas eſſe non poſſe, Diis videlicet iratis & implacabilibus, niſi exitialis illa & per flagitia omnib. inuiſa Chriſtianorum ſuperſtitio, dē medio tolleretur, totos eſſe aiebant in hoc Principes oportere, vt ne quid huius maleficii ergo Reſpublica damni pateretur, & vt eradicaretur, quæ veteribus, quæ certis & rerū omnium ſucceſſione cōpertis, quæ ſacroſanctis & ſuis & maiorum ſuorum inſtitutis, aduerſarētur. Hæc n. & illiuſmodi innumera Eccleſiis Chriſti, ab Ethnicis grauiſſimis accuſationib. obiecta fuiſſe, nō noſtrorū modo, qui veriſſima tamen prodiderunt, ſed Ethnicorum etiam (quorum libri etiamnū extant) hiſtoria teſtatur. Camino illi ſupremi furoris oleum (vt aiunt) infundebant Pontifices Romani & gentilium Deorum ſacerdotes, quorum Romæ opes magnæ erant, maior ob religionem dignitas, maxima verò de ſacris omnib. cognoſcendi decernendiq; cōceſſa facultas. Nec Romani modo ſacerdotes, ſed & prouinciales ſacrifici (quorum non minor erat apud ſuos, quàm illorū apud Romanos authoritas) nihil nō contumeliarū & calumniarū in perdendos & funditus extirpādos Chriſtianos effundebant. Fuere & quadruplatores, qui ad rem priuatam intenti quęſtum hinc faciebant, quum proſcriptorū bona vel fiſco cedebant, vel ſub haſta veniebant. Augebant malum Iudæi, & ipſi Chriſtianis infenſi, vt qui poſt Chriſtum, lucē ſalutis & redemptionis, perfidiſſimè proditū, & regno veteri atq; omni dignitate exuti, perq; omnes provincias ſparſi, & quāuis longiſſime à Chriſtianorū religione abeſſent, tamen ex vſu ſcripturarum veterum, quæ ipſis cum Chriſtianis cōmunes erant, nihilo pluris quàm Chriſtiani æſtimarentur: inuidioſe autē Iudęi vocarentur interim qui erant Chriſtiani. His furiis accedebant, & calidam (quod aiunt) ſuffundebant artifices opificeſq;, quibus, quæ perſuaſa erat Ethnicorum religio, lucro & quæſtui erat. Accedebat & priuata omnium, qui veteri paganiſmo immerſi erant, cōtentio. Quorum omnium rabioſiſſimis delationibus incenſi Princeps & Magiſtratus, exquiſitiſſimis ſuppliciis Chriſtianos affligebant, multis millibus credentium miſerrimè trucidatis, non Romę ſolum (ſede ſcilicet antiqua Carnificum Chriſtiani ſanguinis) ſed etiam in omnibus orbis prouinciis quaq; verſum intra limites Romani imperii cōſtitutis: quorum celebrem memoriam Eccleſię omnes orthodoxę in hunc vſq; diem ſumma cum lætitia, exultatione & gratiarum actione proſequuntur. Porro tueri ſe & purgare à fœdis mendaciorum calumniis contumeliisque fideles CHRISTI apud æquos iudices potuiſſent, vel ſola myſteriorum expli-

explicatione & ratione fidei tot modis ſanctæ & innocuæ, niſi animaduertiſſent, animos furore accenſos ſermone veritatis irritari magis, quàm perſuaderi aut demulceri. *Animalis enim homo*, quemadmodum docet Apoſtolus, *non capit ea quæ ſunt Spiritus Dei*. ſtultitia equidem ſunt ei, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter diiudicatur. Quid enim ſuibus cum gemmis & margaritis? quid canibus cum rebus tam ſanctis & diuinis? Proinde fictilibus illis & morti obnoxiis vaſculis exui, cumque Chriſto eſſe & à ſeculo tam malo ſummis votis liberari maluerunt viuaciſſima illa eccleſię Chriſti fulcimina, quàm impias Principum aures cœleſtium rerum explicatione truſtrà (frendente præſertim perſecutione) fatigare. Simile quiddam Chriſtus mortem obiturus apud Pilati tribunal egerat, qui & gratias egit patri ſuo, quod arcana ſalutis à ſapientibus mundi abſcondita, paruulis duntaxat & electis ſuis reuelarit. Iam & huius ætatis exempla nobis ſcriptura reliquit, quibus admonemur non facile ab inſtituto detrahi, quorum animi, nocendi libidine & vlciſcendi furore ſunt inflamati. Stephanus enim Diaconus adeo non profecit quantumuis longa oratione, quin Iudæos σκληροτραχήλους & rabioſa malignitate diſtentos ad ſe lapidandū etiam irritarit. Et Saulum illum Chriſtiano madentem ſanguine nemo cohibuiſſet, niſi Chriſtus ipſe cœleſti igne circumſeptum à ſceleratis conſiliis ſuis deterruiſſet, Paulum ipſum faciens qui ante Saulus fuiſſet. Nec profecit adeo Senator ille vrbis Apollonius, à ſeruo ſuo Seuero, quod Chriſtianus eſſet proditus, quin lecto in ſenatu à ſe ſcripto volumine, & abundè reddita ſuę religionis ratione, ſenatus ſententia (veluti Hieronymus teſtatur) nihilominus pro Chriſto, capite fuerit truncatus. Porro ſublatis ad tempus & ſatiatis interdum Ethnicorum furoribus, quum Tyrannis malis & ſæuis boni Principes ſucceſſiſſent, reperti ſunt in Eccleſiis eloquentes & eruditi viri, qui ceu patroni, cauſa Chriſtianorum ſuſcepta, cum agere coram non daretur, & paucis res tanta explicari nō poſſet, apologeticos, hoc eſt defenſorios libros, cum accurata Chriſtiſtianiſmi commendatione Principibus porrigere & offerre ipſi non dubitarunt. Primus Chriſtianorum Quadratus fuit Athenarum Epiſcopus, qui Hadriano Athenis hyemanti *librum vtilem*, vt ait Hieronymus, *& plenum rationis & fidei, dignumq; Apoſtolica grauitate porrexit*. Scripſit Iuſtinus poſtea Martyr, contra Ethnicorum væſaniam, ad Antoninum Pium: item Melito ad Antoninum Verum, ad quem & Modeſtus ſcripſiſſe traditur, quemadmodum & Apollinarius Aſiæ Hieropolitanus Epiſcopus. Et ad M. Antoninum Commodum Imper. librum aduerſus gentes vir doctiſſimus Miltiades. Poſtremus autem Tertullianus ſub Seuero, Pertinace & Antonino Caracalla, Romanos Magiſtratus eruditiſſimo libro nec ſine ingenua quadā fidei libertate admonuit: & Arnobius ipſo Diocletiano imperante libros aduerſus gentes edidit, ſicut Hieronymus tradit. Obſeruatum autem in hoc ſcribendi genere ita illos ſtilum temperaſſe, vt locos non niſi de communi philoſophia & vetuſtis vaticiniis oraculisq; petitos ad perſuadendum accommodarēt, & Ethnicorum magis quàm Propheticarum & Apoſtolorum teſtimoniis vterentur, mirè interim præteritis & de induſtria reconditis & occultatis noſtræ fidei myſteriis, quorum explicatione tantum aberat, vt vel Principes Ethnicorum dignarentur, vt ne cathecumenis quidem niſi probe inſtitutis & exploratis impertirentur. Hoc ita habere palàm innuunt Iuſtinus Martyr, Tertullia- & Firmianus Lactantius. Commendabantur autem ab illis Chriſtiani ab æditorum miraculorum magnitudine & nouitate, à vitæ innocentia, à beneficentia erga omnes, ab obedientia erga Magiſtratus, à precibus indefeſſis, quas ad Deum ſuum vnicum pro Principum ſalute, pro felici ſtatu imperii,

pro

pro pace publica in omnibus Ecclesiis effundebant: quæ omnia remotione calumniarum aspergebantur, cum retaxatione rituum quorundã Paganismi, qui ne vulgo quidẽ Ethnico & profano satis probabantur. Sed & hoc epicheremate vsi sunt patroni illi veteres, quod optimi & sapientissimi Imperatores Christianos amarint, scelerati & sanguinarii (quorum acta senatus non semel rescidisset) nullis iustis causis oderint. Verum hic ingenuus & plenus charitatis labor non nisi Imperatoribus præscribebat: praui interim & sæui illos insecuti, hoc magis ferociebant in innocuos, quo maior sub bonis Christianorum accessio erat facta, id quod in Diocletiano & Maximiano Augustis illa ætas experta est. Rebus enim vndique pacatis, & quasi florentibus, repentè vterque in Christianos exarsit, tanta strage sanctorum omnibus in locis facta, vt non æquasse modo Neronem, sed superasse etiam crudelitate ambo viderentur. Leue autem & tolerabile fuisset edictum, quo propè vno die sacella Christianorum & oratoria omnia subuerti & æquari solo iusserant, nisi breui etiam tempore, & velut ad condictum diem infinita millia corporum trucidata laniare libuisset. At nec dum finis malorum in his imperii præsidibus alioquí tantis, si nostrorũ à sanguine abstinuissent, furor ingens & in Galerio & Maximino censedit & iuniore Maximiniano, quibus nihilo inferiores furore & immanitate Licinius & Maxentius fuere, infestissimi Christianis, quorum atrocitate factum est, vt vix decimo demum anno Imperii Constantini pax dari Christianis potuerit.

Templa per huius ætatis initia, Christianis nulla fuere, congregatis enim & singulis, quisque locus commodus oblatus pro templo erat, id quod ex actis Apostolorum notius est, quam vt ambigi possit, sequenti sæculo domus passim exstructæ paulo capaciores, verũ sine luxu & arte, & sumptibus quam minimis, quæ & ipsa templa vocata sunt, nulli alii vsui dedicata credentium; quam vt statis diebus cõfluerent ipsi & de disciplina inquirere, scripturas Episcopo sequente & erudiente scrutari, & iustis mysteriorum functionibus vti frui possent. Falluntur igitur incircumspecti quidam Chronographi, qui quorundam ambitiosam magis quam sinceram curiositatem imitati, scripserunt Decio imperante, Romæ Petro & Paulo condita templa in quæ mox corpora ipsorum translata fuissent, quasi verosimile esse possit, Romæ eo tempore hoc ipsum vel Principem Decium Christiano infensum, vel Pontifices impios, sua in religione florentes, vel ipsum senatum, hoc ipsum passuros fuisse, vt Petro & Paulo Christianismi authoribus, ædes tantæ molis, quantæ hodieq; visuntur, extruerentur, & simul nomen Christianorum Decio tum in vrbe, tum in prouinciis sæuiente, introniconi daretur. Lampridus equidem in Alexãdro Seuero scribit, Seuerum, popinariis cum Christianis de publico quodam loco occupato contendentibus rescripsisse. Melius esse, vt quomodocunq; Deus colatur, quam vt popinariis dedatur, &c. Sunt omnino delicati quidam homines, qui piis mendaciis in hoc genere scribendi locum esse cedendum putent. Ego contra in historia pietatis, & rerum in ecclesiis Christi gestarum, hoc minus mendacii quicquam admittendum, nedum committendum arbitror, quo maiori veritatis prærogatiua, Christi religio ab omnibus commendatur. Illud plane constat, nostris Romæ & alibi cryptas & hypogea templorum instar fuisse, sanctis, in quæ se furore persecutionum æstuante reciperent, & (quoniam palam & metu Principum non daretur) clam & noctu, ad lectionem precationem, & sacrum illud dominicum confluxerint, eidem vsui cauernæ & speluncæ seruierunt, quæ hodieque peregrinis Romæ monstrari solent. Neque hæc natro veluti vsum templorum, quantumuis insignium damnem aut eleuem,

vt qui

vt qui sciam necesse esse Christianos subinde in cœtum colligi: sed quod aureæ huic ætati, & in totum religioni nostræ, suam libertatem vindicandam esse ducam, quæ profecto nec mensæ fidit nec templo, sed spiritu & veritate. Nam & carcer & metallicæ fodinæ captiuis Christianis templa fuere, vt Afræ lupanar, vt Latroni caluaria. Sanctum enim templum est, vbicumque ara nostra Christus est, proinde & nobis domestica cubicula aram habent Christum, ad quam purarum precum offerre hostiam & abunde litare liceat. Dominus enim in manufactis nõ habitat, sed in lapidibus viuis à se creatis: qui spiritu fidei coagmẽtati templum efficiunt Dei. Sanctis quippe & puris sancta sunt & pura omnia. Dixi autem Christianis primis templa nulla fuisse, sed in loca quævis commodùm oblata sese congregasse. Vsi quidem sunt & Apostoli templo Hierosolymitano, verùm aliter ipso non sunt vsi, post scissum velũ & ceremonias legis sublatas, quàm diuersorio illo Christus, in quo cœna parata novum illud suum & æternum testamentum redemptionis nostræ, amplissimi mysterii dedicatione consecrauit. Hadriano imperante templa extitere Christianorũ, sed humilia sine ornatu, fastu, splendore, in quibus nulla prorsus simulachra, sed lapides duntaxat viui quoties in ea fideles essent congregati, id quod nullis vel Iudæorũ vel Ethnicorum templis quamvis sumptuosis & splendidis obtingebat. Humilia autem & postea secutis huius ætatis sæculis templa omnia, & oratoria magis quàm templa fuisse hoc ipso abunde conuincitur, quod ætate mox insecuta, maiora omnia ornatioraq; facta fuisse vetus historia prodidit.

De Cathedris autem Episcoporum Urbis & aliarum ecclesiarum Apostolicarum, quod quidam putarunt tam celebres hac ætate fuisse dignitate, potestate, splendore, opibus, fauore omnium, quam postea secutis ætatibus fuerunt, vulgatissimo errore illorum est factum, quibus ἀνιστορησία, veteris videlicet historiæ ignorantia imposuit, quique à præsenti rerum statu & qualitate vetera metiri & imaginari sunt soliti. Neque enim hoc vicium pictoribus modo, plastis, & statuariis vulgare est; sed doctos etiam & pios implicat, qui peritia antiquitatis destituuntur. quæ incuria & Platinæ veterum Pontificum Vrbis vitas tractanti vehementer imposuit. Porro si fidem, si præstantiam doctrinæ, si vitæ innocentiam, si diligentiam in subditos veterum Episcoporum huius ætatis contemplemur, nihil profecto illarum cathedris altius, nihil præclarius, nihil excellentius fuerit: si opes & splendorem & dignitatẽ, quã genus & opes afferunt, cogitemus, nihil humilius, nihil abiectius, nihil nisi pauperes fuere, pauperem Christum secuti. Quod si opes manum erant, non erant nisi pauperum, nec seruabantur contributæ, sed erogabantur quotidianos in vsus egentium. Et Romana inprimis Ecclesiam charitate & beneficentia in egenos insignem fuisse, Eusebius testatur. Adhæc nemo illorum ita sibi placebat, quin hoc rectiùs & meliùs ministerium sibi commissum gerere videretur, quò propius ad nuditatem illam Apostolorum à Christo præceptam, humilitatemque accederet. Vnde factum vt & odiosi filiis seculi, & Tyrannis inuisi, vitam prope omnem cum periculo vitæ & famæ exigerent. Homnibus enim si placuissent, Christi serui non fuissent. Proinde à primo Paulo Apostolo ad vsque Syluestrum, nullus Episcopus Vrbis cathedram tenuit, de quo supplicium sumptum non sit: interim & Diaconis ad pœnam raptis, quod & illustri Martyri Laurentio accidit, qui cum Episcopo suo Sixto, persecutione Gallieni perditissimi tyranni, filii Licinii Valeriani, martyrio coronatus est, annis plus minus XXV. ante imperium Diocletiani. Causa supplicii fuisse videtur thesaurus tyranno negatus, qui egenorum in subsidium erat collectus: cuius rei & Ambrosius, libro officio-

officiorum secundo meminit. Quid igitur huius ætatis Episcopis ea affingimus, quæ ipsis illorum temporum historia non permittit? quid in sedes nescio quas extollimus velut iusta libertate donatas, quibus in vrbe tyrannicis persecutionibus æstuante & maxima ex parte paganismo dedita, omnes fortunæ ipsorum tractæ in periculum direptæque & fisco haud raro adiudicatæ fuere? quid census, agros, latifundia illis assignamus, qui ne stipem quidem coniectam, & inopiæ pauperum vtcumq; subleuandæ, deseruientem, tueri pro desiderio & auarissimorum Principum è faucibus eripere potuerunt? Quanto igitur candidiores probioresque extiterunt, qui narratione minime fucata, minimeque ambitiosa, Christianæ Ecclesiæ exordia descripsere, vt ipsa Apostolicæ litteræ magna ex parte deliniarunt. Tanto leuiores & inertiores mihi semper visi sunt, qui putidula quædam, dominium videlicet & liberam quandam potestatem redolentia, de suis mutuati & antiquis intempestiue asserere maluerunt, quam sanctam illam, & à sæculi sapientia condemnatam, fidelium conditionem suis (qui in promptu tamen erant) coloribus depingere. Ad rabiem enim Tyrannorum Vrbis & implacabilem sæuitiam demonstrandam, illud quoque non leue argumentum est, quod & Syluester Episcopus Constantino iam imperante, vsq; adeo Maxentii insidiis nonnunquam exercitus & vexatus est, vt & Vrbe excedere & latitare etiam præ hominis ferocia cogeretur, Nec finis iniuriarū fuisset vllus, nisi demum ipsa Tiberis Tyranno absorpto, reliquum quicquid erat incendii persecutionis extinxisset.

Hactenus de fide, continentia, constantia & fortitudine Sanctorum: contrà verò & de inmani Principum Romanorum tyrannide diximus. Quæ quidem licet immitior & atrocior fuerit quàm quis calamo facile queat exprimere, tamen vt inde exitialibus illis furoribus plurimum damni illatum est, discrescentibus indies & pessum abeuntibus Imperii rebus, in illa miserabili & horribili laniena omnis ætatis, sexus, ordinis Christianorum, plurimum lucri & fœnoris fuit, commutatione nimirum caducarum & morti debitarum rerum cum æternis & ineffabilibus impetrata. Alius turbo longe violentissimus, Diabolo suadente, exortus est, quod animæ fidelium (quas nullus Tyrannus occidebat) & ipsæ scripturæ sacrosanctæ, spectatæ iam magna ex parte & suo honore & loco habitæ, tanta Hæreticorum peruersitate, audacia & impudentia petitæ & inuasæ sunt, vt nisi mutare se in stationes armatura scientiæ fidei indutæ Ecclesiæ recepissent, longe maxima inde clades religioni fuisset illata. Minus autem mirum fuisset, si sublatis iam de medio & extinctis Apostolis, hoc malum primùm serpsisset, quandoquidem vt in legibus, sic in scripturis, procliue est alienum sensum sequi; nec facile tenere authoris mentem ni diligenter inspexeris: vt vero cum & Apostolis CHRISTVM prædicando, neq; non fundandis passim Ecclesiis fratres falsi de circumcisione (quos & ipsos Hæreticos Paulus vocat) doctrinis suis violentis & venenatis fecerunt; manifestum est, nihil vnquam tam sanctum tam sincerum & spectatum fuisse, quo non abuti potuerit humani ingenii malignitas, vbi semel nocere perrexisset: neque vllam ætatem adeo felicem innocentiæ & doctrinæ puritate, quæ, vt agri vel optimi filicem alicubi & Zizaniam, sic & ipsa praue affectos doctrina & moribus homines passim aluerit. Est hæc fraus. Serpentis de cœlo detrusi, primæuæ inobedientiæ author, & iam inde à primis hominibus conditis pestiferi & mendacis, qui & Paulo negocium fecit, quum essent qui, illo instigante, legem coniungere Euangelio, & con-

sumatam Christi redemptionem & iustitiam per opera legis obfuscare, & sua Dominum in gloria spoliare pergebant. Quibus reprimendis coercendisque plus cæteris omnibus laborauit Apostolus. Iidem pari væsania Christum ante Mariam non fuisse, hoc est purum hominem fuisse nugabantur. Quorum pars Hebion erat & Cerinthus, aduersum quos Ioannem Apostolum, quo fusius de æternitate scriberet, commotum fuisse Hieronymus tradit. Cæteri qui excessum Apostolorum sunt secuti, arbitrio sibi supercilioſissimo in scripturas vindicato, vt non modo reiicerent, quæ suis erant erroribus aduersa, sed etiam ex receptis à se Apostolorum monimentis eraderent plusscula, audacia plusquam sacrilega, quæ admissæ semel vertigini suæ aduersabantur. Quorum impiæ temeritati sese doctissimi viri in illis etiam (quod mirari liceat) angustiarum turbis & calamitatibus, æditis libris opposuerunt, cum mirifica scripturarum commendatione & refutatione dogmatum, quæ humanæ philosophiæ cunctitate contra Apostolorum traditionem sunt introducta. Eam rem magna cum laude tractarunt Græci quidem & Latini, præcipue tamen Irenæus & Tertullianus, vicini Apostolorum temporibus: quorum vtriusque insignia opera contra Hæreticos exarata hodieque legit Ecclesia. Prodidit nonnulla & Cyprianus, quamquam eruditione & Irenæo & Tertulliano (si Hieronymo credimus) inferior.

Plurimum quidem interim ab omnium prouinciarum Episcopis aduigilatum est, saluberrimo illo & necessario more iam inde ab Apostolis recepto & conseruato, vt quotie erroris aliquid, Diabolo satagante, vel hac vel illa in Ecclesia subortum esset, confestim Antistites per suas quisq; prouincias condictum ad locum confluerent, nec nisi scriptura iudice & vindice condemnarent, quod contra fidem Christi & sanam doctrinam Spiritus sancti assertum sparsumve fuisset, authoribus interim dogmatum semel iterumque admonitis & exhortatis: qui si parebant, lucro accedebant Ecclesiis, ampliori duntaxat pœnitentia iniuncta: si resistebant, anathemate feriebantur, synodalibus litteris continuò transmissis, vt quibus Ecclesiæ celebriores de gestis omnibus, quid, aduersus quos, & quaq; de caussa actum decretumq; fuisset, certificarentur: rebellium & contumacium nominib. haud raro insertis, quo & ipsi suis prospicerent, & summa ope cauerent, ne qua noxiorum dogmatum contagione parum attenti implicarentur.

Neque habuit tota hæc ætas alios vllos conuentus aut synodos quam quas *Prouinciales* vocamus. Nec dum enim Christianis tam libera erat, & tuta rerum agendarum facultas, vt coire vndique & fidei de rebus sine metu tractare licuerit. More enim nostratium cōfluebant, qui Decano diem præscribente, certas ad synodos confluunt, quæ concilia hodie vocabulo degenere, degenerem scilicet morem exprimēte, *Capitulum* nominant. De qua re supra libro primo dictum est.

Primum autem omnium concilium, quod Græci οἰκουμενικὸν, nostri *Generale*, id est vndiq; congressis Episcopis congregatum, vocant, sub Constantino Magno ad Nicæam Bythiniæ, post concessam Christianis pacem celebratum est: prior nulla fuit, nisi mutuarum litterarum, congressio. Neq; aliæ prima illa & aurea fidei ætate magis controuersæ materiæ, quàm de baptismo quem initiandi ab Hæreticis accepissent, præterea de lapsis, hoc est de iis qui æstuante persecutione spectaculo suppliciorū fracti & delecti Christum Iesum abnegassent, Diisq; Gentilium vitæ gratia redimendæ sacrificassent, Cæsarum imagines adorassent, &c.

Et ne quid libertas Euangelii abrogatæ legis præscripto debere videri

posset,

posset, de paschate quoque inter veteres huius ætatis scriptores contentione permagna certatum est. Ac de baptismo quidem ab Hæreticis suscepto, diu regnauit plausibilis Cypriani sentẽtia, Carthaginensi quadam à se habita synodo, frequẽti Africæ Episcoporum cõsensu recepta, quæ baptismo Hæreticorum, vt quorum cum Ecclesia Christi nec ius vllum, neque vlla communio foret, tamquam inutilem & infructuosum reiiciebat, nec nisi orthodoxum probabat. Sed ab ea postea variatum est, decretumque retingi opus non esse vllos, qui à Hæreticis tincti fuissent. Quam sententiam postea D. Augustinus in libris contra Donatistas fuisse prosecutus.

Sola autem fuit & peculiaris huius ætatis de Lapsis quæstio: quum essent Cypriani & Cornelii tempore homines inflati Nouatus & Nouatianus, alter Cypriani, ad Carthaginem, alter Cornelii ad Vrbem Presbyter, qui sæverioris disciplinæ simulatione negabant, recipi in cõmunionem credentium posse, qui persecutione vrgente Christũ metu mortis abnegassent, & impiis sacrificiis sese polluissent. Cõtra Ecclesia charitate cõmota, & miserta infirmitatis, minime arcẽdos esse à gremio fraterni cõsortii fidei cẽsebãt, qui tracti horrore & mortis metu perculsi defecissent. Indignũ n. ducebant, Ecclesiæ fores illorum lachrimis præcludi, quorum certa & contestata de errore pœnitentia perspiceretur, quando omnes, qui onerati & grauati essent, ad se venire Christus iussisset. Summa autem cura & grauitate de Lapsis inquirebatur, nec facile admittebantur, qui levi & trepidante animo semel iterumq; lapsi fuissent. D. Cyprianus negabat admitti ad Episcopatum debere, qui post acceptum baptismum Christi, quacunq; necessitate adactus idolis sacrificare, quam vitam cum morte commutare maluisset.

Ad Pascha autem quod attinebat, quanquam liberum erat, vel primis illis Ecclesiis, quocunq; die, & illo etiam qui à Iudæis lege præscribẽte observabatur, Pascha celebrare, quod cõstaret filium hominis Christum Dominum esse etiam Sabbati: sed & noxia magis quàm frugifera ea videretur contentio, quæ multas Ecclesias nec breui tempore sollicitatat. Tamen qa Paulus Apostolus fideles Christi à legis ceremoniis tantopere esset dehortatus, & quia veteres aliquot Episcopi, quorũ præcipui Polycarpus & Polycrates fuerant, cum ipsis Iudæis pari tempore, sed non pari fide, juxta tempus lege præscriptum, hoc est, luna XIIII. mensis primi, perinde celebrandum asserebãt, quasi isthæc ceremonia abrogata inductáq; non esset, & legis sub vmbris figurisq; agere Christiani cogerentur: ratio inita est, ne Pascha amplius XIIII. cum Iudæis, sed insequenti mox dominico die, qui Christi resurrectioni est dicatus, perageretur. Qua ratione factum est, vt quoniam tempus Christi, Agni nostri mactati, in tempus legalis Agni nõ sine Sacramenti significatione incidisset, eaq; de causa ob temporis & sacramenti memoriam longis ipsa interuallis separare non conueniret, Dies Iudæis suus relictis sit, nostris autem sequens Dominicus quouis anno paschalis esset. Quem ordinem post Nicenę in synodo cõfirmatũ, & longe antea certis supputationũ regulis in singulis annos digestũ esse, legimus. D. Hieronym' author est. Eusebium primũ omnium eius rei explicatã rationẽ ostendisse, circulo illo decem & nouem annorũ reperto, cui & alios adiecit posteritas, tanta quidem industria, vt in illa quãtumuis variante mutatione annua, nec cõueniri cum Iudæis, nec errari in nostris vllo modo possit. Numerus autem lunæ paschalis solus quidem & constans manet ille, qui intra duodecimum Kalendas Aprilis & decimũ quartũ Kalend. Maii à nouilunio supputanti, decimus quartus occurrerit. Qui si Dominicũ aut proxime antecedentẽ diem inciderit, septimo post dominicũ die, hoc est Dominico sequẽte, Pascha nostrũ futu-

rum designat. Vnde & illud obseruatum est, Pascha nostris celebrandum in Lunam vicesimam primam, nec amplius, hoc est septem non amplius dies, à decima quarta luna decedere & abesse posse, intermediis interim diebus singulis Paschæ festum vicissim recipientibus. Qua in re tam circumspecta & solerti, merito subierit admiratio cogitanti, quonam modo acciderit, vt in illa tam arduis difficultatibus impedita ætate, Præsidibus Ecclesiarum otii aliquid iis studiis, quæ magis decora quam necessaria, sed tamen ad disciplinam atq; ordinem perquàm accommodata erant, impertiri potuerit.

Iustior quidem & magis necessaria scribendi causa illis fuit, qui cum Hæreticis magna studiorum intentione felicissime pugnarunt, quiq; scripturas vtriusq; testamenti, locupletissimis libris æditis, sunt interpretati. Quorum & hac ætate plures extitere, sed omnium tamen summus Origenes Leonidis Martyris filius, & Alexandrini Episcopi Clementis discipulus, quem D. Hieronymus ingenio immortali & labore infatigabili fuisse affirmat, Vnde & Mammeæ Alexandri Seueri Imp. matri, fauenti Christianismo charus fuisse traditur. Adeo felix & accuratus in enodandis scripturis Propheticis & Apostolicis, vt negent doctissimi viri vel hodie vllum esse secundum, qui primo illi pone locari, aut vllo modo conferri queat. Sextuplicem hic æditionem Bibliorum sacrorum ingenti labore cõportarat, non abhorrens vel ab Hæreticorum translationibus, quo ex illis vndiq; collatis, sanus & verus scripturæ sensus exquiri & teneri posset. Certe eius nominis ea celebritas fuit, vt à Prouinciis etiam, quæ eius doctrina perornari cupiissent, inuitaretur. Præterea & laico in statu, neque dum Presbyter ordinatus, ad munus docendi in Ecclesiis fuerit admissus. Hieronymus illum interpretem admiratus est, vt dogmatisten cum iudicio legit. Nam & ipse tot dotibus & labore tam peruigili & improbo, vt sic dicam, ornatus, hominem adeo exuere in scribendo non potuit, quin alicubi deuiarit, & lapsus fuerit. Verum Hieronymi sententia & Augustini, de scripturarum expositoribus cum iudicio legendis, hac aurea ætate, quæ scripturas summa veneratione obseruauit, pridem obtinuit, ipso etiam Polycarpo veteri & Apostolico præside contendente, ne quid pro vero reciperetur, quod traditum ab Apostolis foret nécne nõ constaret, id quod & insecuta ætate, de qua iam dicturi sumus, magno omnium doctorum piorumq; consensu obseruatum est.

ARGENTEA ÆTAS ECCLESIÆ.

ARGENTEAM autem ætatem, quam obseruatione temporum & morum doctrinarumque discrimine à Constantini initiis ad vsque Iustinianum, Iustini nepotẽ, extendimus, spacio annorũ plus minus CCXXVIII. comprehendemus. Quam quidem & ipsam religionis nomine non possumus nõ optimam confiteri. Verum multis & iustis quidem de causis inferioris notæ & æstimationis fuisse, quàm aurea illa omnibus ornamentis donata, fidem facient, quæ de veteri Ecclesiarum historia in litteras relata sunt. Proinde & Argenteam vocare libuit, vt dictum est, quod nemo non optimum & vsui mortalium itidem expositum esse argentum & reliqua metalla omnia antecellere agnoscat, auro tamen nemo vel æquet, nedum anteponat. Verum enim illud Poetæ:

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Constantini igitur benignitate sublatæ cum essent persecutionum procellæ, ipso etiam Maxentio de medio sublato, ceu publica quadam fide & pace Christianæ Ecclesiæ emicuerunt, ac velut è naufragio tutum aliquem in por-

in portum delatæ liberius paulò agere, congredi, loqui, docere, deniq; nullos non debitis officiis colere & prosequi ceperunt. Princeps ipse cum innocentia vitæ & morum etiam sanctæ religionis admirabili cõstantia commotus ante omnia curam habuit, quo ædes sacræ Christianorum, in quas furor ille Diocletiani & Herculii consortis perpetuo fere decennio sæuierat, non Romæ solum & in Italia, sed omnibus etiam in Prouinciis florentissimi tum Imperii extruerentur. Quæ res tum primum accessione quadam operarum & sumptuum, nec sine splendore peracta est. Ante enim domus priuatæ pro templis erant, nullo prorsus ornatu affectato, ac ne locorum quidem discrimine curiosius obseruato. Nam quę postea publicis conuentibus attributa sunt ædificia, tanta simplicitate condita fuere, vt Christi gregem clauderent modo inculti parietes, & tectum rude cœli iniuriam arceret cœlestibus mysteriis priuatim & publice vacaretur. Neque ædes sanè. Sed ædiculæ potius, nec templa sed sacella & oratoria reipsa essent: quę licet templa vocarint scriptores Ethnici, templis tamen, quę Constantino imperante exstructa sunt, conferri nullo modo potuerint. Accesserunt autem nouis & veteri non pauca Gentilium templa, quæ Constantino imperante, post eiecta simulachra & submotas impietatis aras, Christianis cœtibus dedicata fuerunt. Nec ædes modo sacræ, sed opes etiam sacerdotiorum paganismi, in vsum Christianorum ex parte translatæ sunt, Ecclesiis passim pro re & causa donatis, ne necessariis destituerentur. Sane modicas fuisse illas verosimile est, tum quod ea erant etiamnum abstinentia & parsimonia Episcopi, vt vltra id quod satis esset, grauari sese & rebus sæculis immergi passi non fuissent: (negat enim Hieronymus, qui huius ætatis ferme finem attigit, verè clericum esse, qui aurum & argentum & variam supellectilem possideat) tum etiam quod stipem iactam veteri more accipere, statisque diebus collectam facere, in pauperum vsum & alimoniam Episcopi consueuissent. Et est author Commentariis suis in Ezechielem D. Hieronymus, sua, hoc est hac ipsa ætate quam argenteam vocamus, morem fuisse ecclesiis Christi, vt publico e loco Diaconus post collectam peractam, horum nomina recitaret, qui liberaliter obtulissent. Contributio enim illa, quæ hodieque durat (verum auaritiæ ferule & quæstui) pauperibus & peregrinis debita, collecta fuit & oblatio. *Collecta* quidem, quod à Diaconis quicquid datum fuisset, dispensandum colligebatur: *Oblatio* autem, quod à ditioribus charitate & comiseratione commotis, fouendis egenis oblatum fuisset. Omnium autem rerum donatarum facultas & arbitrium penes Episcopos erat, nec nisi horum consilio & arbitratu Diaconi quicquam erogabant: tantaque moderatione & diligentia omnia dispensabantur: vt prima cura pauperibus, secunda Clero, reliqua vasorum Ecclesiæ sumptuumque, qui eius nomine passim sese obtulissent, adhiberetur. Episcopi, vt qui paterno in omnes, promptissimo autem in egenos animo essent, nihil sibi cupide, nihil auare vendicabant. Et si quæ pro functionis merito fideliumque liberalitate, paulo vberius ad manum erant, haud grauatim aliis vsibus largirentur, si quæ id necessitas Postulauisset. Ex vasis autem licet secunda illa ætate plurima Ecclesiis ex auro argentoque essent vsui, quo sacramenta honorificentius administrarentur, neque hunc ornatum refutaret religio, tamen ne quid charitati negaretur, neve arctiore quisquam illa religione quàm deceret obseruaret, adeo exposita erant publicis vsibus, laborantium præsertim & egenorum, vt captiuis etiam redimendis conflarentur. Neque grave erat Episcopis, nec molestum Ecclesiis, id genus ornamenta deferre, & hostibus etiam precium dare, quo viua illa & Spiritu Christi consecrata membra suis Ecclesiis redderentur.

Egenorum certe necessitati omnia bona Ecclesiæ seruiebãt: neq; alio magis fine primum collectæ, quarum meminimus, deinde etiam popularium donationes Principum huius ætatis liberalitati accedebant, quam vt essent ceu thesauri quidam publici, qui senibus curandis, fouendis ægrotis, pupillis, orphanis, viduis alendis, peregrinis hilariter excipiendis, singulis Ecclesiis pro loci qualitate hominumq; frequentia sufficere posse existimaretur.

Ampliſſimum imperium à patre Constantio Constantinus Maximus acceperat, neq; ante vnquã amplius numerosiusve Christi regnum in terris visum, nec in posterũ vnquã tot tantisq; Ecclesiis vlla ætate tam celebre fuit. Erat quidem & paganismi nondum in totum extincta malignitas, cuius restaurandi retinendique studia & insidiosa consilia multis tum in Vrbe, tum etiam in prouinciis, non deerant. Verùm Principum concessis immunitatibus, rescriptisque dira minantibus, si qui Christianos offendissent, factum est, vt horum fracta & intercepta religione, nostra subinde numero hoc fieret auctior, quo pronibres in Christianos Imperatorum animi extitissent. Extat Constantini rescriptũ in Codice Iustiniani, quo Taurum præfectum Prætorio admonet, placere sibi, templa paganorum locis omnibus & vrbibus claudi, & accessu vetari perditos, in totum autem sacrificiis illos consuetis abstinere oportere, pœna capitis & confiscatione bonorum in illos decreta, qui contra ire fuissent ausi. Atq; hæc quidem huius ætatis initia, hæc rerum incrementa fuere: florentissima plane & splendidissima, si ab ingratis animis & DEI nostri miserationem auersantibus non excepta, nec ad morum mutationem admissa fuissent. Pius Principis animus & veræ religionis amans, mortalibus non nisi Dei dono conceditur, Magnum igitur donum, Constantini imperio datum Ecclesiis, cuius liberali clementia factum est, vt non adiuti modo nostri, sed prohibiti etiam sacrisque tot sæculorum decursu custoditis interdicti fuerint, quum pace illa publica nihil præstantius augẽdis religionis ornamentis, nihil optabilibus videretur. pacem præterea secuta libertas nullis non accepta, immunitas nullis non grata esset. Verum (vt fit in opum administratione) primum publica vtilitas, charitate inhortante, omnibus curę fuit: mox ad priuata descensum est, paucorum quidem animis tentatione ita superatis & deuictis, vt qui aliis regundis coercendisque præfecti essent, seipsos regere & coercere nequirent. Opum enim admiratione & commodi priuati amore adducti quidam ex Præsulibus Ecclesiarum sua magis, quam quę Ecclesiarum essent, curare, seipsos pascere, ac ceu peculatu quodam res Ecclesiis & Christo dicatas alio transferre, suas facere, luxuiq; & libidini, sæuis pietatis pestibus, indulgere perrexerint. Sed & ex ocio & quiete remissior quædam cura & parum spectata vigilantia, certissima videlicet securitatis comes, irrepsit: pone vero & æmulationes & contentiones enatæ sunt, quarum intemperiis Ecclesiæ multę vehementer offensæ fuerunt. Quamquã id malum non hac ætate primum, sed superioris fine & illo decennii tempore radices iecit, quo Diocletiano & Maximiniano nondum imperantibus, ea quorundam Principum æquanimitas in Christianos apparebat, quæ & insperata retro & anteactis sæculis incognita, rerum omnium tranquillitatẽ polliceri videretur, quum aperte iam & intrepide, vel in aulis quorundam Monarcharum, Christum confiteri, & Christianum esse profiteri liceret. Quare ab insigni authore Eusebio Cæsarienſi, qui Constantino imperante vixit, libro Ecclesiasticæ historiæ 8. cap. 12. proditum & in literas relatum est, Ecclesias Christi extremam illam & decennalem Diocletiani persecutionem, iusto Dei iudicio & necessaria quadam correptione diuinę manus, perpessas fuisse, cum priores

priores omnes ferme inculpatis & innocentibus illatæ fuissent. Tradit autem ex multa libertate multaque indulgentia mores Ecclesiarum viciatos & disciplinam corruptam, hoc sibi mali accersiuisse, vt instar torrentis tyrannici furoris ardor omnes vbique Ecclesias nullo discrimine afflixerit, paucorumque peccata, promiscua multitudo fidelium innocuo sanguine suo, deluere coacta fuerit. Quemadmodum enim sub Moyse nunquam defuerunt Israeli impii & scelerati, maximarum scilicet afflictionum & plagarum authores, ita sub Christo nulla fuit ætas tam sancta & felix, quæ bonis & innocentibus plurimis malos & improbos immixtos non habuerit, quando & inter primos illos ad Euangelii functionem electos duodecim Christi discipulos, numero videlicet tantillo, repertus est, qui pecuniæ studio superatus Dominum suum tot modis meritum prodere & tradere in mortem fuerit ausus.

Cæterum vt esse ministræ solent vitiorum diuitiæ, in iis præsertim, qui harum vel amore vel admiratione tenentur, ita satis constat, hoc magis licentia vitę remissioris, hac ætate laborasse, quo magis annis insecutis Ecclesiarum opes creuerint. Optimi quique & sanctissimi pastores possidebant, non suo sed pauperum & aliorum vsuum nomine & iure, quorum caussa erant contributæ. Deteriores harum amore capti ab opibus possidebantur, studiis etiam adeo sordidis addicti, vt vir sanctissimus Hilarius huius ætatis alumnus alicubi non tacuerit suæ ætatis Episcopos fuisse, qui ex oblatione quæstum facerent, & quod pauperum alimoniæ fuisset datum, idipsum auaritiæ calcaribus incitati suis vsibus accommodauerint. Quod malum & Augustinus multis locis notauit; nec intactum prætetlit Hieronymus Cummentario suo in Oseam, palam testatus ex omni temporum decursu obseruatum à se, nullos vnquam maioribus scandalis Ecclesias scidisse, quàm sacerdotes. Id quod hac quidem Christianismi ætate suppullulauit, sequentibus longè maximè ac prope omnium delicto vsque adeò increduit, vt hanc secundam si postremæ ferreæ conferamus, planè aurea & plusquam aurea videri possit: quam Hieronymus tamen cum prima ætate collatam in Malchi vita *facem* appellare non dubitauit. Neque alio me res mouit magis, cur hanc ætatem primæ non æquarim, sed argenteam appellarim, quod qui antea subditos & suæ curæ commissos fideles CHRISTI non doctrinæ modo excellentia sed vitæ etiam puritate & abstinentia ad ad omne virtutum genus invitarant legibus, interim disciplinæ retinendæ perseueris adhibitis, mox paulo diuitiarum, luxus, dignitatis & honoris studiis corrupti vita fuerunt paulò deteriore, & exemplo nocuerunt Ecclesiis suis, quæ ferè tales esse moribus & disciplina solent, quales sunt qui ipsis præficiuntur.

Invenio autem hac primùm ætate, agros vectigales seruosque Ecclesiis donari ceptum esse: quamquam quidam nescio quàm probè id quoque (vt alia permulta sine vlla historiæ fide) primæ ætati, quò mores postea receptos orbi commendabiliores facerent, affinxerunt. Humanissime autem tractati sunt serui, & quia scriptura Noui Testamenti seruis libertatem precatur & commode impetratam probat, maluerunt Ecclesiæ libertis libertinisq; quàm seruis vti. Nota enim sunt Gregorii verba, duos Ecclesiæ suæ seruos manumissuri, quę à Gratiano etiam suis Collectaneis inserta supra lib. 2. retulimus. Sed & Principum huius secundæ ætatis legibus cauebatur, ne quod mancipium Ecclesiasticũ vel Iudæo vel Ethnico venderetur. Dignum enim erat, vt quoniam mansuetudo peculiaris Christianorum esset virtus, auaritia quorundam in hanc itidem partem peccatura coerceretur.

Sicut autem rerum oblatarũ administratione & vsu de vitæ sanctimonia nonnihil, velut diximus, detractum est, ita suo nihilo minus loco & dignitate scriptura habita est, tãtumq; ei venerationis accessit, præsertim in Latinis seu (vt ab aliis vocantur) Occidentis Ecclesiis, vt hac maxime ætate sanctissimorum interpretum labore & diligentia eum ad modum fuerint illustratæ & explicatæ diuinæ litteræ, vt nec ætas vlla tanto numero viros eruditione, doctrina, pietateque excellentes habuerit, & insecutis ætatibus qui scripserunt, magno interuallo abfuerint à primis, qui inter secundos sunt cẽsi. Meritò autem vltimi sunt habendi, qui inter postremæ ætatis scriptores omnium sententiis primi sunt iudicati. Porro Orientis Ecclesiæ vt omnium doctrinarum & eruditionis genere excelluerunt, ita huius quoque ætatis gloria non caruerunt, tanta quidem cum prærogatiua laudis, vt nostri, hoc est Latini scriptores illorum vestigia secuti quantum imitatione profecerint, ingenuè sint confessi, labore interim in Græcis scriptoribus transferendis adhibito, quò publicæ Ecclesiarum Latinarum vtilitati consuleretur. Horum nomina recensere ac ceu catalogũ texere superuacaneum esset quum liber exstet Hieronymi de Viris illustribus idemq; Gennadii rapsodia, quibus horum temporum scriptores abundè sunt relati. Illud non tacendum, primos horum, & citra cõtrouersiam summos, tanta animi moderatione & continentia fuisse, vt errare alicubi & labi & nihil humanum à se alienum esse non agnouerint modò, sed diserte etiam lectorem admouerint, ne non & cum iudicio legere quod istorum vigiliis elucubratum esset, & eatenus recipere & probare vellent, si quod esset traditum & explicatum à scripturarum confessis traditionibus non dissentiret. Hinc Augustinus contra Pelagianos Hilarium, Ambrosium & alios doctores, citantes: *Solis*, inquit, *Canonicis debeo sine recusatione consensum*. Sed & contra Petilianum scribens negat Episcopis vel Catholicis accedi oportere, ficubi deceptos esse constiterit, & cum scripturis pugnantia docuerint. D. etiam Hieronymus in prologo ad Galathas Marcellæ iudicium de scriptis suis licet muliebre adeò non reiicit vt etiam commendet. In vniuersum enim hęc pientissima sententia, argentea illa ætate sicut & aurea prima, oraculi vice habita & ipso ab Apostolo omnibus Ecclesiis præscripta est, vt ne quid pium, salutare, diuinum, & indubitatum existimetur à quantiscunque authoribus proditum & traditum, quod à doctrina Spiritus sancti, scripturis videlicet Propheticis & Apostolicis diligenter expensis & magna veneratione collatis vlla parte dissentiret. Quæ dubia autem & perobscura erant, posterorum iudicio relinquebãtur iuxta donum Prophetiæ, tantum aberat vt quidquã temerè assereretur: id quod in libris, quos scripsit Augustinus super Genesin ad litteram, facile est cognoscere. Accedebant iis & Imperatorum leges & rescripta, quibus cauebatur, ne quid religionis nomine admitteretur quod à fide Christianorum discrepare constaret. In hunc enim modum à Theodosio & Honorio aliisque huius ætatis Augustis non semel rescriptum est. Proinde vulgo etiam hac ætate noti & triti, scripturarum libri erant, Græcis nõ Græci modò sed Latini etiam, Latinis autem non Latini modò libri, sed & Græci pleriq; ob linguarum vsum in illa imperii adhuc florentis amplitudine peculiarem. Id verò vt obseruaretur magna cura priuatim & publice à sanctissimis Episcopis curatum est, & adeo frugiferum esse D. Hieronymus existimauit, vt barbaram etiam in linguam sacra Biblia Dalmatis suis transferre non sit dedignatus, & lucubrationes suas non paucas difficilium locorum tractationibus plenas matronis virginibusque inscribere, laudem prætera eis tum doctrinæ tum etiam scientiæ sanctarũ scripturarum vendicare non dubi-

dubitauerit. Erat & vsus Latinæ linguæ adeo tritus & vulgaris in Occidentis prouinciis, vt haud alia magis cum plebe egerint Episcopi. Et satis constat expositiones Augustini in Psalmos omnes aliud non esse quàm Conciones ad populum habitas. Neque quicquam periculi vnquam doctrinæ & fidei de plebe manauit, simplicem & puram fidem animo minimè aut hæsitante aut curiosè profitente.

Maximi errores Ecclesiis ab his solis iniecti, qui vel ingenii nihil sibi non tribuentis fiducia vel odiis amarulentis excitati vel immodica philosophiæ exercitatione inflati sua magis ingerere scripturis quàm harum oracula vereri & merito loco habere pertexerunt. Quod genus hominum & hæc ætas habuit, adeò quidem præfractos & pestilentes, vt inauditis antea dissensionibus persecutionibusque Ecclesiæ sese ipsas mutuis contentionibus afflixerint: nec parum nocuerit Principum furor, qui partium factione & astutia circumuenti & persuasi orthodoxa & frequentissimis conuentibus recepta dogmata, perinde atque impia & hæretica nō modo Episcoporum morte carcere, & exiliis, sed aliorum quoque fidelium non paucorum casu & internecione persequebatur: contra verò impia & fidei scripturarum vndiq; aduersa nugamenta, quæ curiose illi & immodice subtiles defendenda receperant, perinde atq; orthodoxa & Apostolica tuebantur. Hæresiarcharum præcipui erant, Arrius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Manes quidam Persa, Donatus Numidiæ Episcopus, & Pelagius Monachus natione Britannus. In Arrio quem Constantini imperium excepit, eruditio multifaria fuit, qua si abusus non fuisset, locum inter excellentes Ecclesiæ Professores assequi potuisset. Manes fœdi erroris author Diocletiano imperante emersit, à suis posteà nominis inuidia declinata Mannes dictus, velut refert Augustinus, quo minus dogma suum furiosum eleuari nominis præsagio posset. Donatus Constantini filiis imperantibus ea fere animi confidentia & supinitate fuit, qua fuerat ætate prima Nouatus: quem insecutus Pelagius Arcadio & Honorio imperantibus, longe omnes præsumptionis & fiducia superauit. Atque hoc etiam nocentior fuit error, quo hic carnis industriæ & iactati arbitrii humani libertati plausibilior videbatur. Vt enim in fœminis comparatum videmus, vt nullæ magis formæ quàm quæ minime sunt formosæ, sic in naturæ infirmitate fieri cernimus, vt nullis præconiis illa magis oblectetur magisque aures arrigat quàm quę sibi nihil non tribuunt & asciscunt. Carnem enim omnem sui amantissimam esse, sibiq; nihil non tribuere solere, Propheticæ & Apostolicæ scripturæ testantur. Coercendorum autem Hæreticorum cum hac ætate longe expeditior ratio esset ad manum sanctissimis Ecclesiarum rectoribus, quàm anteacta ætate fuisset, libertate videlicet Principum dono permissa, vt omnibus à partibus orbis vnum aliquem & condictum ad locum conflui posset.

Niceæ Bythiniæ aduersum Arrium synodus Constantino volente & exigente est celebrata. Prima quidem omnium à synodo illa Apostolorum, cuius in Actis meminit Lucas: neque alia vnquam antea οἰκουμενικὴ seu (vt vocant) *Vniuersalis* habita. In qua cum aliis multis controuersis dogmatibus certa ratio è sacris oraculis præscripta est, tum Arrii blasphemo errori magna rei deliberatione obuiatum est, gradus quosdam in Trinitate ita statuenti, vt filium substantia alia à patre & quidem factum, hoc est creatum, diceret: Spiritum autem Sanctum Deum esse negaret. Cui errori cum scripturæ plusculæ perperam intellectæ blandirentur, mox paulo à sequacibus eius ita maligne acceptæ & à sensu suo natiuo & orthodoxo detortæ sunt, vt quicquid de Christi persona duabus naturis consistante, iuxta humanæ natu-

tæ pro

ræ proprietatem diceretur, hoc ipsum omne nullo habito discrimine ad naturã alteram, puta verbi increati & æterni, referrent & perficaci cõtentione accõmodarent. Qua in re factum est (quis crederet?) vt & Cõstantius Imperator patre Constantino iam humanis exempto, veneno Arianorũ quorundam (vt est vaferrimum Sathanæ artificium) rectissimis versutiis imbibito ita mente motus fuerit, vt quas intulit nostris clades & strages, illarum persecutionum non admodum absimiles fuerint, quæ prima ætas ab Ethnicis magna Ecclesiarum clade perpessa est. Leuis autem horum erat pœna, qui exilio essent multati. Quorum in numero ex Græcis erat Athanasius Alexandriæ Episcopus præsentissimis insidiis longo tempore agitatus: ex nostris autem Hilarius, quem suos de Trinitate libros exulem scripsisse proditum est. Porro longè postea eadem rabie concitatus Imp. Valens, nihil mitior Constantio, (si Orosio credimus) author fuisse existimatur & Gotthis & Vandalis (fortissimis Germanorum nationib. in prouincias ingressis) quo fidẽ Arrii reciperẽt. Vnde & maior & diuturnior facta dissensio & afflictio, hoc magis postea nocuit quo plures illi prouincias obtinuerunt, nec quieta manere potuit à Vandalis inuasa Africa, quam D. tamen Augustinus paulo antea ingenti qua fuerat vsus diligentia & contentione parauerat. Hilarius author est, Constantium, quo plures in suam hæresin traheret, ea versutia vsum, vt Episcopis benedicentibus caput submitteret, plusculis censum capitum remitteret, multis vectigalia donaret, veræ videlicet religioni cõsulturus, quũ veram interim & orthodoxam scripturarum fidem oppugnaret & affligeret. Constat sane nullam vnquã vel huius vel primæ ætatis hæresin extitisse, quę maiores vires eundo acceperit, vel motu maiore Ecclesias minime alioquin fide & religione diuersas colliderit. Quod quidem totum temeritati tributum est. Non potest enim non difficile & periculosum esse pietatis negocium, quum qui rerũ potiuntur, maligne persuasi & artibus circumuenti ceu pium & orthodoxũ iubent & edicunt, quod ipsissima cum pietate dissentit.

Atque hoc minus Donatistæ quàm Arriani nocuerunt, quod ipsorum intellecto & prospecto dogmate nullo vnquam Monarchæ fauore sint excepti. Sola Africa pestem illam pertulit. Donatus enim dubium quibus furiis agitatus sermonem sparsit in vulgus, nec paucis Episcopis persuasit, Ecclesias Africæ priores Diocletiani persecutione scripturam sacram Ethnicis prodidisse & tradidisse: mox multis suam in sententiam tractis ita cerebrose tumultuatus est, vt & suam solam veram esse diceret Ecclesiam Christi, nec aliis iustitiæ professionem quàm suis permitteret. Deinde Episcopis Macario & Cæciliano Carthaginens. grauissime accusatis, ita se suosq; omni commercio orthodoxorum subduxit, vt & altare (ceu inquit Augustinus) contra altare erigeret, & vsu sacramentorum nostris negato rebaptizari iuberet, quicũq; ad ipsum ab orthodoxis defecissent. Adhæc ita iactato sanctimoniæ & innocentiæ nomine, vt qui sectæ eius essent, sine peccato esse sese & viuere profiterentur: neq; vllo loco nostros vel commercio hilariore vel etiam cõsessu honorificentiore dignaretur. Cæperat malum sub Constantio, nec parum vsq; in Honorii imperium auctũ fuit, doctissimis etiam viris, accurata quidem illa & sæuera specie religionis seductis, ab illis in errorem tractis qui fines Ecclesiæ Catholicæ CHRISTI solius Africæ tractu circumscripserant. Nam & posteri Donati reiectis semel Ecclesiis orbis omnibus sibi solis & doctrinæ puritatẽ & vsum sacramentorũ legitimum vendicabant, vt solos etiam se catholicam Ecclesiam dicere nõ verentur. Pars horum incertis sedibus vagi *Circumcelliones* vocabantur, censoria sibi functione quadam arrogata, iam has iam illas Ecclesias orthodoxorum adorti de ple-

de plebe sæpe multos & ipsos interim Episcopos fustibus cæsos necabant. Nec alia magis caussa fuit Maximiano Vagiensis Ecclesiæ in Africa Episcopo, quod ad Theodosium Imp. provocauit quam quod à Donatistis indignis modis esset tractatus. Pati enim noluit, vt Ecclesia Christi suæ curæ concredita Hæreticorum incursionibus pateret, sed vltore Imperatore seruaretur. Multis autem annis, qui deilla factione doctiores habebantur, nostros hoc est verè pios & orthodoxos Africæ Episcopos, rixis pluſquã calumniosis tanta obstinatia & intemperie fatigarũt, vt ipsos etiam ad Principes prouocatum, & ipsa de controuersia publice cognitum, lites præterea tum primum finitæ fuerint, quæ accusatione susceptа ipso Constantio imperante radices iecerant, veluti in libris aliquot de habita Donatistarum & Catholicorum contentione scriptis testatus est Augustinus.

Manichæorum hæresis sane stulta, sed noxia tamen & veterum tum Philosophorum tum Hæreticorum è scholis deducta est: eo fuco tamen & specie vt & Augustinus vir tantus ante tempus baptismi Mediolani susceptі annis aliquot eo malo laborarit, mox errore Domini gratia perspecto iuuenis etiam multis libris in væsana ipsorum dogmata fuerit inuectus. Primũ Deos duos faciebant, de Marcionis credo schola furorem mutuati, bonum videlicet noui testamenti & malum veteris authorem. Ea caussa vetus testamentum abiiciebant, nouo tamen & ipso calumniosè tractato vtebantur, Episcopis passim Presbyterisque institutis, qui quidem nuptiis damnatis, æquiores erant fornicationi quàm coitui qui prolem vllam ædidisset: iustitiam & perfectionem nõ minore quàm Donatistæ fiducia sibi arrogantes. Porro incautos & simplices admirabili quadam abstinentiæ & castitatis simulatione dementabant. Longis enim ieiuniis dediti, vino & carne abstinebant: agros, pecuniam, domus possideri à verè Christianis posse negabant: animal necare aut arborem excidere nephas ducebant. Animam duplicem, aut certe vt Deos ita duas itidem animas faciebant. alteram bonam boni Dei partem, alteram malam, sed & ipsam tamen æternam. Eius rei causa differebant DEVM etiam bonum in miseria esse, præterea & pœnitere; & pœnitentiam accipere, & id genus absurda multa. Quibus omnibus illud adiiciebant, quod satis constaret DEVM summè bonum mali authorem esse non posse, quia verò constaret & malum ipsum esse, consequens foret alium esse authorem vnde malum in mundum ingruerit: quem quidem & ipsum DEVM esse, vt ante dictum, autumabant. Putum hominem CHRISTVM fuisse vel Hebion vel Photinus ingesserat. Qui autem in errore maxime profeciſſent, eos *Electos* vocabant, adeo sublimi virtutũ culmine positos vt non modo non peccarent sed ne possent quidem si vellent. Absurdis autem id genus permultis licet impudica quædam atque etiam sclerata addiderint, veluti in libro de Hæresibus innuit Augustinus, tamen *Electos* vocabant qui doctrina & vita in speciem consumata videbantur: *Auditores* autem, qui perfectorum scholam frequentabant. Adeo autem serpsit malum non Græcis modo sed Latinis etiam in Ecclesiis, vt & ætati tertiæ à nobis referendæ, & etiam quartæ, plurimum negotii feciſſe sit in litteras relatum.

De Pelagio nunc dicemus Hieronymi & Augustini contemporaneo: qui sui perquàm dissimilis (Monachum enim agebat) scripturis quibusdam humano arbitrio tribuentib. mordicus arreptis adeo sese contra crucé & gratiam Christi laude & defensione nostræ naturæ veluti integræ & sanæ erant, vt hominem diceret peccatum omne non de natura sed de voluntate contrahere, nec nisi huius consensu illum contaminari, & eam vni arbitrio homi-

hominis tribuebat, vt excitare seſe ad opus DEO gratum adeoque emereri Deum, mandata seruare, & viuere posset. Quod quidem homo facundus & eruditus quanta potuit (vt Augustinus inquit) argumentatione defendit. Cum è diuerso scripturæ tum Prophetice tum Apostolicæ naturam nostram lapsu viciatam adeo infirmam & imbecillem esse confirment, vt ad emerendum Deum legemque præstandam prorsus sit inhabilis, sed & seruæ sit peccati & maneat, nisi gratia Dei impium iustificante subleuetur. Negabat autem peccatum originis Pelagius, atque hoc magis errorem tuebatur quod paruulos sine peccato nasci, & maiorum culpa vacare, mox autem adultos voluntate peccare aiebant: qui ipsi tamen, si vellent, itidem sine peccato esse & iustitiam operari possent. Porro loci sunt scripturæ nonnulli, quibus Deum sæpe voluisse innuitur, hominem autem noluisse. Ita enim & Christus Matthæ 23. *Quoties* (inquit) *volui congregare, ô Hierusalem, filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti.* Qui locus sane ita & velle & nolle homini tribuere videtur, velut suapte natura homo aliquid possit. Nec absimile vero est his animatum Pelagium hoc audacius in errore perstitisse, quo plausibilius erat dogma scripturis manifestis quidem in speciem sed parum tamen considerate expensis & collatis, confirmatum. Idem enim Christus, qui noluisse Hierusalem dixit, in eodem Euangelio, Matthæi cap. 13. negat illis datum vt velint vsque adeo *vt* vel *videntes non videant & audientes non audiant nec intelligant.* Quæ si Pelagius obseruasset, arbitrii libertati non tam temere detulisset. Socios erroris habuit Iulianum quendam & Cœlestium doctos viros, qui libris sparsis tueri Pelagium, quodque affirmasset locis aliquot D. Cypriani, Hilarii, Ambrosii, adeoque Hieronymi ipsius & Augustini libris passim deceptis detortisque defendere & persuadere sunt conati. Verum hæresin illam tam blasphemam, tamquam arrogantem & supinam DD. patres Hieronymus & Augustinus longe doctissimis lucubrationibus ira sunt adorti, vt confecta prorsus hydra illa plusquam lernæa videretur, vindicatis & scripturis & Patrum locis quibus illi essent abusi. Nam & ab Hieronymo Cypriani locus defenditur ab illis calumnioſe citatus in libris dialogorum, qui hodieque contra Pelagianos scripti leguntur. Nec parum laudatus ab ipso Augustinus ob ingenii præstantiam, quam in illa sua cum Pelagianis pugna ostendebat. Augustinus etiam ipse seſe tueri & à tortuosis illorum strophis defendere coactus est, à calumnia defensis interim & Hilarii & Ambrosii & Hieronymi locis quibusdam, quæ horum quidem verbis, sed longe alio sensu, adducebant, quam illi scripsissent. Tribuere autem videbatur orthodoxi illi Patres libero arbitrio, velut hoc ipso ad Christum conuerti, mandata persequi, & fauorem emereri adeoque sine peccato esse & viuere homo posset: verum non de illo arbitrio sentiebant, quod lapsu Adæ vulneratum tyrannide peccati seruire coactum est, sed de isto solum quod initio & ante lapsum Adamo donatum fuit, & quod post lapsum gratia Christi illuminante & erigente sanatum est. Id quod in nobili illo suo de Natura & gratia contra Pelagianos scripto libro Augustinus fusissime explicauit. Quare & ipse Pelagius haud longe postea celebribus in synodis huius secundæ ætatis damnatus est, & dogma diuersum scripturis cogentibus omnium consensu receptum est. De Arbitrio scilicet hominis misero peccatoque & iræ obnoxio nec legi perficiendæ præstandeve neque vlli bono operi (quod placere modo Deo possit) idoneo, nisi Christi gratia subleuetur siue quod idem est nisi fide in Christum illuminetur. Sunt igitur apud Hieronymum aduersum Pelagianam illam seu potius Luciferianam confidentiam arbitrii loci plusculi & perpulchri,

quorum

quorum ille præcipuus (omnes enim enumerare huius instituti non est) qui lib. 3. Dialog. vbi locum Pauli 2. Corinth. 3. cap. *Quod non idonei simus vel cogitare aliquid ex nobis*, &c. in hæc verba legitur: *Adhuc audemus per liberum arbitrium superbire & abuti beneficiis Dei in contumeliam largitoris, cum idem vas electionis apertissime scribat: habemus autem thesaurum illum in vasis fictilibus, ac abundantia fortitudinis nostræ sit ex* DEO *& non ex nobis. vnde ex alio loco retundens hæreticorum impudentiam loquitur: qui gloriatur in Domino glorietur*, &c. Et eodem in libro paulo infra: *Omnis hominum fortitudo marcessit & deperit, si à Dei auxilio deseratur. Nemo* (inquit Christus) *venire potest ad me nisi pater qui misit me traxerit eum. Quando dicit: nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem, quod etiamsi velit ad Christum pergere nisi fiat istud quod sequitur (nisi pater meus cœlestis traxerit eum) nequaquam cupiat & frustra nitatur.* Hactenus Hieronymus. Cuius sensum clarissime & ad fastidium vsq; Augustinus prosecutus est. Vnus enim ipse studio, labore, industria & vigilantia (quo veritas fidei scripturis & gloriæ CHRISTI vindicantur) omnes illos longo interuallo superauit, à quibus hac ætate aduersum Pelagii pernitiosissimum dogma pugnatum est. Sed & priuatim illustres eius sententiæ eliguntur, quarum illa vna est, quæ legitur in expositione eius in Psalmo trigesimo primo. *Opera ante fidem non sunt vel bona vel accepta Deo. Non enim sunt bona, quamdiu de radice bona non succedunt*, &c. Psalm. 21. *Nisi formaret te Deus ad bona opera, non nosceres nisi opera tua mala.* Item Psalm. 65. *Gratia Dei operaris non viribus tuis*, &c. Psalm. 118. *Idem rogandum esse Deum vt quod a se præceptum est largiatur.* Et ibidem Sermon. 5. *Viam suam dirigere nemo potest nisi Deo regente & faciente*, &c. Et Psalm. 134. *Nemo* (inquit) *incipit bene viuere nisi a fide*, &c. Ad hunc modum Augustinus quotidianis suis in concionibus Ecclesiam suam docuit, quod facere recte non potuisset nisi fauore publici consensus orthodoxorum & doctrinæ ab omnibus piis vulgo recepta veritate nixus fuisset.

Porro non hanc modo insaniam liberi arbitrii contra gratiam extollendi patres illi huius ætatis magna grauitate damnarunt, sed minime etiam ferendum esse, scriptura decernente, docuerunt, perfectionis nomen ampullosum & inflatum in vllis fidelibus Christianis, quantiscuque donis gratiæ & fidei insignibus. Trahit enim & hæc opinio persuasionem quandam virium nostrarum tamquam eximiarum post acceptam gratiam, velut & ipsis iam sanatis (vt sic dicam) postliminio reuersis haud parum præmii debeatur meriti respectu. Quod venenum Pelagiano illi vicinum primùm ita incautas mentes stupore subuertit, vt & sibi tribuere velut ex se bonis, & frigide agnoscere gratiam donatam & Christi meritum, quo solo nitendum erat, pergant: Præterea istam fiduciam sui, quæ omnium pestilentissima φιλαυτία est, vanæ gloriæ & Pharisaicæ confidentiæ seminarium esse videre negligant. Sicut idem viribus suis & merito fisus Pelagius non dedit, quando ad viduam quandam, quæ sancti orare debeant, (si Hieronymo credimus) inter alia in hæc verba scripsit: *Ille merito ad Deum extollit manus, ille preces bona conscientia fundit, qui potest dicere: tu enim nosti Domine quã sancte, quam innocentes, quam pure sint ab omni fraude & iniuria & rapina quas ad te expando manus, quam iusta, quam immaculata labia & ab omni mendacio libera quibus tibi vt mei misereatis preces fundo*, &c. Sic ad viduã illam Pelagius, arrogatu nimirũ innocentiæ plusquam pharisaico sibi primum iustitiam tribuens, deinde & DEI opem veluti sibi debitam agnoscens. Cui non possunt non similimi esse qui post acceptam gratiam ita fauent factis suis studiisque & operibus fru-

 ctibus

ctibus scilicet fidei, vt quod boni inest suum ad meritum magis quàm ad meritum Christi & gratiam per ipsum acceptam ingenti errore adscribant. Iustitia enim & perfectione supini, & in Christum seruatorem ingrati non medico tot modis merenti, sed sibi ipsis, adscribunt quo sani sunt: sed nesciunt hoc se minus iustos & perfectos, quo sibi magis horum nominum titulis blandiuntur. Quare optimè & pientissimè ab illustri huius ætatis scriptore D. Hieronymo libro 3. Dial. iis verbis Pelagio responsum est: *Christiani est hæc an Pharisæi superbientis oratio, qui etiam in Euangelio loquebatur:* DEVS *gratias ago tibi quod non sim sicuti cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri?* &c. Et libro primo, Dialog. aduersus eundem in hunc modum scripserat: *Tunc ergo iusti sumus quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito sed ex Dei consistit misericordia, dicente sancta scriptura: Iustus accusator est sui imprimis sermonis. Et alio loco: Dic tu peccata tua vt iustificeris. Conclusit enim Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur. Et hæc hominis summa est iustitia, quicquid potuerit habere virtutum non suum putare esse sed Domini qui largitus est.* Hactenus Hieronymus: qui eodem libro locum Apostoli ad Phil. 3. exponens indicat Apostolum suo ipsius exemplo demonstrasse, *nihil adeo in hominis Christiani vita quarto scumq; conatibus contendente perfectum esse, quin ipso relicto ad postiora & excellentiora peruenire possit, vt quod hodie perfectũ putamus dum ad meliora & priora extenditur, cras imperfectum fuisse conuincat.* Atq; ita per singulos gradus dum vel ipse Apostolus nunquã in statione sed semper in cursu est, imperfectum docet quod homines putabamus esse perfectum, solamque perfectionem & veram iustitiam Dei tantum virtutib. coaptandam. *Hæc est enim*, inquit Hieronymus, *vera sapientia imperfectum se esse nosse*, atque (vt ita loquar) cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est. Idem author in Epistola ad Ctesiphontem, argumentum à discipulo quodam Pelagii concinnatum his verbis recitat: *Si nihil ago absque Dei auxilio & per singula opera eius est omne quod gessero. Ergo non ego qui laboro sed Dei in me corona bitur auxilium, frustrag, dedit arbitrii potestatem quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuuerit. Destruitur n. voluntas quæ alterius ope indiget. Sed liberũ dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit nisi fecero quod valuere*, &c. Postremo sic colligebat ille discipulus: *Aut vtor semel potestate quæ mihi data est, vt liberum seruetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur*, &c. Atq; verba his verbis reponit Hieronymus: *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam, qua hæreticorum venena non superat. Asserunt se per arbitrii libertatem nequaquam vltra necessarium habere Deum, & ignorant scriptum: quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Magnas agit Deo gratias* (Pelagius) *qui per libertatem arbitrii rebellis in Deum est, quam nos libenter amplectimur, ita duntaxat vt agamus semper gratias largitori. sciamusq; nos nihil esse, nisi quod donauit in nobis ipse seruauerit, dicente Apostolo: Nõ est volentis neq; currentis sed miserentis Dei. Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim item Apostolus: Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Hucusq; locum Hieronymi retulimus. Pari modo & Augustinus multis in libris grauissime admonet, cauendum nobis ne in vlla bonitate operũ velut nostra efferamur, aut quidquam in illis tamquã nobis debitũ fiduciæ collocemus, sed hanc solam illi esse tribuendam, cuius gratia in lucem è tenebris vocati & ex iræ filiis filii Dei facti sumus. Primum in commentario in Canonicam Ioan. super illo: *Charitas ex Deo est*, &c. *Nec initii tũ* (inquit) *ex nobis & perfectio eius ex Deo. Et si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Auertat enim Deus hanc amentiam, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorẽ ipsum.* Deinde in libro De gratia & lib. arb. c. 6. *verissime* (inquit) *dicitur, quod dona sua coronat* DEVS, *non merita tua*, & sequenti cap.

Si

Si Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam tua merita sed tanquam merita sua, &c. Idem in Psalm. *36. Si* (inquit) *Dominus gressus hominis non dirigeret, adeo praui essent vt semper per prona irent & semitas curuas sequendo redire non possent,* &c. Vnde & nobile eiusdem dictum in Psalm. *118.* Sermo. *5. Viam suam per se nemo corrigere potest nisi Deo regente & faciente.*

Proinde ætas hæc secunda, quam Argenteam vocamus, summam curam adhibuit, ne scripturæ sanctæ, quæ homini meritum bonorum operum & præmium etiam iuxta parabolam Christi de talentis commissis adscribunt, superba carnis præsumptione viciarentur, & ipsa quæ soli DEO per filium Christum debetur gloria regnantis fidei non DEO sed homini velut ex se merenti tribueretur. Cum certum interim & indubitatum sit, ita merita nostra se habere, vt si vel maxime diuina nobis ipsa clementia in verbo scripturæ communia faciat, interdum ceu propria sint depingat, tamen summa boni & quicquid est meriti sufficientiæque DEO ipsi gratis nos vocanti & sananti adscribi debeat: contra, quicquid est mali & peccati, idipsum solis nobis acceptum ferre oportere. Quod ipsum dum cogitat animus scientia fidei imbutus, fit vt præsumptionem, superbiam calce premat: humilitatem autem peccata confitentem in corde locet, & cum Rege Prophetico dicat: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Inueniemus* enim *nos peccatores, cum in scripturis sanctis contemplati fuerimus quantumcunque profecerimus,* sicut in Psalmo 140. scripsit Augustinus. Quod enim peccatur à nobis etiam gratia præditis, nostrum hoc est, nostræ infirmiæ naturæ est: quod bene agitur, de beneficio est DEI. Quare nihil iactandum gloriose aut nobis confidenter tribuendum maximi huius ætatis viri ex inuincibilibus scripturis demonstrarunt. *Omnem enim sufficientiam nostram* ex Deo esse, ipse Paulus altera ad Corinth. capit. 3. docuit, *Perfectos* alicubi vocans, qui hoc sano sensu sunt præditi, vt dum perfecti videntur lege carnis in ipsa perfectione imperfectionem, hoc est infirmitatem & peccatum, agnoscamus & confiteamur. Quando & Gregorius alius ætatis scriptor ingenue agnoscat, *Homines in opere omni etiam bono peccare, non quod id quod dat gratis iuxta legem spiritus bonum est, ea ipsa ex parte sit malum* (quis enim sanus ita sentiat?) *sed quod natura nostra lege peccati grauata non præstet aut digne satisfaciat, eo modo quo deberet quod præstat & facit.* Vnde illud Christi est: *Cum omnia fecerit us, dicite serui inutiles sumus.* Quod enim debuimus, fecimus. Item illud Psalmistæ: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebitur?* Est enim natura nostra per se inuita ad præstandum quod lege iubetur, & quod in ipsa est legi non consentit sed repugnat, quod abunde cap. 7. ad Roma. demonstrauit Apostolus. Eximię igitur gratiæ est Christi, qua *qui gloriantur in Domino gloriantur* iuxta Apostolum. Pugnat enim gloriari in Domino & simul alte de nobis sapere, aut nostris operibus meriti persuasione blandiri. Verissime enim dictū est ab Augustin. in Psal. *31. Si vis alienus esse à gratia, iacta merita tua,* &c. Quod quidē non ea causa dictū est, velut nullum sit meritū nostrū, cum clare scriptura & meritū agnoscat operū charitatis & mandatorum Christi, & præmium etiā merentib. statuat, quemadmodū nihil de proximo merentib. pœnam. Verum meminisse oportet quod talentum, quod Dominus nobis ad vsuram faciendam contradidit, non nostrum est sed Domini, qui ratione subducta non talentum modo sed & vsuram per talenta factum sibi vendicat: seruum autem, qui accepto talento nihil lucratus est, in tenebras exteriores eiici iubet. Perinde enim faciunt, qui bonorum operum meritum velut de suo natum sibi arrogant, atque ij solent qui de sorte aliena vsuram cum faciant, non tam vsuræ quàm sortis possessione efferuntur: quibus profecto

facto nihil odiosius, nihil ingratius est. Nam & Apostolus: *Fratres* (inquit) *mei dilecti stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini cum sciatis quod labor vester non est inanis in Domino*, &c. Non inanem futurum ait laborem nostrum, verum non in nobis aut ex nobis sed in Domino, hoc est in gratia & misericordia Domini, qui sua nobis perinde atque nostra sint communefacit, quodque reuera suum est hoc nobis adscriptum nullius indigus æternis præmiis compensat. Hanc fidei scientiam qui non habent, ne spiritum quidem qui ex DEO est habent. Per hunc enim scimus, quæ donata sunt nobis.

Atque hæc quidem de arbitrio & merito ex huius ætatis Patribus hoc fusius referendum esse, putaui, quo vehementius admiratus sum esse potuisse insecutarum ætatum homines, qui hæresin tam fœdam, & tam euidentibus scripturis Patrum tanta diligentia cõfossam & repressam, admittere iterum & inter orthodoxa dogmata habere non dubitarint. Ad institutum autem vt reuertamur: in Arrianis oppugnandis primas tenuit apud Græcos Athanasius; apud Latinos Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, præcipui habẽtur. Donatistæ, Augustini ferè industria sunt oppressi. Nec satis scio, an vllus alius Manichæorum insaniam magis erudite & pie magis represserit. Illud certum est, neminem ex Patribus Pelagii dogma maiore diligentia confutasse. Extitit quidem hac ipsa ætate Priscilliani Hispaniarum Episcopi hæresis, partim de Manichæis partim etiam de Pelagii fonte deducta: verum *cito est* (vt ait Hieronymus) *non modo totius orbis authoritate sed etiam sæculi gladio damnata*.

Non tacendum vero quod lib. 2. aduersus duas epistolas Pelagianorum scribit Augustinus, adusq; suam ætatem & imperium Honorii paucissimas hæreses fuisse, quæ necessitatem synodorum Ecclesiis orientis & occidentis imposuerint, sed suis quasq; locis oppressas fuisse, maxime illas quæ sanctis scripturis traditionibusq; catholicis palàm aduersarentur. Doctrinam quidem tantum, non etiam vitam Hæreticorum insectabantur Episcopi huius ætatis. Et ad Donatum Africæ Proconsl. scripsit Augustinus, *Non decere vt Præsides Ecclesiarum in vitam quantumuis immanis Hæretici quicquam moliantur, sed magis ne supplicio afficiantur intercedant, & vt conuertantur curam adhibeant.* Oportet enim esse hæreses in Ecclesia Paulo testante, quo qui probati sunt manifesti fiant. Exercita n. est ab Hæreticis Ecclesia Catholica, & (vt inquit Augustin⁹) *ex iis qui male sentiunt, probati sunt qui sentiunt bene. Multa n. ait latebat in scripturis, & cum præcisi Hæretici, quæstionibus agitauerunt Ecclesiam Dei.* Atque ita factum vt exorto Sabellio diserte loqui de personis Trinitatis Ecclesia assueuerit. Nec erat tam probe nota multis amplitudo pœnitentię Christianę, quàm post Nouatum innotuit. Arrius & ipse ansam dedit nostris hoc vlterius asserendi coæternam diuinitatem Trinitatis, quo seuerius in illam inuectus est. Sic & Manes, vt antea Valentinus & Marcion, infame reddidit Christianis immodicũ studium Philosophię. Donatus, quã oppressurus erat Ecclesiam, eandã ipse trãsfuga maiore cognitione veritatis fundauit. Pelagius aũt è Stoa progressus t ãtisq; & doctrinę & eloquẽtię pręsidiis armatus, hoc magis eminentẽ facit gloriam Crucis & meriti Christi, quo insolentius merito hominis & arbitrii libertati patrocinari conat⁹ est. Vsq; adeo omnia his q̃ credũt in bonũ operantur: & causa sit euidẽs, cur ferre nos Hæreticos oporteat. Ius cogẽdi certe nullũ huius ętatis ministris fuit, & causę religiõis apud ciuiles magistrat⁹ frequẽter actę sunt, prouocatione hinc ad Imperatores facta, si qua de re iniqui⁹ cognitũ fuisset. Cogebãt Imperatores curabãtq; edictis ne essent ampli⁹ qui scripturis manifestis essent cõuicti. Ea in re curabant Episcopi, ne quid durius sanciretur quã Christiana modestia ferret: sublatis

latisq; quantum in ipsis erat, capitalib. sententiis Reges orabant, ne grauiores, quam pecunias pœnas & damna pertinacib. infligerent, & locum pœnitentiæ vel ferè relinquerent. Auferre enim hæreses ne sint, vix possunt, arceri duntaxat, ne noceant aut offendant, neve in vlla Ecclesia molesti sint, possunt. Ad hunc enim modum & cum Donatistis actum esse Augustin⁹ scribit, qui & librum de Donatistarum correctione composuit. Porro quanti laboris & periculi res sit confligere cum impiorum dogmatum authoribus, & tutores impietatis scripturarum panoplia adoriri, adeoq; fidei Christianæ veritatem suam vindicare præsente religionis controuersia triginta iam annis & amplius durante satis superq; experti sumus.

Et tamen hæc secunda tam nobilis ætas, quemadmodum & prima, non hoc solo tam graui & violento turbine agitata est: alia tempestas Iuliani Imperatoris perfidia exorta est. Erat hic Constantii fratris Constantini Magni filius spectata indole, adeoq; ad litteras bonas & omnifariam notitiam prona dociliq;, vt apud Constantinum Imp. fratrem suum patruelem quanquam dissimulantem vel eo solo nomine magnam in inuidiam inciderit: animum tamen eius multa fama celebrem amantemque Christianæ religionis impii præceptores demum adeo corruperunt, vt Cæsar factus Constantio volente, mox vero in Galliis rebus prospere gestis Augustus à militibus dolente Constantio appellatus, palam paganismo fauere & nostros palam odisse occæperit. Ac primum quidem vacillans & fluctuans nunc hos nunc illos amplectebatur, restitutis ab exilio vel orthodoxis Episcopis quos Arrianis fauens Constantius detruserat. Fauebat & Iudæis, nec obscurè significabat varietatis tam lubricæ & inconstantis non pudere se, quo citius suscepti imperii sui initia publico omnium ordinum hominumque fauore confirmaret. Id enim assecutus, perfidiæ iam manifestæ blasphemiam etiam coniunxit, Iesum Seruatorem quem antea erat veneratus per contumeliam Gallilæum appellans. Primum omnium de opprimendo Christianismo ea suscepit cõsilia, vt & à sanguine & cædibus abstinendum sibi duxerit. Nec aliamagis via grauandos Christianos decreuerat, quam vt contemptos abiectosq; nec munere vllo nec honore dignaretur: breui futurum ratus, vt nostri, qui paucorum ante se principum fauore erecti essent, veterum Deorum sacris reuocatis premi iterũ & ad nihilum redigi possent. Rem ergo adgressus Christianos paulatim & publicis non pacis modo sed & belli functionibus cum honore & dignitate coniunctis destituit: mox & artium & doctrinarum professione interdixit. Martyrum monumenta, si quo loco honoratiore posita essent, subuerti curauit. Templa Deorum à Constantino claudi iussa rescriptis quaqua versum missis aperuit. Sacerdotia locupletata & nouis quibusdam disciplinæ legibus emendata reuocauit, tanta quidem contentione venerandorum Numinum, quorum auspiciis (vt putabat) res imperii creuissent & confirmatę essent, vt vrbes omnes cruore victimarum velut nouo & multis annis interdicto pollŭerentur. Mirum autem ne militari quidem ingenti cura coerceri Iulianum potuisse, quin & calamo nocere Christianis perrexerit. Septem enim libros in ipsa aduersum Parthos expeditione contra Christum scripsit, obseruatis passim vtriusq; Testamenti plusculis locis pugnare in speciem aut absurda quædam prodere visis, quos homo perversus & mente captus tanta dicacitate & scurrilitate sursum deorsum iactauit probando, vt vel hac vna causa *rabidum* eum *canem* vocitarit Hieronymus, & ipsis ab Ethnicis existimatum sit, diuina eum vltione periisse, qui gloriæ audissimus omnium hominum fauorem captare consueuisset. In reditu enim à Parthis, quos iam multis oppidis receptis fugarat, victor

ipse preter omnium opinionem ab hoste Persa subitò incursante petitus telo; in latus saucius haud multis postea horis vulnere extinctus est: Dignum sane monstrum, quod non in acie sed in angulo trucidaretur. Eo enim modo Gallus frater eius, quem & ipsum Constantius Cæsarem fecerat, propter insignem animi malignitatẽ percussoribus submissis trucidatus fuerat. D. Hieronymus, qui vita sua maturiore (sicuti & Ambrosius & Augustinus) nõ longe à fine huius secundæ ætatis abfuit, scribit se puerum adhuc & in grammatico ludo exercitum Iuliani morte nunciata ab Ethnico homine audiuisse, qui ludens dixerit; *quomodo Christiani dicunt Deum suum patientem & ἀνέξικακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico quidem spacio indignationem suam differre potuit*, &c. Merito igitur inter suos Diuos relatus est, qui ab vnius Dei cultu tantopere separatus & vltione diuina vel suis hoc fatentibus percussus fuerat. Nec est quod dubitemus, quin si longiorem ei vitam vltor ille perfidię donasset, tam breui tempore paci & tranquillitati Ecclesiarũ omnium abesse potuisset, quàm eius antea patruus Cõstantinus profuerat: nec minus damni illaturũ fuisse religioni insidiosa sua quãuis sanguine carente persecutione, quàm ante multo cum sanguine credentium Ethnici Imperatores contulissent. Hæc igitur procella Iuliani fuit, hic turbo ad pietatis subuersionem excitatus, Constantii quidem & Valentis conatib. vt dissimilis ita etiam longe mage noxius. Illi enim prætextu iuuandi Christianissimi Christum ipsum scelerati dogmatis assertione obscurabant: Sic doctrina Christi, quam antea professus fuerat, perfidissime abnegata hoc vnum omnibus vocibus contendebat, vt amplitudo imperii cum veterum Numinum reuocato cultu Christi nomine & religione exueretur.

Atq; his quidem malis & incommodis tametsi suprà, quàm facile cogitari possit, Ecclesia Christi Catholica laborarit, rapacibus videlicet lupis vndiq; pressa & circumsepta, tamen ea etiamdum constantia & animositate fuit, vt prima illa religionis fundamenta, Puritatem dico Apostolicæ doctrinæ ministeriique æqualitatem & charitatem mutuam nulla non in parte tueretur & custodiret. Nocebat quidem ambitionis quiddam & auaritiæ non nihil in his duntaxat, qui opũ & dignitatis illecebris capti sæculi blanditiis erant irretiti, vt supra est dictum. Verum tamen à plurimis carpebantur quotidie, quæ à paucis erant commissa, & in totum enormibus vitiis locus nullus cedebatur, quæ quidem vel ad morum labefactationem vel ad doctrinæ contaminationem incommodare potuissent. Eius rei argumentum euidentissimum fuit, quod ne Principibus quidem orbi imperantibus, si quid enormius commisissent, parsum est. Et Theodosium (quis credat?) Imp. Ambrosius ob homicidia licẽtius, quàm æquitas ferret, indulta, Ecclesiæ communione exclusit. Nota erat & omnium animis insita spiritualium bonorum cõmunio, quam mutuam & gratuitam habent credentes à Patre per spiritum filii sui Iesu Christi in consortium & ciuitatem sanctorum recepti, & membra corporis Christi facti, qua vnius Catholicæ seu vniuersæ aut (quod idem est) corporis Christi mystici per spiritũ adoptionis filiorum Dei toto orbe cõgregati indiuidua comes est. Vbicunq; enim Ecclesia est orthodoxa, ibi est & sanctorum cõmunio, hoc est participatio omnium bonorum spiritus Christi & omnium donorum fidei. Et è diuerso, vbi communio est sanctorũ Dei, corpus videlicet Christi diuersis è membris ferruminante spiritu contractum & conglutinatum, ibi Ecclesiam esse Christi necesse est: cuius quia vnus spiritus, vna fides in Christum & omnem doctrinam Christi, vnus sensus, & vna voluntas colendi Dei & proximi iuuandi cõsistit & ducat, factum est vt & vnitatis nomine numerosissima credẽtium multitudo com-

prx-

prǽhensa sit, & omnes omnium terrarum Ecclesiæ reipsa vna Ecclesia sit: sicut eiusdem etiam vnum caput, vnum fundamentum, vnus lapis angularis, præputii & circumcisionis vnica petra Christus est. In Christum igitur quidquid baptismi interuentu per fidē incorporatum est, quidquid cœlesti illa ciuitate donatum est, per eandem fidem assequitur quidquid Christus est, imo, quidquid Christus est, thesaurum scilicet incomparabilem gratiæ, iustiæ, sapientiæ, sanctificationis & redemptionis, hoc vno postulato vt authore innocētiæ & sanctitatis Christo Iesu cognito iam & perspecto & per fidem apprehēso, ipse veterē hominem cōcupiscentiis deturpatū & peccato captiuū ponat, & nouum induat bene de proximo merentē professione sinceritatis & veritatis. Hi n. sunt fructus bonę & fidelis arboris, quę arborē nō faciunt bonā sed indicant: nec addunt quidquam arboris vigori, sed de ipsa suam sumunt, adeo q; boni sunt nō sibi sed ipsi debent arbori. Non n. bonæ solū sed & malę arbores fructus edunt: nec sunt opera vel petra fidei vel thesaurus, sed è cōtrario petra operū ipsa fides est, quæ thesaurū homini Christum triumphantē ad dextrā patris & intercedentē pro suis adeo omnis sufficientiæ plenum vt insufficientē vel cogitare nephas. Addere autē velle vel iustitię redemptionis & vitę nomine, summa blasphemia sit. Hunc thesaurū dudum positū perq; omnia consummatū & inæstimabili virtute perfectum, spiritus mouens & illuminans indicat, fides apprehendit, spes in corde collocat, charitas fructu & opere insignem facit. De huius thesauri meree preciosissima animæ sitientes & esurientes satiantur sine vllo pretio, sed sola fiducia nihil hæsitāte & omnia Christo tribuente: quod verbis rotundis Prophetæ, quod Christus ipse, quod apostoli Christi docuerunt. Hæc mensa est cœlestis & viuificę saturitatis, ad quā inuitatos gratis satiat Dominus, modo qui adeunt veste sint non spurca aut sordida sed nuptiali induti.

Huius rei minime ignara hæc ætas, summam totius religionis collocauit in fide, qua soli Christo ex voluntate Patris honos omnis & gloria omnis tribuitur, iuxta illud æterni patris: *Hic est filius meus dilectus, in quo cōplacitum est: ipsum audite.* Ante enim Esaias dixerat: Omnis qui fidit illi non pudefiet. Sed & filius Christus posteat: *Amen Amē dico vobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternā & in cōdemnationē non venit, sed transiuit à morte in vitam.* Idem alio loco figuram corpori & vmbram luci cōiungens: *Sicut* (inquit) *Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam.* Quis credit in eum? qui corde contrito & humiliato agnoscit & cernit, quid in ipso pater misericors nobis dederit, donarit, largitus sit. Quam rem verbo Dei, vt ipsum calamo Spiritus sancti in litteras relatum est, discimus & tenemus. Hoc faciunt Ecclesiæ orthodoxæ, non nisi Pastoris sui vocem agnoscentes, hoc Apostoli doctores monent & hortantur, ne hominis verbum Dei verbo præferamus.

Qui habent igitur fidem, simul & charitatem habent diffusam in cordibus fide illustratis. Quibus donis Sancti Spiritꝰ efficitur, primum vt redempti per Christum nō in nobis, qui nihil sumus, sed in Domino gloriemur sucundū scripturas: dein vt & nobis nihil priuatim vindicemꝰ, sed omnia spōte cōmunia habeamus cum iis, quorū omniū nobiscū misertus est Dominus. Non quærit n. sua charitas sed aliorum vtilitati inseruit, nec tam invida aut sui amans esse potest, vt quod sibi gratis & nullo merito donatū esse quotidie cōfitetur, idipsum (naturę lege violata) aliis & ipsa nō sponte & vltro obuenire nō comprecetur & optet. Nouit hæc & probe tenet omnium Ecclesia-

rum fides, dona omnia mẽbrorum corporis Christi, quę aliis atq; aliis membris priuatim donata sunt, hac ipsa de causa cõmunia & gratuita esse debere, quod nõ nostra bona sed Christi dona sunt. Adhæc omnia ea sinceritate & dilectione à Deo petenda esse pro Ecclesia, quã & Ecclesiam orare pro nobis desideramus. Omnia igitur & gratuita & spontanea mutuę charitatis officia habet cõmunio illa sanctorum Ecclesiæ Christi, quam in Ecclesiastico symbolo credere nos cõfitemur, dum dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem*, &c. Vt enim fides, quę donum est Spiritus Dei, membra nos facit corporis Christi, ita charitas non modo cõmunia habet omnia dona Christi in membris omnibus, sed etiam cõmunia gratuitaq; vt sint, longe maxime curat. Quod enim gratuitum non est, charitati asscribi non potest: nec pietas putanda est, sed cupiditas, quę in proximo iuuando mentis candorẽ negocio ventris exterminat. Meminisse enim oportet credentes vnum se panem iuxta Apostolum, & vnum corpus esse indiuisæ fraternitatis, qui vno de pane domini corpus sumendo participant & sanguinẽ Christi cõmunem habent abluentem & repurgantem ab omni peccato, qui de vno calice toto terrarum orbe Christi sanguinem bibunt. Hoc n. mysterio, scriptura teste, nõ redemptio modo per Christum consumata sed etiam vnitas corporis Christi & vnitatis Charitas omnium mẽbrorum Christi annunciatur. Nihil igitur mercenarium habuit vel probauit hęc ætas in donorum spiritualium & operum cõmunicatione, sed veritatẽ scripturæ amplexata sciuit & cognouit, primum sua fide iustũ viuere, deinde fide præditum & ciuitate Dei donatum communicatione donorum spiritualium Christo authore gaudere, nec esse in hominis manu vel pium arcendi à donis Christi vel impium ad dona Christi adducendi, sed eius solius esse qui iustificat impium, quiq; illum illuminat solus, & vt quis filius Dei fiat solus author est. Per illum, si credis, gratuitam habes vitam æternam & in cõsortium recipieris omnium donorum & meritorum Christi. Ab illo si alienus es, extra corpus eius es, nec habes quod mẽbris debeas qui ipse nec membrum es viuum, neq; vllo capitis spiritu vel motu vegetaris. Si membrum es tua fide factum, omnia tibi gratis precatur, gratis optat, gratis orat, gratiã Christi agnoscens Ecclesię Christi fraternitas. Ita enim & abs te orari pro se, & rem diuinã pretio nullo constare nõ ignorat. Caret enim fermento Pharisaico, & vsq; adeo est aliena à quæstu, vt recipere se cogi valde doleat, dum vel egestate vel ægritudine premitur. Ea enim charitatis liberalitas est, ea gratiæ puritas est, vt ne suspicionem quidem ferat mercedis præstitæ ne dum cupitæ aut quæsitæ culpam & notam. Verissime enim dictum est à Hieronymo: *Dona spiritualia semper viliora fieri, si merces media sit.* Neq; rem aliam magis ostendit & docuit hæc secunda ætas, quàm quod & in prima scripturis iubentibus defensum & obseruatum est, nihil minus ferre posse charitatẽ Ecclesiasticę cõmunionis, quàm beneficentiam cupiditate viciatam. In corpore enim Christi, velut docet Apostolus, spontanea est sollicitaq; membrorum omnium consensio: quę nisi gratuita sit, pura nõ erit, sed Simonia fœdabitur. Quod dum fit, non modo nomen sed etiam virtutem amittit. Neq; erit κοινωνία illa omnium donorum Christi inter sanctos fide, spe & charitate præditos, quam Paulus & Lucas tantopere prædicarunt, sed potius ἐμπολὴ siue ἐμπορία, hoc est negociatio quædam impurorum seq; ipsos amantium hominum, quos Petrus Apostolus Pseudoprophetas nominat. Vruntur enim fucatis factitiisq; sermonibus, & ea docent, quæ non oportet, turpis lucri gratia, de quibus & Paulus admonuit. Verum quod futuros esse tales Apostoli prædixere, in reliquas ætates illorum mentionem differemus.

Nunc

Nunc de ſanctis huius ętatis, hoc eſt fidelibus, dicendũ eſt amplius: nec tacendum (etiamſi res propemodum vulgaris & nota eſt) *Sanctos* vocatos fuiſſe in prima & ſecunda ætate non eos, qui licet dormiant à morte tamen ad vitam migrarunt & agunt cum Chriſto, ſed viuos fideleſq; qui & fidei puritate & vitę integritate ſunt commendati. Sed enim & Ethnicis Latinè locutis *Sancti* dicti ſunt qui vitæ inculpatæ eſſe viderentur. Vnde *Sancta coniunx* Maroni dicta quæ caſta, & aliis verbis Horatio *integer vitæ ſceleriſq; purus*, &c. qui ſanctus eſſet. Cicero & ipſe ad Atticum ſcribẽs, Dionyſium Gramaticũ, cuius opera multum vtebatur, *Sanctum* vocat. Ad Sulpitium autem *Sanctitatem*, puritatem & innocentiam vitæ nominat. Sed & Apoſtoli ἁγίους vocant *Sanctos*, qui ſpiritu fidei in regnum Chriſti translati & baptiſmo conſignati conſortio gratiæ & redemptionis per Chriſtum impetratæ exultant. Et horum etiam proprie eſt cõmunio, quàm profitemur in ſymbolo. Beati enim, qui ſunt apud Chriſtum, nec fide exercentur nec evehuntur ſpe, ſed coram iis bonis fruuntur quæ militantis Eccleſię ſancti non niſi per ſpeculum & in ænigmate cernunt, olim autem & ipſi de facie ad faciem ſunt viſuri. Ac neſcio an vſpiam in omni ſcriptura Apoſtolica legerim hanc vocem aliis quàm viuis tributam. Quod quidem non dico quaſi Latine dici non poſſint. *Sanctæ animæ* mortuorum, quę ſunt apud Chriſtum, cum Deum ipſum qui ſpiritus eſt *Sanctum* vocet, & Maro *Sanctam animam* dixerit: ſed quod conſtet ea voce Apoſtolos & veteres prope omnes militantis non triumphantis (vt vocant) Eccleſiæ membra ſignificaſſe, quam ætas tamen poſtrema fere nõ niſi dormientibus Chriſtianis attribuit, vno Pontifice Romano interim nõ ſancto ſed *ſanctiſſimo* appellato: quem omnes Epiſcopi tamen & huius ſecundæ & primę ætatis haud alio titulo dignati ſunt quàm quibus ipſe alios Epiſcopos ſalutauit. Vt enim nomen & honos ita & poteſtas Epiſcopis huius etiam ætatis æqualis fuit, tanta quidem communione fraternitatis, vt nec vllo de primatu velut dominaturo tum cogitatum fuerit, & alius alio ſuperior diſpenſationis poteſtate aut Euangelii adminiſtrandi functione habitus nõ ſit. Præcipua quidem dignitas, fateor, Romanę ſedi delata eſt, non tam Apoſtolorum nomine & memoria qui Chriſti doctrinã illi vrbi tradiderunt, quàm gloria & authoritate imperii ſummi, q; Vrbs cum auita libertate etiam dum longe lateq; tenebat. Byzantinæ enim Eccleſiæ, quę & Conſtantinopolitana dicta eſt (licet nec vetus admodum nec Apoſtolica eſſet) tamen quia ſede, quàm Conſtatinus illuc diuiſo imperio tranſtulerat, tantum honoris & dignitatis imperii nomine acceſſit, vt ætate inſecuta cum non parvum æmulationis incendium ortum eſſet, Romana ſedes palàm nec ſine turpi ambitionis nota de primatu cogitare & illi ſedi ſeſe opponere, demum Phocate imperante ceu primam orbis Eccleſiam efferre & ſtatuere fuerit auſa. Verum id humanis ſtudiis haud ſatis puris adſcribendũ eſt. Quæ diuinæ erant & Apoſtolicæ non Apoſtolicis ſolum, vt diximus, ſed etiam aliis Eccleſiis æqualis iuris fuerunt. Vbi enim Chriſtus natus, paſſus, & excitatus ritè prædicabatur, & fides in illum cum cõfeſſione nominis & meriti eius à credẽtib. tenebatur, ibi ſaluis omnibus Eccleſię iure ſiue plenariæ functionis vtebantur. Quod abunde huius ætatis ſcriptor Hieronymus ex ſcripturis ſanctis in epiſtola ad Euagrium, & in cõmentario in epiſtolam ad Timotheum teſtatus eſt, non pares modo Epiſcopos ſed ipſos etiam ſingularum Eccleſiarum Presbyteros paris cum Epiſcopo ſuo poteſtatis faciens. Proinde Vrbis Epiſcopus non ſolus vel *Papæ* vel *Pontificis ſummi* titulum habuit, ſed alii paſſim Latinarum Eccleſiarum celebrium Præſules & miniſtri Papæ dicti ſunt, teſtibus Hilario, Hieronymo, Auguſtino, qui Cornelio Carthaginenſi Epiſco-

po

po opus ſuum de Trinitate inſcripturus ita orſus eſt: *Domino beatiſſimo & ſinceriſſima charitate venerando ſancto fratri & Conſacerdoti Papæ Aurelio Auguſtinus in Deo ſalutem*, &c. ſic & Hilarius Saturninũ Arelatenſem Epiſcopũ aduerſarium ſuum *Papam* vocat. Sic Hieronymus Cromatium Aquilegienſem *Papam*: & Epiphanium Cyprium non ſemel *Papam* appellat: Auguſtinum & ipſum licet iuuenem, cum ipſe admodum ſenex, quia Epiſcopus eſſet *Papam beatiſſimum* vocat, illoq; encomio honorat vt dicat *ætate filium, dignitate parentem*. Porro & Theophilum Alexandriæ Epiſcopum *Papam beatiſſimum* nominat: & Auguſtinum ſæpe, & Alipium qui apud Auguſtinum Hipponeagebat & *fratrem & Papam*. Inde eſt quod apud chronographos legimus Galliarum & Germaniarum Epiſcopos *Papas* eſſe dictos, de quibus ſupra libro ſecundo: nec *Papas* modo ſed *Pontifices* etiam *ſummos* & *beatiſſimos* & *ſanctiſſimos*, quod multis modis notius certiusq; eſt quam vt negari poſſit. Hodieq; enim adeo tritum & vulgare eſt iſtoc Germanis vocabulum, vt Papiſticos etiam victimarios paſſim *Papæ* nomine non dedignentur. Et mirum ſit poſtrema ætate vni velut ſummo deferri potuiſſe, videlicet augendæ dignitatis gratia, quod hac ætate commune multis, poſtrema autem viliſſimis interim non eſt negatum. Atque vtinam commune manſiſſet optimis quod vnius ambitioni eſt relictum, & decus illud vetus & Chriſtianum fraternę concordiæ tale manſiſſet in poſterum, quale iſta maxime ætate cultum & obſeruatum fuit. Verum illa diſcutere non eſt huius loci: nec admodum refert meminiſſe functionis Epiſcopalis in verbo prædicãdo & ſacramẽtis adminiſtrãdis, cum illam hodie nulli non inculcent qui de Epiſcopis, de Presbyteris, de Diaconis Subdiaconiſq; horum temporum loquuntur. Eam certe functionem huius ætatis Præſides & miniſtri ſumma cura cuſtodierunt. Quidquid enim ab illis vel publicè vel priuatim eſt actum, ad doctrinæ puritatem conſeruandam & ſubditorum curandam ſalutem attinebat. Eius rei cauſa conuentus habiti, non quo nouis ſubinde vel oneribus vel ceremoniis Eccleſiæ grauarentur & ſcinderentur, paucorum interim procuratis emolumentis, ſed ne quid contra vel doctrinam vel diſciplinam probaretur admitteretur-ve, quod cum regula illa veteris & Apoſtolicæ, hoc eſt Chriſtianæ traditionis non quadraret. Nulla tum cura illis exterioris politiæ aut iuriſdictionis fuit, neq; cauſas audierunt Epicopi vt iudices ſed vt æſtimatores delictorum, vt ſi quis enormi crimine vel legem Chriſti violaſſet, vel noxio exemplo Eccleſiam offendiſſet, pœna inflicta vel ordine moueretur vel turpiter cõmiſſa debita pœnitentia compenſaret. Sæpe autem contentiones diſſenſiones q; fidelium vel externis de rebus exortæ haud alio iure aut lege ab Epiſcopis frequenter direptæ & ſedatæ ſunt quàm charitatis & religionis, ne videlicet duriora experiri coram iudice cogerentur, quos Chriſtianæ fraternitatis profeſſio ab omni procul contentione abeſſe adhortata eſt.

Cetera deſunt.

V. NOB.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [222] - 190 PUBLIC DOMAIN

V. NOB.

IOACHIMI VADIANI SANCTGALLENSIVM CONSVLIS DE CONIVGIO SERVORVM EPISTOLA,

AD

IOHANNEM ZVICKIVM IC. ET PATRICIVM CONSTANTIENSEM.

Cum

EIVSDEM ZVICKII RESPONSORIIS.

&

LEONIS IVDÆ

DE DIVORTIO

Epistolis.

IOACHI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [223] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [224] - -

IOACHIMI VADIANI COS. SANCTGALLENSIS, DE CONIVGIO SERVORVM EPISTOLA;

AD IOANNEM ZVVICKIVM, ECCLESIASTEN Constantiensem Clarissimum & Eruditissimum.

ACCIDIT hisce proximis diebus, Clarissime Vir, vt quidam ex nostris ancillam quandam patria Algauicam, pervenustam virginem, matre serua, patre colonogenitam, ea condictione vxorem duxerit, si intra cōstitutum tempus manumissa fuisset. Liberam enim se, aut certè libertinam vxorem velle, non seruam, asseuerauit. Amittitur enim ciuitas nostra id genus seruilibus coniugiis; si vel seruam ingenuus duxerit, vel ingenua seruo nupta fuerit, nisi repēte subueniat manumissio. Porro virgini aureos solidos decem spospondit, si iis habeat opus, ne non assequi manumissionem liceret. Puella condictionem recepit, & vt manmitteretur sedulo curauit: verùm interea tempus, de quo conuenerat, exactum est, nēcdum ipsa manumissa est. Negat enim Dominus quemquam se ex liberis seorsum manumissurum, nisi & mater & reliqui itidem liberi, quorum non magnus numerus est, pariter redimantur, pecunia videlicet octo aureotum numorum in singula capita constituta. Pater colonus egestate pressus hoc quicquid est, pecuniæ non potuit ad diem præscriptum corradere, & petit pluisculum temporis filiæ dari, quo voti compos fieri quæat: spem etiam facit manumissionis certam, cum è litteris Notariorum quorundā tum etiam euidētibus testimoniis illorum, qui manumissionis voluntatem apud Dominum, nobilem hominem, impetrarunt. Contra ciuis ille nostet, homo funarius, spectatæ vitæ, negat se sponsæ vel tempus vllum amplius, vel vllam pecuniam debere, propter expirantem matrimonii condictionem, quam ea lege receperit, si intra constitutum tempus manumissa fuisset, ratus esse deberet matrimonii consensus: sin minus, soluta simul esset & irrita condictio. Atque hoc quidem intendit, non quod animo erga illam, quàm vnicè amat, alieniori esse ceperit, sed quod molesta ei facta sit procrastinatio, qua dies ex die trahitur. Est enim ei grauis cœlibatus non tam

propter earnis immodicam afflictionem, quàm liberorum curandorum ſtudio, quos priori ex coniuge ſuſcepit. Noſtri ſane, qui iudiciorum matrimoniorum præfecti ſunt, præſente me, cognito negotio & ſimul expenſo quàm fauorabilis eſſet matrimonii cauſſa, tempus ſeſquimenſtruum puellæ amplius indulſerunt, vt ſi intra hoc ipſum redimi & manumitti poſſit, litteris manumiſſionis legitime impetratis, ratum exiſtat condictum matrimonium: ſin minus, de cauſſa ipſa, cuius actricem ſe puella fecit, per ſententiam decernatur, quod ipſum funario noſtro minime inuito factũ eſt. Quum hæc verò agerentur, diſceptatum inter conſultandum & quæſitum eſt, an ſeruo ſeruæve liceat inuito domino matrimonium cõtrahere? & an ſit ratum hoc modo contractum matrimonium? Et obiter quidem ſententiis, vt fit, variatum eſt, quibuſdam licere exiſtimantibus, aliis autem non licere aſſeuerantibus. Fuit autem hoc magis addubitatum, quo rarius hoc genus controuerſiæ noſtro in foro accidunt. Caret enim ager ciuitatis noſtræ ſeruis in totum, quemadmodum & vicinia (quod ſciam) omnis, excepto agro Durgauico, cuius nobilitas ſparſim aliquos ſed paucos tamen, ſi conferas, & benigniſſime quidem habitos, ſeruos retinet. Citati autem ſunt inter contendendum canones Pontificii, & Legum tractatus nonnulli adducti, inprimis autem ſcripturæ habita ratio, quæ & in veteri & nouo inſtrumento ſeruorum meminit. Mihi ſane poſtea cogitanti non videbatur ad hanc quæſtionem commode reſponderi poſſe, niſi cum acurata diuiſione adhibita, quæ profecto in omni re diligentius exponenda, vt & à Platone eſt traditum, requiritur. Poſſet enim Dominus ſeruitiis ſui Dominii vel omnino matrimonio interdicere, nec permittere vt vel inter ſe vel alienis in familiis, aut etiam cum liberis vllis ſeſe matrimonio iungerent, vel hoc tantũ cauere, ne extra ſeruiles familias ſui dominii, ſed cum conſeruis duntaxat, contraherent. Qua diſtinctione præmiſſa, mihi quidem de priori membro ita eſt viſum, non licere domino in totum arcere ſeruitia à matrimonii iure, ſeu virgines ſint ſeu cœlibes qui quæve arcentur, ſed liberã eſſe iis contrahendi facultatem intra proximas maxime familias, modo in cæteris fidelem operam dominis ſuis præſtiterint. Iſthæc aſſertio aliti mihi viſa eſt, primum ſcriptura ſacra, qua ſic liberam facit matrimonii facultatem omnibus iis, qui dono continentiæ deſtituuntur, vt in genere decernat de innuptis Apoſtolus, *Satius eſſe matrimonium contrahere quàm vri*, 1. Corinth. 7. Et ipſe Chriſtus aliis verbis Matth. 19. nominatim interim admonente Paulo, ne, quoniam pretio empti ſumus, eam libertatem nobis vllis hominum placitis eripi aut abrogari ſineremus. Non poteſt enim humanum conſilium quantocunque pietatis fuco illitum quicquam ordinare aut ſtatuere, quin præ ipſo, quod diuini iuris eſt, locum habeat, & mutari diuina oracula ab humanis præſumptionibus abrogarive nullo modo poſſe conſtat. Proinde nec ſeruus nec liber, nec monachus nec monialis, nec Græcus nec Latinus, nec circumciſus nec recutitus, vlla ſanctione humana ſic arceri à coniugio poteſt, quin ſi non detur continentiæ tranquillitas, libere & iure quidem diuino, matrimonio coniugare liceat. Paulus enim: *Nolite*, inquit, *fieri ſerui hominum*. Et liberum cuſtodire iubet, quod nobis Chriſtus liberum reliquit. Tantum abeſt, vt humani conſilii temeritas illa, quam hodie VOTVM nominant, tantum habeat valoris, vt eius reſpectu libertas matrimonii vllo aut loco aut tempore impediri debeat. Nota eſt regula illa generalis libertatis Chriſtianæ, quàm Petrus Actor. 5. cap. retulit: *Oportet obedire Deo plus quàm hominibus*. Quæ ſolidiſſima lex innumeris antiqui inſtrumenti locis præſcripta & repetita eſt, poſtremo & ſpiritu fidei Chriſti ratificata, vſq; adeo vt & Apoſto-

lus

lus anathemate feriat omnes illos, qui diuersum, atq; Spiritu Christi traditũ est, tradere aut promulgare vnquam ausi fuissent. Matrimonium autẽ nemo ignorat & naturalis esse & diuini iuris, Gen. 1. & 2. cap. & locis supra allegatis: Seruitutem verò iuris gentium, ff. *de statu hom.* L. 1. & multis aliis locis. Non potest igitur seruitus quemquam in totum arcere iure à matrimonio, quocunque conamine Domini interueniente, quin qui seruit aut quæ serua est contrahere possit vel domino inuito, & eo medio carnis impotentiæ aduersus fornicationẽ mederi. Iam cum accresceat domino proprietatis amplitudo ex matrimonio & prole, constaret vel ex hac ipsa caussa violentum & iniquum esse dominum, qui quacunq; de caussa suis esset matrimonio interdicturus, in totum quidem, vel seorsim vel generatim. Durius etiam haberentur serui, quàm ferre posset æquitas, quod iura tamen ciuilia nõ permittunt, vt ff. *de stat. hom. L. si dominus*: longè minus Scriptura de seruo Hebræo, quẽadmodum in Exodo & Leuitico legimus. Et iubet Apostolus Colos. 4. vt æquabilitatem seruis suis domini Christiani exhibeant, quippe qui cõmunem habeant Dominum in cœlis. Leuit. enim 25. de seruo Hebræo inquit Deus: *Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.* Et eodem loco: *Fratres vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.* Sunt autem serui fideles fratres credentium dominorum in Christo: Et vt ait Apostolus: *Seruus qui in Domino vocatus est libertus domini est, & qui liber vocatus fuit, seruus est Christi*, 1. Cor. 7. Nec frustra dictum in Leuitico: *Mei sunt serui filii Israel, quos eduxi de terra Ægypti*, &c. Vt enim hi per Moysen ex Ægypto, Domino dispensante, in terram promissionis sunt educti, sic qui iuxta carnem sunt serui, iuxta spiritum autem vocati in Domino per Christũ Iesum, volente patre ex Ægypto seruitutis peccati in spiritualem, hoc est certam & veram, libertatem asserti sunt. Quo vel vno nomine nihil seruis suis negabunt Domini, quod eis iure diuino concessum est. Quam durè autem haberentur serui & ancillæ, si ab illo gignendi opere, quod nota tam efficaci omnibus hominib. inseuit prudentissimus ille naturę vniuersę architectus, quodq; rectè naturalissimum omnium in viuentib. Aristoteles esse docuit, in vniuersum arcerentur? Cùm veteribus tamen, & quidem Ethnicis, cœlibatus haud ratò probro fuerit. Et est nota Lex illa vetustissima Tabularum duodecim: *Cœlibes esse prohibento*, cuius in Legibus M. Cicero meminit, quæ adeo quondam in politia illa Romana celebris fuit & sancta, vt omnium ordinũ homines ad coniugia adigerentur, quorũ modo cœlibes liberis procreandis idonei visi fuissent. Vnde illa multifariam cõcessa sponsalium rerũ priuilegia, & ius illud trium liberorum, præterea & vacatio publicorũ munerum, quę duodecim liberorũ patrẽti cõcedebatur, & legũ Iustiniani Imp. libris nota est, Cod. *de decurionib. L. si quis decurio*, lib. 10. De illa igitur contrahendi libera facultate, quæ & seruis competit, in can. *dignum*, mentio fit in Septimi Gregorii Decretalium opere, vbi de *seruorum coniugio* agitur. Neq; aliud sentit eo loco ad Salisburgensem Episcopum scribens Hadrianus Pontifex, etiam licere seruis matrimonio coniungi inuito domino, si dominus quacunq; causa motus seruis in totũ sit matrimonio interdicturus. Ius enim diuinũ necessario humano præfertur, neq; officit vlla cõditio vel gẽtium iure vel hominũ placitis inuecta, quo minus locum habeat libertas doctrinę sacrę & Apostolicæ, quę iubet satius esse iugari matrimonio quàm vri: nec fert legem hominũ ducere & nubere prohibentium quos Apostolis posteris in sæculis futuros prędixit. Proinde in isto casu Deo magis quàm hominibus obediendũ esse decernit. Quanquam loco illo Pauli ad Galat. *Non est liber neq; seruus*, &c Hadrianus abusus est. Nõ enim de coniugio seruorum quidquã, sed de libertate spiritus fidei illo ipso

loco Apostolus tradidit. In hoc n. omnes, se iuncto personarum respectu, in Christo Domino adæquamur, iuxta illud Pauli 1. Cor. 7. *qui liber est mundo, seruus est Christi.* Contrà verò qui seruus mundo, libertus est Christi. Seruitus n. carnis adeò nõ impedit spiritus libertatẽ, quin in seruo omni, in quo Spiritꝰ est Christi, vera etiam & maximè ingenua libertas locũ habeat. Et est verissimum, q; ab Augustino lib. *de ciuitate Dei* 19. traditur: *Multos dominos esse iuxta carnem vel maximè liberos & ingenuos, qui iuxta spiritũ miserandi immanib. vitiorũ & scelerũ tyrãnis seruiunt*, vt longè optabilior sit seruitꝰ carnis cum animi Deo seruientis libertate, quàm libertas carnis cum mentis captiuitate tot vitiis scelerib; q; obnoxię. Quę vna causa est, cur Apostolus in Galatis, & alibi in renatis & iustificatis, nec libertatem nec seruitutem iuxta carnẽ magno æstimet, sed vnicã libertatẽ spiritus in fide Christi cõmendet. Mauult quidem, si fieri possit, liberos fieri qui seruiunt, sed hoc fine vt qui liberi sunt iuxta carnem, ad ministeria charitatis omnib. ex æquo præstanda fiant habiliores, nõ vt tabescant otio aut cessatione, velut fatuę illę virgines, vel libertate inflentur, vel luxui se captiuos dedant, quod solent qui studium libertatis auaritia & ambitione cotrũpunt. Siquidẽ & virgines probat Apostolus & cœlibes sui sæculi viduasq; ætatis prouectæ, qui citra carnis æstum immodicũ iugo matrimonii vacare, quæq; Dei sunt & proximi hoc liberius diligentiusq; curare & omni de cœtu quàm optimè mereri possint. Enimuerò & Christus illos in primis cõmendat, qui se castrauerunt propter regnũ cœlorum: quod profectò nõ nisi in vero cultu Dei & proximi cura positum est. Sed innuit interim perpaucis datum, vt hoc modo castrati durent. Sicut igitur cõditio virginis, viduæ, cœlibis hominis ad officia charitatis præstanda expeditior est, quàm maritorum & cõiugum, atq; hac vna de causa prælata matrimonio, ita libertas iuxta carnẽ ad bene merendum promptior existit quàm vlla seruitus esse queat. Seruus n. ita domino suo debet operam, vt aliis interim vacare sine domini cõsensu nõ liceat. Vnde illud Pauli manat: *Si potes liber fieri, potius vtere.* Alioqui in regno fidei nec libertas carnis quicquã est, nec seruitus iuxta carnẽ, sicut ne præputium, nec circũcisio, nec fortuna, nec locus, nec patria, vel vlla externa quantũuis speciosa conditio, sed noua spiritꝰ creatura. Quo sensu Apostoli verba ad Galatas accipiẽda sunt, secꝰ quidẽ quàm Hadrianus accepit. Sed non est novum in Põtificum rescriptis tortas scripturas & alieno sensu adductas legere. Quanquam rectè interim respondit Hadrianus *inter seruos matrimonia nullatenus debere prohiberi, & si cõtradicent ib. dominis cõtracta sint, nulla ratione esse propter hoc dissoluenda.* Idẽ etiã, ni fallor, Scholastici sentiunt apud Lombardũ lib. 4. distin. 36. dũ quærunt: *Num seruitus cũ cõtradictione domini impediat matrimoniũ.* (Hoc n. sentiũt, an seruus seruave matrimonio abstinere & cœlibẽ vitã agere cogatur, si ita iubeat & vrgeat dominꝰ: an verò inuito etiã domino iugare se matrimonio possint: Nõ n. loquũtur de priuatis cõiugii modis hac vel illa ratiõe cõtractis, sed simpliciter de vsu matrimonii, q; apud seruos nõ minus qnã apud liberos locũ habere debeat. Certe Bonaventurã, qui inter castiores Lõbardi interpretes numeratur, hoc ipsum sensisse ex argumẽtis suis clare intelligitur. Et hactenꝰ q.dẽ, quę de priori supra positę distinctionis membro sentirem, paucis disserui: de altero sic statuebam.

Si seruis suis in suo dominio Dominus vsum matrimonii liberum relinquat, lege autem edictove caueat, ne alienis, hoc est extra seruiles familas suas, vel seruis vel liberis iungantur, visum est mihi divino iure teneri seruos & ancillas, ne inuito domino aliis sese iungant, neve ratum habeant iudices quod inuito domino fuerit tentatum, nisi manifestus domini consensus accesserit. Apostolus enim Ephes. 6. *Serui*, inquit, *obedite his qui domini*

sunt

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [228] - 196

sunt iuxta carnem cum timore & tremore, cum simplicitate cordis vestri, tãquam Christo, &c. Nec de famulis loquitur, vt quidã delirant, sed de propriis, quos vulgo leibeigen Leut nominamus. Famula utnr n. & liberi, qui serui nõ sunt. Idem Apostolus Colos. 3. *Serui obedite per omnia iis, qui domini sunt secundum carnem*, &c. *Per omnia* dixit, non velut mandans vt impia & legi Christi aduersa iubentibus pareant: sed seriò admonens, vt in iis quæ salua pietate iubentur obsequium præstent. Nihil autem officit pietati aut spiritui fidei Lex illa Domini, qua matrimonia nõ tollit quidem, si modo quodam pro sui dominii & proprietatis iure coercet & ordinat: quemadmodum ius nõ permittit quælibet quibuslibet iungantur, sed modũ præscribit in matrimoniis, & qui cõiuges esse possint aut nõ possint diserte admonet, id q; vel in gradib. affinitatis & necessitudinis Leuit. 18. cap. deprenditur Quanquã seruitus violenta quædã conditio est iure gentium magna ex parte invecta, & naturali mortalium libertati aduersa, tamẽ iure divino non modo admissa, verum etiam recepta & probata est, vt Exod. 21. cap. & longe clarissime Leuit. 25. cap. Proinde idem iubẽs & probans Apostolus nõ sine causa illud vrget, vt qui Christo nomen dederint, externis illis & per se indifferentib. statibus & cõditionib. nõ grauentur, sed vt quisq; in ea vocatione, qua à Domino vocatus est, maneat, nec quicquam moliatur quod vel pacem publicam interturbare, vel Christi doctrinam multa cum offensione eleuare possit. Externa quædã res est seruitus, quæ ferenda esset publicæ tranquillitatis gratia, etiamsi scripturis non probaretur, sicut Ethnicorum magistratuum leges & edicta publica externarum rerum & onerum ferri iussit Apostolus Rom. 13. Grauissime n. peccant, qui vel iniquorum onerum intolerantia Regẽ in regno suo perturbant, & negotium faciunt magistratib. pace publica violata. Porro quod in regno Rex est, hoc ipsum & in dominio suo Dominus est. Nota sunt verba Pauli 1. Timoth. 6. *Quicunq; sub iugo sunt serui, Dominos suos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina male audiat.* Vnde & Petrus vel prauis & iniquis Dominis nedum Ethnicis parendum existimat, 1. Pet. 2. Ex animo autẽ obedire & operas præstare iussit Apostolus, nõ simulanter, quod mali serui ferè assolent, in quos & illud congruit, *Oderint dum metuant.* Proinde si Scriptura iubente legi obediẽdum est de tributo, vectigali, telonio, aliisq; id genus exactionib. caveuti, etiamsi iniqua & immodica exigit, & à magistratu vel Ethnico lata est: longe magis ille, qui suę carnis ius nullum habet, sed domini sui prius est, ei legi parebit, quę nec iniqua est nec impia, quippe quę nec tollat coniugium nec cogat, sed liberũ relinquat, modo pro dominii iure, quod diuino iure stabilitum est, nihil violata Domini voluntate peragatur. Mediæ n. ætatis iura cum Ciuilia tum etiam Canonica, quanquã religioni in nõnullis immodice detulerunt, tamẽ eo loco semper habuere dominorum in seruos potestatem, vt ne religionem quidem ingrediendi seruo aut ordines obeundi facultatem, inuito Domino, concesserint. Et si quis libertatis prætextu, vel ordine sacro vel religione aliqua initiatus fuisset, seruitute cognita, domino postulanti reddebatur, priorемq; in seruitutem migrabat. Quod si nec religioni nec sacro ordini cedit dominorum in seruos authoritas, longè minus matrimonio cesserit, q; rite nunquã nisi ab his qui sui iuris sunt cõtrahitur: quandoquidẽ in cõiugio corporum magis quã animorum copula celebratur, iuxta dictum Christi. *Et erunt duo in carne vna*, ratumq; est matrimonium rite copulatum, vteumq; demum animi coniugatorum dissiliant, nisi fornicatio intercesserit, Matth. 19. Apostolus quoq; 1. Cor. 7. inter fidelem & infidelem ratum sinit matrimonium, in quo tamen summa est animorum in religione dissensio. Ante verò dictum, seruũ seruamq; suę carnis ius nullum

habere, quod ipsa satis euincit proprietas, & iura scripta docent, vt Institutis Iustiniani tit. *per quas person. nob. acquiritur*, §. *item nobis*. Non habent igitur ius coniugii cum Domini lege pugnantis, si ea ipsa modus duntaxat coniugii statuitur, non tollatur coniugium. Inde illud est, quod in Concilio Cabilonensi coniugia seruorum diuersis in dominiis contracta ita demum ratihabita sunt, si in illa consentiant Domini, *29*. q. 2. can. *dictum est*. Nam quod eodem in loco ex Iuliani & Zachariæ constitutionibus conscripsit Gratianus, videlicet vt matrimonia inter seruos & liberos contracta rata esse debeant nec alia causa nisi fornicationis dissolui, de iis plane dictum esse videtur, qui dominorum consensu & sine vlla conditionis exceptione contraxerunt. Mihi enim non conceditur seruã dimittere aut repudiare, quam sciens esse seruã duxi, aut quã ducens sine vlla seruitutis mentione vel exceptione meam feci. Iam ne quis Dominorũ cõsensum & voluntatẽ nullo loco dignaretur, iure quondã ciuili Romano ea vis & dignitas dominii in seruos obseruata est, vt etiam in hęredes confirmari & rata fieri seruitus potuerit, adeo vt ne hæredi quidem manumittere licuerit seruum, qui testamẽto prohibitus fuisset manumitti, vt ff. *de manumissionib. L. seruus hac lege*. Et in sacra scriptura serui, qui tempestive oblatam libertatem recusabant, & serui quam liberi esse malebant, perpetuæ seruituti addicebantur, Leuit. 25. Consentire autem extraria in cõiugia Domini videntur, dum vel ex pacto aliquo interueniente nuptias permittunt, vel lege promulgata nõ coërcent, vel certa aliqua mulcta puniunt qui alienis familiis immiscentur, vel scientes tacent nec reclamant. Habet n. locũ in hoc maxime casu, quod vulgo dicitur: *Qui tacet, cõsentire videtur*. Pacto vero cõsentitur, quum inter diuersos dominos certis aliquot cõditionib. saluis, in mutua matrimonia cõsentitur. Sũt aũt pacta multiplicia dominiorũ, quę referre nõ attinet. Nec ita pridẽ cœnobia Benedictina, quę seruis abundarũt, inter se plusscula, & cum Dominis etiam prophanis pacto, quod *concãbium* vocabant, in id genus seruilia matrimonia cõsensere.

Francis veteribus & Alemãnis nostris matrimonia inuitis Dominis cõtracta, rata quidẽ erant, sed impunia non erant. Vnde fiebat vt de consensu Dominorũ haud admodũ solliciti essent in paciscendis cõiugiis, qui vel alienis seruitiis vel liberis hominib. sese copulassent: tutò ducebãt & nubebant, qui de mulcta soluenda semel deliberassent. Mulctę ipsę varię erant, & libertatẽ nõunquã amittebant ingenuę mulieres, quæ seruilib. sese nuptiis cõaminassent. Hodie multis in locis seruorũ liberis nubentiũ matrimonia dissimulant Domini, & ratas habent nuptias. At verò quoniã cõmuni lege obtinente proles ventrẽ sequitur, prolem postea requirunt & iure proprietatis vindicant. Vnde magnę sæpe turbæ multis vrbibus motæ sunt. Æquiore animo feruntur seruorũ cum liberis cõiugia, quanquã & iis ipsis nõ parum dominis decrescat, tum quod prole de libera fœmina procreata carent tum etiam q. iure illo destituuntur, quo de serua genitam sobolem vel suam & propriam tenerent, vel alieno de seruitio natã suam pacto facerent, vel certè pœna aliqua damnũ inlatum resarcirent. Apud veteres n. ne quidẽ impune erat liberas ducendi cõsilium. cuius rei clarũ argumentum extat in Cod. Iustiniani L. vlt. eius tit. in quo de *Agricolis & Colonis* agitur lib *11*. Multũ n. referebat, scientene an ignorante Domino quid factum admissumve fuisset, vt in L. *super seruis*, tit. *Qui militare possint*, Cod. lib. 12. Consentire autẽ crediti sunt, qui scientes tacebant & sufferant, vt diximus, & est argumentum in authent. *de sanctissimis Episcopis*, §. *si seruus*. Vbi vero nullum horum est quod de cõsensu possit conuincere, & lege cautũ est ne serui seruæve extra propriam Domini familiam matrimonia sine expresso Domini cõsensu ineant, iure diuino teneri

seruos

seruos & seruas ad eius legis obedientiam puto & iudico nõ esse vlla sententia ratificandum cõiugium, quod Domino hoc modo nolente cõtractũ est: Non probat n. Deus quod cõtra legem suam temeraria voluntate committitur. Lex autem Dei est & iuris diuini præceptum, illud ipsum, quod ab Apostolo promulgatum est: *Serui obedite per omnia Dominis vestris*, &c. Temeraria autem voluntas est, quæ sese ita coniugat, vt vltionem diuinam haud dubiè sit latura, nisi cum illis quos offendit demum in gratiam redierit.

De conditione autẽ quod quæritur. Num impediat aut soluat matrimonium error conditionis? vt si serua sit coniunx mea quam ducens liberã esse putabam: tradunt quidem Canones, errore cõditionis solui matrimonium cum quis ignorans seruam ducit, quã liberã ingenuamve putavit: & docent, talem deseri posse etiãsi ab nescio sit viciata, vt in can. *proposuit*, & can. *ad nostram*, in Septimi Gregorii Decretalibus, vbi *de coniugiis seruorum* agitur: & in Gratiani farragine, 29. q. 2. *si quis ancillã*, §. *his ita*, & in can. *si quis ingenuus*, &c. Quam opinionem & Scholastici, si probè memini, ad distin. 36. libro 4. Sentent. Lombardi cõfirmant. Quamquã mirũ mihi visum est, cur in errore cõditionis, solius seruitutis meminerint, & alii tamẽ errores accidant ad cõditionẽ attinentes, quæ matrimonium soluunt, vtpote si coniugatã ducat mas quã ἄγαμον esse credidit, aut econtra fœmina cõiugato nubat, vbi status conditio iure divino impedit matrimoium, cum vni viro vxor nõ nisi vna cõcedatur, iuxta illud Domini Matthæi 19. *Et erunt duo in carne vna*. Hic n. vel vnus locus πολυγαμίαν fortissimè repellit. Item si nubat aliqua viro religione quapiam initiato, vtpote Sacerdoti Papistico aut Monacho Benedictino aut Franciscano aut Dominicastro: in quib. casib. adeò illi pro suo nupero, hoc est humano iure conditionem æstimant, vt asserant solui matrimonium nisi Papa grandi aliqua dispensatione succurrat. Et tamen sub conditione continentur casus isti, sicut & illi, si Iudæam aut Saracenam ducam quam putabam Christianam esse. Gratianus quidem loco supra citato quatuor errorum meminit, videlicet conditionis, qualitatis, personæ & fortunæ: & matrimonium quidem duobus solui putat, conditionis scilicet (de quo est dictum) & personæ: vt si, gratia exempli, Titio nubat quæpiam, quæ Andronicum esse credidit: duobus autem, puta qualitatis & fortunæ, non solui. Cùm sub qualitatis tamen nomine affinitas & cognatio, præterea frigiditas & impotentia recte locentur, quibus singulis matrimonium iurè divino solui constat. Non potest enim ducere vxorem, aut certè si duxerit retinere non potest, qui debitum poscenti præstare nequit. In totum autem ad coniugium quod prolis gratia instituitur, accommodi non sunt qui à debito inuicem præstando, præcipuo videlicet coniugii munere, corporum defectione destituuntur. Masculum enim & fœminam creauit DEVS, eisque ad prolem gignendam benedixit, ad quam suscipiendam originali concupiscentia & quidem concreata impellimur. Atque hæc quidem, quia lapsu primorum parentum est vitiata, adeò plerumque intemperans est & vehemens, vt nisi vel dono DEI, raro quidem illo, tollatur, vel matrimonio debitum præstante coerceatur, periclitari ac perire etiam necesse sit iuxta illud Apostoli: *Propter stupra vitanda suam quisque vxorem habeat, & suum quæq; virũ habeat*. Et iterum: *Satius est matrimonium contrahere quam vri*. Medetur n. ardori carnis matrimonium, & simul benedicit DEVS eo proposito consilioue cõiugatis vt crescant. Id ipsum assequimur impolluti cubilis cõcubitu, sine quo nulla iustæ cõcupiscẽtię medela statui potest. Hũc frigidi & corporum defectione viciati non præstant. Soluitur ergo & qualitate matrimonium, non minus quàm cognatione & affinitate. Incestæ n. nuptiæ ratę esse nõ

possunt. & erratur qualitatis ignorantia, si quis quampiam ducat, quæ sanguinis linea arctius cohæret quàm vt ipsam habere coniugem possit. De parricidis item & veneficis aut quovis modo insigniter criminosis magna quæstio est, neq; illos tolerat publicorum iudiciorum grauitas, quippe quos ipsa scelerum qualitas vel fugientes proscribit vel prehensos damnat. Etambigitur num ratum esse debeat matrimonium cum illo hominum genere cognito & explorato contractum: & an cogatur mulier, tali marito fugiente & occultante sese, perpetuum agere cœlibatum, nec amplioré habendi nubendi facultaté, sic viuo marito priori? Ego talem nubere alii posse arbitror, modo causa cognita legitimi eam iudices prioris & scelesti quidem & extoris mariti iure soluerint. Non potest enim parricida aut veneficus quem publica æquitas aqua & igni interdicit, mulieri inculpatæ cohabitare & præstare debitum, adeoq; nec ipsum finem initi semel matrimoni attingere, vt illa profecto, si se continere nequeat, alii sese iure diuino coniungere matrimonio & cohabitare queat. Non puto vero audiendos esse, qui iustæ absentię causationem etiam criminosis largiuntur, quum hi vel præsentes non ferantur, & vitali nobiscum aura frui non possint. Secus habent illorum iura, qui legitimis de causis vel diutissime absunt. Ad institutum autē vt reuertamur, constat & hunc errorem contracti cum scelerato matrimonii qualitatis titulo comprehendi, & tamen certis de causis & casu aliquo matrimonium dissoluere. Iam & fortunæ ignoratæ errores non modici matrimonium videntur vehementer aversari, vt si virgo quæpiam aut mulier insciа decoctori aut alii cuipiam, qui æris alieni magnitudine solum vertere coactus fuit, nubat: aut si de dote præstanda lege aliqua publica cautum sit, & ille vel ille secundum legem acturum se stipulatus sit, nec possit mutata fortuna ex legis præscripto dotem postea numerare, aut initio initi matrimonii præstare non possit quod spospodit: iuste quæritur, an maritum tenere cogatur, qui errore fortunæ imposuit & fefellit. Verum vt fortunam sinamus, de conditionis errore ab ipsis Lombardi & Gratiani interpretibus relato, mihi cogitanti visum est seruitutem ignoratam non simpliciter soluere matrimonium, quod illis placere video, sed exceptam tantum, si de ea serui seruæve nominatim admoniti sint: vt si, exempli gratia, alienigenam aut parum mihi cognitam & exploratam ducturus dicam: *Si ita collubet & bona tua gratia fieri queat, duco te vxorem meam, modo seruitutem nullam seruias, nec patrono vlli quicquam debeas.* Vel sic: *Admonitam te volo, vt si vel serua sis vel liberta, ne te mihi despondeas: nec seruam enim nec libertā ducam, nec me vlli eius conditionis spondebo:* Aut si seruam esse sciens ea ducat cōditione, *si certo tempore manumitti queat*, sicut funarius ille noster suam illam duxit. Quod autē de ingenuis masculis dicimus erga ancillas, idem de ingenuis virginibus fœminisq; erga seruos intelligendum est conditionem dolo cœlantibus. Dolus enim est, si seruus cœlet liberam suæ conditionis, aut contra serua liberum. Nec coniungit Deus vllos qui dolo coëunt. Hactenus de exceptione dixi, qua conditio manifeste repudiatur. Nam qui matrimonia sic incircumspecte ineunt, præsertim cum peregre profectis nec satis exploratis & cognitis, vt nec de conditione admoneant nec quicquam in re tanta eius rei excipiant, profecto mihi seritutis conditionem tanti feciſſe non videntur, quin vel seruam tenere & vxorem habere libuerit etiam incognitam. Ferre enim æquo animo seruitutem videtur, qui matrimonio contrahendo nominatim ipsam non excluſit. Naturali autem quodā iure eximium locum in omni contractu habet exceptio, sicut &, condictio, maxime autem in coniugio: vt si dicam: *Duco te vxorem, modo virgo sis aut aliqui probæ & honestæ vitæ*, irritum fit matrimonium si viciatam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [232] - 200
PUBLIC DOMAIN

tam esse aut improbæ vitæ esse constiterit. Nam qui nulla conditione vel exceptione proposita quampiam ducit parum exploratam, non videtur magnopere curare purane an impura, serva an libera sit, nec potest de dolo queri, qui contra dolum non excipit, nec vllam facit conditionis mentionem: Lombardus quidem 36. distinct. libro 4. *Si conditionis*, inquit, *dolum patitur, non cogitur adhærere ei, cuius fraude decepta est: sed si de conditione constiterit, non potest dirimi matrimonium*, &c. Videtur autem illi nihil molesta futura conditio, qui susque deque illam facit nullo verbo prævertens aut excipiens

Quamquam interim non obscure viderem, vel in hoc more plurimum commodi situm esse, quo seruitus ignorata matrimonium soluit. Admonentur enim ea lege serui & seruæ, ne cui, nisi detecta conditione, iungantur: & cum graue & incommodum sit quocumque modo admissum seruitutis iugum, ratio tenetur qua conditio etiam sine dolo malo tacita nocere facile non possit. Fit enim sæpe vt quæ serua est, seruam se esse nesciat: liberum se putet aut certe libertinum, qui seruus est. Quo in casu nullo dolo de libertate condicitur, & tamen fallitur qui sic persuasus vxorem ducit, quam seruam esse nescit: contra & libera circumuenitur, quæ nullo dolo persuasa seruo nubit, quem liberum esse credidit. Quamquam iis ambobus casibus non lex modò, qua detecta seruitus coniugium omninò soluit, sed ipsa etiam exceptio, cuius ante meminimus, circumventę parti succurrit. Vtcumq; autem ista habeant, prior mihi sententia vero propior visa est.

Nisi vero fallor, & ante à nobis memorati & plurimi alii errores de medio tolli cauerique potuissent in contrahendis matrimoniis, si veterum more & iure de ipsis proximis aliquot sæculis iudicatum fuisset. Matrimonium enim licet diuino & naturali iure nitatur, tamen positiuo iure præcipue illustratum est: quandoquidem non tam animorum (quod supra admonuimus) quàm corporum coniugationem complectitur, atque ea quidem causa cum fortunis etiam de dotium & donationum & hæreditatum iuribus cohæret. Quare est, vt de eo à Constantini Magni temporibus vsque in Friderichum Primum & amplius ciuili maxime &, vt sic dicam, prophano iure fuerit cognitum, consultis tamen interim & reuerenter habitis Pontificum rescriptis, quod è Iustiniani Codice & sequentium Imperatorum constitutionibus clarissime cognoscitur. Postea quum glisscente auaritia quæstus ratio in illis litibus haberi cepit, forum illud totum in curias Episcoporum est translatum, &, quod omnium pace dictum volo) sic versum in casus, errores, & opiniones, hoc est in laqueos & pedicas, sacri coniugii negotium, vt nesciam vllane alia causa sordidius per Ecclesias tractata & improbius cõtamina fuerit quàm matrimoniorum: nisi huic præferre pœnitentiæ negociationẽ libet, quæ profecto & ipsa incredibili fraude & longe pessima scelerum securitate exercita est. Maiores nostri iure maxime diuino & historia veteri sacra moti, consensus matrimoniorum ita tandem ratos habuerunt, si legitime, prudenter, grauiter, circumspecte de ipsis ineundis perficiendisque deliberatum fuisset. si explorati & cogniti fuissent qui cõiugio erant coituri: deniq; si parentum, tutorum, propinquorum, amicorũ cõsilio & volũtate illa ipsa suscepta fuissent: Postremo si nihil dolo, arte, studio, auaritia, ambitione quæsitum fuisset. Turpe autem putabant, tanta cura & vigilantia de vita & moribus illorum, quos breve modo ad tempus in famulatum domesticum admissuri essemus, perquirere & cognoscere, interim autem secure cessare in eorum vita, conditione & morib. inquirẽdis, quos in familiæ liberorumq; & fortunarũ omnium sortẽ & communionẽ essemus recepturi. Verè enim cõiungit DEVS quos sana & sobria con-

consultatio copulat. Nec enim leuis est coniugii cõditio, nec breue tempus quod illud sibi postulat, nec facile iugum quod mutuo cõsensu ferendũ suscipitur. Proinde expeditior erat solidiorq; iudiciorum cognitio, in quib. voluntates magis, quàm vtcunq; elapsa prolatave aut extorta seu verius dicam captata verba æstimabantur. Non habet enim Scriptura verba vlla, quibus ceu solennibus animi vtcunq; consentientes matrimonii nexu velut stipulatione aliqua obligentur. At contra cõsensum habet & voluntatẽ circumspecte agentem, præterea & parentum honoratã voluntatẽ & cõsultationes necessariorum, qui quod Dei est magis quàm quod est hominum, eligant & probent: ad hæc in virtute & pietate summam æstiment cõiugii in Domino copulati. Porro vbi iusta est, & bonorũ cõsiliis adhibita deliberatio, ibi error facile obrepere nõ potest, & sanctius coherent matrimonia, quæ voluntate matura & prouidenti deliberatione adducta coalescunt. Recte autẽ impuberum & minorennium voluntates ad cõtrahenda cõiugia nõ admittuntur, nisi maiorũ iudicio & deliberatione fuerint probatę. Est n. hęc ætas in vtroq; sexu ardens, incauta, incõsiderans, procax, iudicio nullo, impatiens, præfractis moribus & delicatis, adeoq; immoderata cõcupiscentia, enormis, & ad lapsum proclivis, vt nisi repagulum opponant, qui valent iudicio, ac velut carceribus arceant sessorem immaturè cursum accelerantem, amore illa tragico & insano magis quàm Christiano rapiatur, belluæq; in morẽ libidine & Venere inflammata nihil minus respiciat aut quærat quàm coniugium Domini benedictione auspicandum. Cui vasaniæ fenestrã aperiunt, qui putant iuniorum voluntatib. ita esse deferendum, vt vel inuitis parentibus & omni maiorũ reiecta veneratione ducãt vel nubãt, rata esse matrimonia oporteat. Quid enim hoc aliud est, sic stimulos adhibere furẽti libidini, quàm ad eum cursum inhortari mollem & stultam ætatem, à quo frenis & lupatis quidẽ erat arcenda? Quãto rectius & sapientius illi faciunt, qui legib. latis æstũ illum carnis intemperantissimum consulto reprimunt & in ordinem, vt sic dicam, redigunt naturę viciatæ impotentiam. Nec minus pie reperta hodie ratio est multis in Ecclesiis celeberrimis, qua leuitati & temeritati captiosę cõtrahentium ita occurritur, vt ne cognoscãt quidem iudices de matrimonio, quod clam testibus contractum est, nisi vnanimis consensus duret, aut partem negantẽ ritè & legitimè consensisse testib. fide dignis doceri possit. Vt si gratia exẽpli mas dicat: *Ego te vxorẽ meã duxi.* Fœmina cõtra respõdeat *Nego te duxisse: Nego me tibi consensisse.* Aut è contrario fœmella asserat rite se & verbis & manu, vt vocant, cum mare matrimonium iniisse: Mas autem initum neget. Non auditur pars agens, sed irrita fit actio, nisi doceri testibus possit quod intenditur. Qua sane pientissima ratione infinitis periuriis, quorum plena sunt tribunalia illa, via præcluditur, & simul arcetur impudẽtia nequid temere aut omnino captiosè in re tã graui & seria cõmittatur. Par ratio & in illo remedio est, quo stupris virginum auertendis Ecclesiæ multę vtuntur, & nę quã fraude imponi facile possit accurant. Quod n. Lex Dei seductas & stupratas virgines vxores facit horũ à quib. seductę & viciatę sunt, nõ hoc sensu fineq; facit, velut recte seduci & corrũpi virgines possint aut debeãt, sed nexũ matrimonii tãquã in pœnã statuit corruptori, quo vi petita virginitas ita recõpensatur, vt qui stuprauit habere eam, velit nolit, vxorẽ debeat. Et quũ reliquis in cõiugiis ferme locã habuerit apud Hebræos libellus repudii, in hoc casu non admissus est, sed perpetuæ cohabitationi legeadiudicat° est qui seductã viciauit. Non vult n. Deus virgines seduci & viciari, sed legem charitatis iubet esse ratã: *Dilige proximum tuum, sicut teipsum.* Et: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quod quidẽ adeo vrget diuina iustitia, vt vim virgini allatam

suptemo

supremo vindicet supplicio. Stuprum autem, in quod astu aliquo & seductione consensum est, nexui coniugii perpetuo adiudicet Deuteron. 22. nisi patri aliud visum fuisset Exod. 22. Stuprum autem cum sit lege vetitum, Deo placere non potest. Vnde intelligi datur tale matrimonium non voluntate contrahi, sed peccati admissi caussa irrogari. Proinde pia & sancta iudicanda sunt Ecclesiarum decreta, quæ communem charitatis legem tuentur, & quantum in sua ope situm est vindicant, cauentque ne facile stuprum vllum committi in virgine, neve mas vllus sponte oblato virginis coitu, qui dolo postea stupri nomine iactetur, illaqueari & circumveniri queat. Quippe virgines illæ, quæ vltro stuprari se quacunq; caussa patiuntur, lege Dei nō gaudent, quum seductæ non sint, sed quamlibet leui caussa morem gesserint. Porrò & hæc ratio non parum momenti ad arcendam mollis ætatis libidinem & temeritatem confert, qua certi anni præscribuntur, intra quos consensus liberorum locum nō habet, nisi parentum maiorumve consilio probatus fuerit. In adulteriis autem coercendis & hæc medela recepta est, ne adultero liceat vxore mortua illam ducere, cum qua vxore viua palám est mœchatus. Adulterę quoque pari de caussa non liceat illi se adiungere, quo cum viuo marito mœchata est. Tametsi satis notum sit quid multis in huius casus consideratione placuerit, satius esse putantibus honestè cohabitare quàm notam ferre patrati adulterii. Quasi verò digni sint honesto cōiugio, qui quod in ipsis fuit iusto divortio caussam præbuerūt? Et cum olim crimen illud non tam ciuili quam etiam diuino iure, supplicio vindicatum constet, nec illum admittat lex vetus ad cōiugii copulam, quī vim attulit virgini, sed morte puniat: contra Euangelium Christi, quod legem charitatis præcipuè inculcat, mœchos mœchasq;, petulantes videlicet coniugii violatores, ineundi tandem matrimonii copiam faciat? Noui dictum Augustini citatum à Lombardo lib. 4. distinc. 35. putantis. *Priore marito mortuo cum illa posse fieri coniugium, cum qua præcessit adultertum.* Sed video tamen iustissimis de caussis diversum ab Augustino non tam Patres sanctos quàm ipsa etiam Concilia tradidisse, quod & è Gratiani farragine, 31. q. 1. can. *nullus*, & can. *relatum*, satis patet. Quod ideo memorandum duxi, ne solus viderer obstrepere Augustino, qui sua tamen vt cum iudicio legerentur, sancte ptecatus est. Equidem iudico nec diuino nec naturali nec ciuili recte constituto iure ad honestam & in Domino copulandum matrimonium admitti posse, qui genitalis thori fidem violarūt, & capitalis sceleris authores extitere. Secus habet fornicatio nullo adulterio notata, quæ iusto coniugio meritò aufertur, tanto quidem iuris fauore, vt & liberi ex cōcubina geniti sequēte matrimonio sanctificentur & iure fiant legitimi, vt in Cod. Iustiniani & authenticis constitutionib. sub titulis *Quibus modis naturales efficiantur sui*, & in Instit. tit. *De hared. quæ ab intesta. deferuntur.* De mœchis autem & adulteris certè notius est vel parum attentis, quàm vt multis indicari oporteat, non scandalis modò ingentibus, sed etiam veneficiorum & homicidiorum consiliis artibusque viam aperiri in Ecclesiis CHRISTI, si post defunctas vxores maritis Pallacas suas ducere liceat. Negant illi quidem licere vt coeant matrimonio, qui in mortem alterius etiamdum viuētis quicquam machinati fuissent, aut fidem dedissent futuri matrimonii mutuam. Qua de re Gratianus & Lombardus admonuerunt. Sed rogo illos, viam nobis & rationem indicent, qua constare Ecclesiis de impiis illis & sceleratis consiliis, quæ singulari studio occultantur, certò possit. Hæc enim non nisi de manifestis iudicat, nec admittet in coniugium adulteram, cuius ope prior vxor veneno dato sublata est. Illam autem admittet, quæ idem scelus perpetrauit, sed commi-

fisse

fisse ignoratur? Illam quoque & Illum, qui id totis viribus conati sunt nec potuere commodum assequi? Quanto rectius tollitur seminarium isthoc scelerum toties tentatum & nefandis consiliis plenum, quam admittitur, quod postea nec discerni rectè nec iudicari queat. Dauid Rex tantus, quum consilium cepisset Bersabea potiundi, confestim de Vria optimè merito viro trucidando deliberauit, & occidit quidem dolo vafro, & Bersabea potitus est. Hoc genus consilia capiunt adulteri, quibus ducere mœchas licet, longe magis & mœchæ capiunt, spe videlicet cõcepta futuri cõiugii. Quod ipsum cotidianis, pro dolor, exemplis discimus, nec viam interim scelestibus præcludimus, sed animamus potius licentia libidines illas fœdas & Tragicis criminibus plenas, dum fenestram illam aperimus, vt mœchis liceat priore coniuge sublato securè coherere matrimonio: quod pro tribunalibus tamen frequentibus indulgetur, casu videlicet Dauidis fretis, qui vt in 2. libro Regum legimus, Vria mortuo Bersabeam vxorem tenuit, & Salomonem filium Ididia, hoc est Domino dilectum & miris dotibus præditum, ex ipsa suscepit. Verùm non aduertunt factum illud Dauidis simpliciter displicuisse Domino 2. Regum *11.* nec consequi, vt si paucis aut vni alicui arcano aliquo Dei consilio quid permissum concessumve fuerit, repentè hoc ipsum publicæ legis loco haberi oporteat. Neque enim possunt communem ad vsum trahi id genus priuilegia & prærogatiuæ, quæ paucis ita permittunt, vt quod conceditur publicis legibus interim vetetur. Scriptura enim quanquam non iubet vxorem esse Dauidi Regi Bersabeam, tamen mortis pœna coercet adulterium. Vbi autem mors adulteræ adulterove infligitur ob scelus patratum, ibi nullus matrimonio locus relinquitur. Neque abrogata erat lex iudiciariæ cognitionis & pœnalis Dauidis tempore, sed sacro erat sancta, & adeo publica vt non Dauidi modo Regi sed posteris etiam eius pœnam statuerit diuina illa Nemesis, quod libro Regum 2. clarissime est traditum. Errant igitur, qui locis illis Scripturæ historicis, cum æquo & honesto in speciem pugnantibus, ad litteræ corticem malunt adquiescere, quàm sensus sub velamine & typo latentes cura paulò ampliore pervestigare, quod ipsum est à D. Hieronymo prætatione in Oseam doctissime explicatum. Cæterum vt adulteria sinamus, plurimum loci fecere matrimoniorum licentiæ recentiora iudicia, in quibus verba illa: *Vis me maritum habere*, pure propter Deum? *Volo*, vel *Etiam*: aut contra: *Vis me coniugem tuam*, pure propter Deum? *Volo*, vel *Etiam*, adeo efficacia ac velut de Scripturæ sinu excerpta faciunt, vt qualicunque inconsiderantia prolata matrimonium, voluntatibus vtcunque dissilientibus, efficiant: nec referat quid quo loco & tempore, quibus de causis, quorum consilio & artibus, aut quàm sobrie & circumspecte, & in totum quàm candide & legitime conductum consensumque aut in tanto tempore duraturum nexum corporum animorumque deliberatum & pactum fuerit. Sufficit illis tribunalibus, si constiterit per verba de præsenti (vt vocant) contractum: cum verbis adeo veteres non tribuerint, quin nullo loco sint dignati verba futuliter captantia, nisi sobriam illis circumspicientem voluntatem accessisse constitisset. Mire enim auxere negotium humanæ sanctiones, quas Scholastici Doctores perinde atque diuinas complexi sunt, si illos Pontificum authoritas ratas habuisset. Velut illæ, quæ votum præferunt ardori contrahendi vtcunque vehementi & intemperanti: nec sinunt restingui concupiscentiæ incendium, vbi votum semel esset factum. Supra modum autem omnia conturbarunt & eleuarunt dispensationes ad quæstum accommodatæ, quæ multis sæculis adeo largæ fuerunt, vt vel diuino iuri illis detractum fuerit: tantumque

est,

est, in re matrimoniali tam graui & seria, leuitate à nonnullis tribunalibus Cathedrarum actum, vt necesse habeamus fateri veteres legum interpretes longe vigilantius ac diligentius de stipulationibus & pollicitationibus suis ciuilibus statuisse & cauisse, quam nostri recentiores de matrimonii iure tam sacro & honorabili canonice vnquam statuerint. Viderint autem iudices illi tam arguti & supini, qui res longe maximas auaritiæ studio venales faciunt, quid de coniugiis pronuncient, illis maxime, quæ hodie magna parte tum æquitate naturali tum diuino iure reclamante cõtrahuntur. Extra controuersiam est, vehementer ab illis peccari, qui verbis hoc tribuunt humano iure conceptis, quod voluntati & consensui rite contrahenti erat tribuendum. Matrimonia enim temere contracta nullis vnquam legibus rata fuerunt.

Sed ne te illis amplius oneremus, quæ sæpe tamen & multis cum Ecclesiæ nostræ ministris cõtulimus, ad matrimonia seruorum & errorem illium conditionis Iurecõsultis & Scholasticis memorabilem redeundum est. De quo quidem quid sentiam obiter & paucis indicare libuit. Neque id, Doctissime Zvvickii, à me causa alia est factum, quàm vt abs te, qui & ipsam iuris peritiam multis annis tibi comparasti, certior fieri, & quid hac in materia sequendum putes, intelligere possem. Amicis enim & liberis etiam admonitionibus in huius generis causis & controuersiis nihil mihi iucundius, nihil gratius est. Longe autem optatissima institutio illa, quam eruditi viri quærenti mihi & hæsitanti litteris suis sæpiuscule tanto cum fructu largiuntur, vt eum coram semel iterumq; & pauculis quidem horis (vt omnes sumus occupati) audire illa & discere, quæ cupiuissem, liceret, horum ex litteris toties audiam & discam, quoties libet, & re ipsa mutis è magistris quàm vivis & coram differentibus magis proficiam. Quo genere doctrinæ equidem nescio an vllum aliud hominibus aliàs occupatis & distractis, commodum magis & vtile esse queat. Mihi certe multis annis non fuit alia ratio ad discendum expeditior. Rescribes igitur, Zuicki, bene longas literas, nec mihi soli hanc operam navabis, sed nostræ etiam Ecclesiæ ministris, optimis illis & tui amantissimis viris, quibus & ipsis κενοίαν illam donorum spiritualium debes, qua & iuuari vndiquaque & bene agere, imprimis autem proximi causas diiudicare in Domino semper, & iure & æquo agere in Christi gloriam possint. Vale. Sangalli Calendis Martiis, Anno Domini

M D XLI.

SS IOAN-

IOHANNIS ZVICKII CONSTANTIENSIS RESPONSIO

AD IOACHIMVM VADIANVM V. CL. & R. P. Sangallenſis Conſulem prudentiſsimum.

S. Habes hic vivas epiſtolas, eaſq; eruditiſſimas, Conſulem ſcilicet noſtrũ Thomam Blaurerum Conſobrinum meum, & Ioachimum Vrbis noſtræ Syndicum, viros doctos & integros. Igitur obteſtor te nunc, Vadiane pientiſſime, vt de quæſtione matrimoniali liberè cum illis conferas. Leuabor ego hac via labore immenſo: & multo doctiũs reſpondebunt illi tibi quàm ego vllis litteris præſtare queam. Exercentur illi quotidie in iſtiuſmodi quæſtionibus, ne dicam quàm ſint Legum ciuilium cognitione prudentiſſimi. Potes certè cum illis ad ſatietatem commentari, mihiq; miſero veniam dare, ſi hanc tecum collationem detrectem. Ego iam XVIII. annis vale dixi profeſſioni iuris, vt iam fere neſciam, ciuſne profeſſionis fuerim. Niſi autem cum his duobus conferre nolis, erunt illi tibi pro codice, facientq; tibi modis omnibus ſatis. Rogo autem ne illos negligas. Credo enim Deum me hac ratione multa anxietate leuare velle. Deinde & quid agatur Ratiſponę, exponent tibi omnia non grauatim. Orationem Melanthonis mutato nomine editam hic mitto, ſed remittendam, quanquam non cum Conſule. Legat eam quoq; Dominus Zilius cum Furtmullero, chariſſimis fratribus. Epiſtolam quoq; tuam remitto hic, quo liberius ex illa cum optimis viris conferre queas. Quod ſi omnino me ſupra vires grauare vis, videbo vt dicam meam ſententiam. Nihil autem defuturum eſt tibi, ſat ſcio, poſtquam cum illis vel ſummatim contuleris. Vale, ornatiſſime Vir. 18. Aprilis, 1541.

EIVSDEM ALTERA AD EVNDEM.

S. Idem mihi plus ſemel accidit, quod & tibi, Ornatiſſime Vadiane, vt cunctantius plerumq; agam quàm velim, & ſcio, quo rapiant negotia homines negotiis implicatiſſimos. Literæ tuę ad Gaſparem Suenckfeldium dudum perlatæ ſunt. Ad eas quicquid reſponderit, curabo vt ad te quoq; ſine cunctatione perferantur. Sed quid audio? Thomam ſcilicet nondum reſpõdiſſe tibi de quæſtione ſeruilium coniugiorum? Cum putauerim ego iam dudum tibi ſatisfactum ab homine illo, qui me mille modis eruditione, facilitate, & acrimonia ingenii ſuperat. Sed ita nunc vrgebo cunctatorem illum inſignem, ne mihi ſponſori noxa præſto ſit. Vale, Conſtantiæ, 8. Februarii. 1542.

Frater Chuonradus cum ipſo Thoma iuſſerunt tibi quàm plurimam ſalutem adſcribere.

LEONIS

LEONIS IVDAE DE DIVORTIO

Epistola I.

AD NOBILES ET CLARISS. VIROS IOACHIMVM, VADIANVM, ET DOMINICVM ZYLIVM, SENATORES R. P. SANCTGALLENSIS.

Gratiam & vitæ innocentiam per Christum.

ROGATVS à Benedicto qui vobis nostras litteras perfert, Viri prudentissimi, vt eum causam; eius vobis cõmendarem, libenter fum obsequutus, non solum ob amici preces, sed ob causæ etiam ipsius æquitatem. Quum enim huius fœminæ maritus sine huius culpa talia scœlera patraverit, vt & inter ciues Christianos viuere tuto amplius haud liceat non videtur hæc cogenda esse, vt marito infami hæreat, qui vitam publicis legibus debet, nisi quis vxorem scœleris maritalis conscium esse, & ex facto eius vitam sustinere iustum censeat: quum tamen sacræ litteræ, vt à Babylone exeamus, malorum consortia deuitemus, tam diligenter admonent. Mali (inquiet aliquis) consortium omnino vitare debet, nec se participem facere alieni peccati: at vinculum coniugale vt dirimat, alterique nubat, hoc demum non permittitur. Scio receptissimum esse multis, vbi semel coit matrimonium, nullo pacto dirimi posse, nisi alterius morte. Quam tamen sententiam friuolam esse, Dominus ipse ostendit haud obscuris verbis, quum ob stuprum permittat, vt quis à se amandet vxorem. Si vero quis litteram hic vrgeat, vt hanc solam causam diuortii esse putet, is mihi cum ipsa ratione & natura pugnare videtur, aut ignorare potius sacrarum litterarum in ferendis legibus consuetudinem. Speciem enim vnam aliquam cum ex multis ponunt, & quasi limitem definiunt, non excludunt cæteras, sed sub vna omnes eiusdem generis includunt. Huius rei ex cap. 19. Deuteron. petere possumus, quum ἀκουσίᾳ φόνῳ hanc vnicam cædendorum lignorum gratia proficiscitur, & securis è capulo aut manubrio elapsa proximum occiderit, huic scilicet asylum patere debere. Quis verò tam stupidus aut contentiosus est, qui præter hoc imprudens homicidium nullum admittat, & non potius dicat hac specie omnes tales intelligi, vt si quis tectum sarturus regulam aut laterem imbricẽ inserere velit, & huic vel contra animum è manu excidat, & prætereuntem occidat, an non & ille homicidium inuoluntarium commisisse, & sanguinis effusi innoxius iudicari debet? Sed mille huiusmodi species commemorare possem, quibus quis proximum occidere posset, qui tamen in legem non incideret. Similis iam ratio colligenda mihi videtur, quum Christus stuprum limitem diuortii ponit, sub hac scilicet specie quidquid vel æquat stuprum vel superet etiam intelli-

An vxor à scelerosomarito separari, & alteri possit iungi.

telligendum esse. Nam pugnat illic Christus cum Pharisæorum impudentia, qui ex levi qualibet caussa vxores abiicere sibi licere arbitrabantur. Hoc denique in omnibus Legibus, quæ pharmacorum vice sunt (cõsyderandum est, vt ad morborum habitum & rationem adcommodentur.

In vnaquaque re primum id consideremus, an sic fieri conueniat aut expediat: & si expedit, an liceat. Porro hoc in primis est Christianæ & Apostolicæ pietatis, omnium saluti, quoad licet, consulere, & infirmis Ecclesiæ membris sua cura succurrere. Videmus autem, pro dolor, tot hominum milia infelici coniugio sibi coherere, idque cum vtriusque exitio, qui fortasse
1. Cor. 7. v. 15. disiuncti aut separati seruari possent. Ibi nobis verbum Pauli probe consyderandum est, quum dicit: *In pace vocavit nos Deus*, de matrimonio loquens dispari: Expendenda æquitas legum Christi, que neq; cum lege naturali neque cum humanis legibus ex ea desumptis pugnant. Quapropter virginitatem aut cælibatum non exigit à quoquam Christus, ne videatur cum natura ipsa pugnare. An igitur æquum videtur, vt vxor cum marito flagitiis operto, quibus neq; caussam dedit, neq; mederi potest, cogatur viuere, cum quo viuere non sit vivere? aut si divertat, compellatur orba ac destituta vivere? Si marito, qui diuortio caussam dedit, adimeretur ius iterandi coniugii, non magnopere contenderem: cur vero hæc plecti debet, quæ nihil est commerita, nisi quod parum feliciter nupsit? aut cur alienam ipsa culpam præstabit innocens? Quis vero vnquam audiuit fortunam puniri, si absit culpa, lege præsertim divina? Quid vero hoc aliud est, quàm adflictæ addere adflictionem, cui subveniri oportuit? Expendatur quid sit per omnem vitam cruciari &,
1. Cor. 7. v. 9. vt Paulus ait, *vri*, idque nulla sua culpa, tantisque obiici periculis. fœminam (inquam) iuvenem, quæ eo sit corporis habitu inq; ipso ætatis flore, vt castitas non sit exigenda. Quod si res palàm pugnat cum æquitate naturali, videndum est an secus interpretanda sint, quæ super his in Euangelicis & Apostolicis litteris tradita sunt. Liceat hic, quod in aliis sacræ scripturæ locis facere non veremus. Excutiamus, quando, quibus, qua occasione denique quodq; sit dictum, procul dubio veram germanamq; sententiam deprehendemus. Cogitemus Christum salutis esse authorem, & quod neque humanæ leges valere debeant, nisi quatenus ad salutem hominum conducunt. Christus non grauatur ob vnam lustratis omnibus obambulare, vt eam humeris suis reducat & seruet. Ne ergo nos gravemur experiri, si
Matth. 19. v. 6. quo pacto miseræ huic calamitosæ & adflictæ succurri possit. Nec est quod quisquã hic obiiciat: *Quod Deus coniunxit, homo ne separet.* Nam hoc demum dicimus Deum coniunxisse, quod rite coniungitur. (neque enim omnis omnium coniunctio ex Deo esse dici potest:) hoc vero Deum dirimere, quod rectè, quod iustè dirimitur. Alioqui quomodo probabimus Magistratuum
Psal. 82. & 75. rectè gesta ex Deo esse? At ministri Dei sunt, & ob id *Elohim* ore divino vocati. Ergo vbi cognitis & expensis caussis Episcopi aut alii legitimi Iudices dirimunt male sartum aut male cohærens matrimonium, non hoc iam separat homo, sed Deus. Quod si quis hoc vrget, divortium huic quidem concedi, tamen hac lege vt innupta maneat: huic in superioribus satis responsum esse puto. Neque arbitor Christum de hoc divortio quidquam dixisse, neq; mihi tutum videtur in his sequi Pontificias leges sive canones. Hoc enim agendo nihil aliud agimus, quàm vt innocens orbitatis molestiam & libidinis incendium per omnem vitam ferre cogatur. Sed improbi (inquiet aliquis) male suspicabuntur, imo factum hoc calumniabuntur. Æquúmne censemus, vt ob aliquot improbos & male suspicaces tanta calamitate prematur mulier innocens? Quæ igitur iure virum suum dimittit, veretur vti

iure

iure suo sibiq; alio matrimonio mederi? Saltem hoc detur innocentiæ, quod apud Iudæos datum est perversæ maritorum acerbitati.

Hæc scripsi, Viri prudentissimi, non ob id vt vos doceam, qui præstantis eruditione & pietate eximia, nec vt aperiam fenestram divortiis, sed vt vos vltrò currentes adiuvem, & honestissimæ fœminæ non corpori modo sed & animo consulatur. Nolim cuiusquam onerare conscientiam, nec impellere ad id à quo abhorret animus, sed expendi velim quid salutare, quid æquum, quid pium sit, & quod plus valere æquitas debeat quàm rigor iuris, neque ius esse leges sine salutari æquitate. Vos valete. Ex Tiguro, prima Decembris, 1529.

EPISTOLA II.

AD V. NOB. ET CLARIS. D. IOACHIMVM VADIANVM R. P. SANTGALLENSIS SENATOREM PRVDENTISSIMVM.

Gratiam & pacem à Deo Patre per Christum.

STATVERAM semel atque iterum, Prestantissime Vir, de ea re ad te scribere, quam tu à me postulaveras, & ego pollicitus eram. Verum hucusq; distuli, partim me occupationibus alio distrahentibus, partim quod super hac re quid Senatus noster statueret atque decerneret expectarim, vt te simul vtriusque redderem certiorem. Quandoquidem autem ea, quæ in deliberatione à nobis volutata, senatus consulto nondum sunt firmata (tum quod cunctatores quidam sunt omnibus in rebus, tum quod maximæ quædam quotidie incidunt caussæ, quibus hæ cedere coguntur) scribam tibi, quæ de DIVORTIO LEPROSORVM non nobis videntur sed Spiritu scripturæ & fidei analogiæ conformia, quod cuncti qui contentiosi non sunt, facile deprehendent. Venit aliquando in quæstionem, quum iuxta leges nostras sanos à leprosis per diuortium separaremus, qui fieret vt præter seu (vt quidam aiebant) contra Christi expressam sententiam super hac re matrimonia dissiparemus? Etenim Christus (sic loquuntur qui litteram vrgent) solam fornicationem, caussam permisit repudii. Coacti igitur fuimus horum vel ignorantiam vel contentionem collatione scripturarum & fidei regula compescere. Quæ igitur à doctissimo & puri iudicii homine, Huldrico Zuinglio, super hac re diserta & disputata sunt, quantum adhuc teneo, & quantum ruditate stili assequi possum, hisce litteris tibi significabo.

Qui dicunt, CHRISTVM solam fornicationem excepisse, ignorant Hebræorum morem, qui ferè summam rei breuibus quibusdam verbis proponunt ac leviter attingunt. Huius rei exempla innumera sunt: pauca depromemus. Quum Matthæus Iohannis prædicationem dicit hanc fuisse: *O viperarũ progenies, quis vobis præmonstrauit vt fugeretis*, &c. Quis nõ videt Matheum quasi per Epitomen summam tantũ prædicationis Iohannis attigisse? Sed postquam nihil eos mouit diuina Præcursoris admonitio, nimirum tam vehementibus & minacibus verbis in eos detonat. Vehementiam ergo ac cõstantiam inflexibilem Prophetæ ac Evangelistæ Matheus indicare volens, satis putat si summam prædicationis ostendat, ex quibus cætera faci- Cap. 3. v. 7.

Matth.19. le colligi possint. Ad hunc modum Christus quum in eam quæstionem incidisset, *num ob quamuis leuem caussam vxorem repudiare liceret?* respondit, ob fornicationē repudium fieri posse: cæterum qui ex alia caussa vxorem repudiaret & alteram duceret, adulterum esse. Hanc ergo litteram si quis pertinaciter vrgere velit, ob nullam caussam licere viro repudiare vxorem, nihil aliud faceret quàm is qui Iohannem aut Christum nihil docuisse, quàm quod litteris proditum est ab Evangelistis, contenderit. Sed absit contentio, absit adfectus carnis, vt non solum litteram sed & Spiritum audiamus. Christus sciens duritiam & perfidiam Iudæorum, qui ob quamvis levem, caussam matrimonia dirimere ausi essent, nimirum in hoc gentes sequuti, (nam legimus in historiis hunc morem Romanis fuisse, vt ob quamlibet levem caussam aut maculam vxorem eiicerent) voluit eorum audaciam compescere, ad quæstionem nimirum eorum aptè respondens, non licere ob quamvis caussam dimittere vxorē, sed duntaxat ob graves & intollerabiles, ex quibus exempli vice vnam duntaxat adducit, nempe adulterium aut stuprum, non quod hanc solam intelligere velit, cæteras omnes excludere, sed ex infinitis aut multis vnam suffecisse putans, alias aut pares aut graviores iudicio eorum relinquens. Nam quis omnes caussas diserte in tam incertis casibus exprimeret? Simile quiddam habemus Deuteron. 19. vbi Moses differentiam inter homicidium voluntarium & involuntarium ostendere volens, sic dicit. *Qui percusserit suum nescius, & qui antea nullum odium contra eum habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in siluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis elabatur e manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit & occiderit, hic ad vnam*, &c. Hactenus verba legis. Vide vt Moses involuntarium homicidium aut casuale, quod vocant, definiat: Si quis in siluam cædendorum lignorum gratia cum amico perrexerit, & ferrum elapsum eum tetigerit, præter illius voluntatem qui ferrum manu tenebat. Si quis iam contentiosus ex verbis legis huius evincere conabitur, nihil esse involuntarium homicidium quàm id, de quo hic fit mentio, quis hunc non insanire & cum ipsa ratione pugnare clamabit? An non est involuntarium, si quis avem lapillo deiicere volens, inscius amicum interfecerit? Annon est involuntarium, si quis ligna super tectum adaptans cadere sinit & prætereuntem occidit? Sed hic non in siluam ivit, non ferro percussit, de quo in lege fit mentio. Faceſſant igitur huiusmodi contentiones, & agnoscamus Mosen hic ex innumeris vnum exempli vice posuisse, ex quo cætera quique per se colligere posset. Hoc & CHRISTVS ipse fecit Matthæi 19. ostendens matrimonia non posse dirimi, nisi ob fornicationem, aut certè grauiores caussas, ob leves omnino non permittens. Quis autem sanæ mentis non dicit veneficium gravius esse adulterio? Iam quis non mallet cohabitare mulieri adulteræ quàm veneficæ? *An igitur æquum videtur* (hæc sunt verba doctissimi Erasmi in capit. septimo ad Corinth. ne tantum virum sua laude fraudemus *vt maritus cum vxore flagitiis operta, quibus neg. caussam dedit nec mederi potsit, cogatur viuere, cum qua viuere non sit viuere: aut si diuertat, compellatur omnem ætatem orbus, destitutus, ac velut eviratus degere? Sit æquum ei, qui diuortio caussam dedit, adimi ius matrimonii iterandi: cur is plectitur, qui nihil omnino est commeritus, nisi quod parum fœliciter duxit vxorem? At quis vnquam audiuit fortunam puniri, si absit culpa, præsertim lege diuina? Quid est hoc aliud quàm adflicto addere adflictionem, cui subventum oportuit? Nam quod spuriis aut notis ad quosdam honores & commoda intercluſus est aditus, primum humanis legibus intercluſus est, non Euangelicis: deinde sic visum est vlcisci parentum intemperantiam: postremò non sic inter-*

cluſus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [242] - 210
PUBLIC DOMAIN

cluſus eſt, quin ſua virtute poſſint fortunam ſarcire. Quanquam non omnino ſimile eſt non admitti ad dignitates & per omnem vitam cruciari & nulla ſua culpa tantis obiici periculis. Si facit adulteram, qui ſine legitima cauſſa repudiat vxorem, & non facit adulteram qui vetat inire matrimonium, cum eo ſit habitu corporis, vt caſtitas non ſit exigenda? Quod ſi res palam pugnat cum æquitate naturali, videndum eſt, an ſecus interpretanda ſint, quæ ſuper hac releguntur in Euangelicis & Apoſtolicis litteris. Liceat enim hic, quod in aliis ſcripturæ locis facere non veremur. Excutiamus quando, quibus, qua occaſione dictum ſit, & fortaſſis veram germanamque ſententiam deprehendemus. Chriſtus nō grauatur ob vnam ouiculam luſtratis omnibus ambulare quam humeris reducat, & nos grauabimur experiri, ſi quæ tam multis pereuntibus ſuccurrī poſſit, præſertim quum Chriſtus ſalutis ſit author, & humanæ leges non aliter valere debeant, niſi quatenus ad ſalutem conducunt hominum. Scio receptiſſimum eſſe inter Chriſtianos, vbi ſemel coiit matrimonium, nullo pacto poſſe dirimi, niſi morte alterius. Atque hanc ſententiam veterum Epiſcoporum conſtitutionibus & Decretalium legum autoritate eſſe confirmatam. Cæterum ſi ſemper hoc bonis viris cordi fuit, opinionem in melius commutare, & leges, ceu pharmaca conuenit, ad morborum habitum ac rationem accommodare, conſyderemus an hic expediat idem fieri: & ſi expedit, an liceat vt matrimonia quædam dirimantur, non temere ſed grauibus de cauſſis, neque per quoslibet ſed per Eccleſiæ præfectos aut iudices legitimos: & ita dirimantur, vt liberum ſit vtrique cui velit iungi, aut alteri certè qui diuortio non dederit cauſſam. Primum enim hoc eſt Apoſtolicæ pietatis, omnium ſaluti quoad licet conſulere, & infirmis etiam Eccleſiæ membris ſua cura ſuccurrere. Videmus autem tot milia hominum infœlici coniugio ſibi cohærere cum exitio vtriuſque, qui fortaſſe diſiuncti ſeruari poſſent. Hactenus Eraſmi viri illius incomparabilis ſententiam ac diſputationem, vt vocant, recenſuimus, in qua mihi videtur non ſolum æquitatem ſed & diuini Spiritus mentem conſyderaſſe, & quaſi in tabula depinxiſſe. Nec mihi viſa ſunt hæc à noſtro propoſito aliena (tametſi leproſorum non meminit) quum non ſolum cauſſas indicat, quibus matrimonia conuelli poſſint, ſed etiam cur vtrique aut ſaltem alteri liceat redire ad matrimonium. Volui ergo tibi, Vir doctiſſime, & hæc exſcribere, vt videres & Eraſmum nobiſcum ſentire. Multa tamen omiſimus, quæ illic habet & docta & fortia. Noſtris ergo legibus ob graues quaſdam cauſſas non temerè nec impiè (vt puto) matrimonia diximimus contracta, ei parti quæ cauſſam nullam dedit ius facientes ad coniugium redeundi. *Melius enim eſt nubere quàm vri*: & ad vitandam fornicationem quiſque ſuam habeat, quæque ſuum. Imo non ſolum innocenti hoc permittimus, ſed & nocenti, ſed tum quum videmus pœnitentiam & prioris vitæ immutationem. Durum enim & iniquum videtur eſſe, vt ad caſtitatem cogatur qui caſtitatem ſeruare non ſit aptus. Sed iam illis reſpondebimus, qui dicunt nos ex veteri Teſtamento adduxiſſe, quo noſtra confirmaremus. Primùm diſcant hi, multa eſſe quæ litteris Euangelicis non ſunt prodita, quorum interpretationem ac diſcuſſionem, ſi in controuerſiam inciderint, ex veteribus ſcripturis petendam inficiari non poſſunt. Nam vbi cauetur, ne quis cum vxore patris aut filia filiæ rem non habeat? Quomodo autem Paulus potuit excommunicare fornicariam 1 Corinth. 5. ſi veterem legem reiecíſſet? Euangeliſtæ & Apoſtoli non ſcripſerunt annales, ſed per compendium ea tantum annotarunt, quæ ad cognitionem Chriſti, ad vitæ innocentiam eis facere videbantur. Cæterum cuique genti ſuis legibus viuere permiſerunt: quomodo matrimonium contrahatur, quomodo contractum dirimatur, non ſcripſerunt. Nihil ergo ab Euangeliſtis requirat pius quàm Chriſti vitam & mor- 1. Cor. 7.

tem, deinde exemplar vitæ quam prætulit. Nam quis petat ab Euangelistis, qua pœna plectendi sint fures? Docuerunt non esse furandum: quibus pœnis digni sint, iudices sciunt. Hæc forte verbosius & obscurius quàm par erat, vir doctissime, scripsimus. Tuum erit omnia candidè interpretari. Nam non fuit ocium ista relegendi. Quare & charactèri & stilo parce. Hæc & infœlicitas mihi peculiaris est, vt non possim multa paucis amplecti. Mitto tibi deinde hisce inclusis annotationes doctissimi viri, Martini Buceri, quas in Euangelium Matthei conscripsit, in quibus & doctè & copiosè de Leprosorum diuortio disserit. Tu lege, & mihi, dum integrum erit, remitte: Nam te exscribendi tempus omnino non habui. Tu vale, optime vir, & me ad omnia vt tuo vtere. Iterum vale cum omnibus piis. Ex Tiguro, 6. Ianuarii, 1539.

Cap. 19. pag. 149 edit. Parisiensis Rob. Stephani.



CL. V.

CL. V.

IOANNIS KESLERI SANCT-GALLENSIS BIBLIOTHECA.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [245] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [246] - -

DOMINO IOACHIMO VADIANO, DOCTISSIMO PRVDENTISSIMOQVE CONSVLI, IOANNES KESLER S.D.P.

HANC ad te mitto prosopopœiam, in qua cognosces animum plus literarum, plus eruditionis candidatum, quàm vel literatum aut eruditum, & in primis inscitiam meam prodentem. Putas autem me hominē sellularium dicendi genere ad summum oratorem sapientissimumque Consulem scripsisse? ni mihi constaret iuxta humanitatem honestos, etiam imperitissimorum conatus optime consulere. Ne velim ergo tibi persuadeas, me adeò φιλαυτὸν esse, quasi hac oratiuncula, qua ne ipse mihi placeo, prudentissimum doctissimumque Consulem aut docere vellem (Quid aliud agerem, quam quod agunt Noctuas Athenas, & suem docere Mineruam?) Sed quod adulterinis artificiis mancipatus, iuvat aliquando relictis Musis pristini amoris memor furtim oscula præbere, ipsis etiam inuitis ac repugnantibus. Ferre enim nequeunt sutrinæ illam malcolentiam, quæ si etiam Bibliothecæ apud me iam tempusculum pernoctanti adhæserit, ne interdicendum fastidium paritura fragrantibus humanitatis tuæ violis acutissimis naribus tuis consule. Si ergo exerceri iuvat, placuit eo argumento ioco ludere, cuius me serio non pœniteret. Rem igitur S. C. multis gratiarum actionibus dignam feceris, si tibi ob publicas occupationes licuerit, vt inscitia mea castigatrices & subductitias tuas virgulas intellexerit. Vereor autem, ne hoc cōando ita omnia euanescant, vt præter inutiles chartas nihil remaneat. Vale, & tui obseruantissimum Ioannem commendatum habeas.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA SANGALLENSIS

IOACHIMVM VADIANVM PRVDENTISSIMVM Consulem alloquitur.

QVAM PRIMVM celeberrimam Vrbem vestram Monastica illa potestate & eiusdem ædificiis quæ hactenus non sine maximo Reipub. vestræ incommodo intra mœnia tyrannidem exercuit, locupletasse se (vtinam DEO OPT. MAX. summa & liberrima tranquillitate frui liceat) dictante fama certior facta, haud mediocriter gavisa sum mihi, quæ longo iam tempore, etiamnum iuvenibus viris, vidua omni consolatione destituta, situ & squalore involuta contabui, & tales contigisse Patres conscriptos, quorum officiosa pietas omnium auribus ut vulgatissima. Præsertim vbi te inter sapientissimos municipii huius proceres primas habere noverim, Ioachime Vadiane, sapientia & eruditione vir ornatissime, quæ tuam erga me benevolentiam haud semel verbis & facto testatam sensi. Posteaquàm enim præterito anno Monastica illa potestas Magistratui Sangallensi deponebatur, tu ad penetralia mea claues tuis scrinijs demandari volueras, ne à minus prudentibus & *a bellua multorum capitum* vis mihi inferri potuisset. Quocirca iuxta meam verecundiam apud hunc dicere ausum est, vbi non persuasionibus sed admonitione solum opus habeat, cui divinitus insita sententiæ meæ propagandæ copiosissima voluntas atq; potestas. Nam si hanc dicendi prouinciam apud reliquos, & quarum erga me sententia nondum satis perspecta subiissem, quod non ingenium, quam nõ eloquentiam, & in summa omnem quamcunq; de liberis merita sum ἐνέργειαν, tãquam laborum meorum frugem, desiderarem? quo efficacius animi mei petitionem illorũ animis insinuare potuissem. Quanquam à nemine minus quàm à sapientissimo Senatu, spem omnẽ abiecerim, quin si facultatem & vniuersas meas dotes locupletissimosq; fructº, nõ quos mihi sed ipsis, & nec ipsis solùm sed vniversæ Reipub. redditura, quemadmodum tu cognorint, non dubito quin maximi erga me excitarentur amores, & in meam sententiam pedibus manibusq; accessuri. Quam quidem enerraturæ mihi velim, prudentissime Consul, ea vel humanitate vel μακροθυμίᾳ in re neutiquam contemnenda aures præbere, quibus nonnunquam etiam de lana caprina litigantem, (cuius me non parum tædet) abuti solent.

Horat. Epist. 1.

Ego quæ iam longo tempore huius Cœnobii vxorcula quàm potui honestissima fui, priscis Patribus, quibus pietatis exercitatio cordi erat, & plurimum

rimum adamata nec non variis preciosissimisq; ornamẽtis exculta, ita vt nec cum Regũ matronis erubuissem in venustatis palęstrã cõscẽndere. Fuerunt præterea in propaganda sacrosancta religione & in omni doctrinarũ ac disciplinarũ genere studiosissimi, vt etiam celeberrima quorundãopera, vltra limites diffusa longe lateq; terrarum, & hodie admirentur. O me tunc felicem, & dulcissima oscula suauissimos amplexꝰ sæpius repetitos sentientem, Mala sors autem, quæ plerunq; feliciorib. auspicijs invidet, haud diu iucundissimi nostri cõnubij castimoniam perpessa, quin fœdissimis adulteriis cõspurcare ausa fuerit. Nã illis interdũ nictãtib. infernales ille pellices, præsertim Babylonicũ illud scortũ, fallax Hypocrysis, Archia superba, inexplebilis Pleonexia, illa cæca & pallida Chrysis ita ambiere viros, quemadmodũ Locades illæ Sodomitæ: nec venenosissimos cessarunt haustus propinare, donec vino madidi & somnolenti turpissimum perpetrarũt adulterium. Quocirca honestissimam vxorculam domi domestica curantẽ ita eliminarunt animo, tanquam de Letheo amne fœcundissimos calices exsiccauerint. Præterea discurrebant, dormitum redierunt, quàm parca mecum verba contulerunt, vbi antea totas epulas, insomnes dulcissimè fabulando consumpsimus, parvi interea referentes quàm omnia domi sint confusissima. Et ne illis mulierc ularum instar lamentatricum ficta suspicione videar, qui domicilium nostrum ingrediuntur, vident quàm omnia sint incomposita & tanquam confusissimum chaos commixta. Hæc pascunt tineæ, illa situ & pulvere contabescunt. Ah quàm vili habitu me hactenus exornauerunt, & si non aliquid vestium antiquitus retinuissem, vix verecunda iam celare possem. Quot gemitus, quot suspiria, Doctissime Consul, è tristi pectore duxi: quàm vberrimis lachrymis maduerunt genæ hisce nostris temporibus, quibus adeo formosissimam artificiosissimè elaborata ornamenta adeoque vili preciolo comparari possunt: ego autem despecta & neglecta tot inexhaustos sumptus pellicibus illis impendi videre cogebar. Quanquam non eo inficias, aliqua mihi pergrandia, & (vt ipsi putarunt) preciosa ornamenta nuper attulisse, quæ tamen plus ignominiæ quàm honoris loco habui. Pellicum enim munera esse intelligebam, & abesse quàm adesse mallem: quod equidẽ omnes zelo laborantes facillimè credunt. coniecturam facere potuisset, illos adulterinos amatores agere? Ego vero non coniicio nec opinor, sed non sine magno dolore scio, quamobrem sub tanto maritorum fastidio diuturnioris vitæ tædebat. Deus autem OPT. MAX. malorum vindex haud mei immemor incestos illos tanquam honesta vxorcula indignos eliminavit ædibus, propulsavit patria. Et quemadmodum in Scripturis minatur, *Domos eorum fecit desertas, & pontificatum tradidit alteri.* Quocirca ego vidua relicta vereor ne, Patres cõscripti, vt iurá vestra municipalia dictãt, facinorosos viros me sequi iubeãt, cum nullo alio quàm vestro patrocinio subesse vellem & civium vestrorum albo inscribi ea ratione qua aliquando in ciuium numerum recipere consueuerunt, de quibus magnũ sibi Reipub. honorem & vtilitatis spem pollicentur. Ego autem hanc causam meam eo maturius admonere volui. Nam quemadmodum vulgo experimur, ædificia, domus, arces, & id genus alia venditione aut aliqua alia tralatione facta, sæpius cum dominis ipsis permutari solent, & in alias formas verti. Quas equidem permutationes in hac tam inordinata ædificiorũ dispositione euenire facile suspicari possum. Præsertim autem mihi venit in mentem cum audio plurima adæquari solo, vt etiam fragore & ruina lapidum ambæ mihi aures tinniant, ne ita omnia deturbando & destruendo mei immemor nullus mihi relinquatur locus. Vt etiam aliquãdo hoc eruar ergastulo, scabie tinearumq; morsu, pristinos vigores, nitorem & formã recipiam,

Act. 1. Psal. 68. Psal. 108.

non mirũ me faſtiduam,&,vt probas honeſtaſq; decet, plurima conni vẽtem patientemq;,deformẽ & ſordidã eſſe. Ne ergo patres cõſcriptos mei pudeat, & neſcio quã ferè hominũ oram proſcribant,nõ ab ingenuis aut antiquitate clariſſimis ſolum,ſed ſuperis, Iove videlicet & Phroneſi, nata parẽtib. innumeras habeo ſorores,quę quam primũ nubiles annis ſapientiſſimorum prudentiſſimorumq; Regum & Principum matronæ factæ ſunt.horũ videlicet qui optimè de pietate meriti,vtilia & quæcunq; alia bona vitæ inſtituta,inſignes diſciplinas, arteſq; egregias ab eis aut aliis inventas ita tradi memoriæ vt quàm longè lateq; pateant perſeverentq; ſtudioſiſſime curaverunt. Quorum ope antiquiſſimos ingeniorum labores tanquã veſtros non ſine merita ipſorum laude immortales vſurpant. Nam n.perdifficile eſſet ob memoriæ veſtræ futilitatem atque penuriam inventa reſeruare. DEVS OPT. MAX. literarum beneficia mortalib.attulit,quarũ ope etiam longiſſimę poſteritati illæſa tranſmitti poſſunt,vbi ea fideliſſimis vxorculis demandauerint mariti Principes reſeruanda. Et quàm pientiſſimi ab origine mundi veteres in hoc negotio ſtudioſiſſimi fuerint, plurimæ hiſtoriæ, fideliſſimæ temporũ teſtes, produnt. Nam vbi fere primævæ Adami ſoboles ingenuas & memoria digniſſimas artes excogitaverunt,ne in ipſo partu interirent,rurſus duas invenerunt candidiſſimæ ſorori meæ columnas, tanquam firmiſſimas arces, lapideam vnam,alteram lateritiam: in quib ſcriptitaverant,quas invenerunt artes,ne vel aquæ vel ignis tyrannidem oppugnatæ perirent, vt nõ tam hominum quã etiã artium ſeminarium eſſet. Deinde vero ſuccreſcentib. literis & non pauca à præclarioribus ingeniis edebantur volumina. Videbatur Principibus optimis,non quib.horrendę tyrannidis libido,ſed rectè gubernandi ratio,cõpoſitæ pacis & tranquillæ vitæ (quantum licuit) ſtudium animo erat, ſuarum partium eſſe, ne doctiſſimorum ſcripta in publicam vtilitatem elaborata interirent.ea exemplaria vbicunq; reperirentur ſibi,ſuis nepotibuſq; reſeruanda colligere, quæ quidem congeſta opulentiſſimis regni theſauris haud exiſtimaverunt inferiora. Quin ferventiſſimo nos amore vni ditiſſimi Reges proci die noctuq; proſequebantur. Ita, vt Plinius teſtatur, Alexãdriæ & Pergami Reges Bibliothecas magno certamine inſtituere. Ptolemæus etiam Philadelphus Ægyptiorũ Rex inter facinora quæ geſſit præclara haud aliud magis celebratur laudiſq; nomẽ emeruit, quã q; tanto animi ſtudio diligentiaq; (vt Euſebii verbis vtar) *Bibliothecã ex omni genere literatura cõparauerat.* Alexander ille Magnus, cui nec vnus ſufficiebat orbis, quãti egregia hominum ingenia fecerit,vel ex hoc apparet evidentiſsime. Vbi inter ſpolia Darii Periarum Regis vnguentorum ſcrinio capto,quod erat auro gemmiſque & margaritis preciosum,varios eius vſus amicis monſtrantibus,quando tædebat vnguẽti bellatorẽ & militia ſordidum: *Imo hercle,* inquit *librorũ Homeri cuſtodia detur*, vt precioſiſsimum humani animi opus quàm maxime diuite opere obſervaretur. Divus ille Auguſtus Cæſar animi ſui ſtudium, quo doctiſsimorum monimenta immortalia redderet. in hoc ſuo facto prodidit, quod Vergilii carmina cremari contra teſtamẽti eius verecundiam vetuit. Quantum laudis Aſinius Pollio ex ſua prima Romæ aut in orbe ferè Bibliothecæ inſtitutione reportauit, cum ingenia hominum rem publicam fecerit. Quæ Principum humanitas erga literarum ſtudium præclariſsimorum operum ſcriptoribus anſam dedit monumenta ſua dedicandi Principibus. Sed quid recenſeo, tanquam à prophanis ſolum adamatæ Regibus, quas nec pientiſsimi abhorruerunt? Imo DEVS OPT. MAX. ſanctiſsimam legem ſuam tabulis ſuo digito ſcriptitatam archæ,qua ſanctius antiquius,familiatius,aut diuturnius nihil,tanquã in tutiſsimũ aſylum inferendã præcepit,

pit,ne errãdi mortales hac aliquando privarentur, ſed quid faciendũ omittendumq; fuerit, quo minus à vero ſuo cultu dilaberentur, nullis nõ temporibus haberent inſtructũ exemplar. Præterea nec illam ſolùm, ſed quò perpetuo intuitu admonerentur, perizomata poſitis limina verbi ſui volebat eſſe repoſitoria. Geſtorum Machabæorum ſcriptor prodidit, qualiter Hieremias *conſtruens Bibliothecã congregauit de regionib. libros & Prophetarũ & Dauid & Epiſtolas Regum de donariis.* Similiter autem & Iudas ea quæ didicerat per Belum, quod ipſis acciderat, congregauit omnia, & fuerunt apud illos. Quocirca ſi me audierint Patres cõſcripti, nõ celeberrimorũ Principum ſolum nec pientiſſimorũ, ſed Dei ſummi Imperatoris imitatores erunt, nec ſolum imitatores ſed tanquam verbi ſui lege coacti executores. O quàm obvius manib. amplexanda Dei beneficia. Nam ſi Ethnicorum Principes à vera Chriſtiana religione alieni, tanta diligentia librorũ cuſtodias cõdiderunt, in quib. præter morum & diſciplinarum præceptiones, frigidã de pietate opinionem, nihil continetur: quis ergo animi feruor teneat, quorum corda Chriſti omnipotens Spiritus vera divini cultus cognitione ſuccendit? Quàm decet haud deſides eſſe, quorum membra vegitat Spiritus, per quẽ vniuerſus orbis agitatur, ea nempe reſeruare volumina, non quę diſciplinas ſolùm aut opiniones, quæ humani ingenii opificia ſunt (quanquam & illas non abeſſe patiar) ſed tanquam qui *habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui bene facitis* (teſte Petro) *attẽdentes*, in quo verbum illud pepetuò duraturum deliteſcit: & prophanas nunquam contemnendas, non quæ propria interpretatione aut humana volũtate, ſed Spiritu ſancto afflati locuti ſunt ſancti Dei homines. Eo autem magis noſtri quàm prioris ſæculi magiſtratus decet, quo nimirum felices in ea tempora inciderunt, quibus DEVS OPT. MAX. vberius verbum ſuum adminiſtrauit mundo. Noſti enim: Sapientiſſime Conſul, quibus hactenus errorũ labyrinthis intricari fuerunt Chriſtianæ religionis homines. *Omnes quaſi oues errauerunt, vnusquiſq; declinauit in ſuam viam.* Immenſa vero Dei liberalitas haud longius perpeſſa eruit errorũ nodos, collegit nos ad paſtorem & ſervatorem animarum veſtrarum, detraxit horrendæ noctis tenebroſum peplum, ſuaviſſimiq; Euangelii ſui radios præbuit mundo. Atqui ea ratione ſi bona Dei voluntas verbum factum literis mandari, linguis eloqui fidem ex auditu naſci voluit, non dubium quin veritas divina peſſum eat, vbi ſana ſcripturarũ interpretatio periclitatur. Quocirca benignus pater veritatis ignem accenſurus adornauit vobis viros linguarum dotibus illuſtres, vt hiſce tanquã faculis (vt in ſeriis fabuloſe loquar) veritatem Proſerpinã Plutonio furto ablatam vllibi non terrarũ emiſſitiis oculis quæſitarent, Angeli Politiani, Ruodolphi Agricolæ temporib. Haud parum doctiſſimi viri politioris literaturę adytum demõſtratunt excoluerunt q;, nullis tamen lucem hanc futurã ſuſpicantib. Ioannes vero Capnio veſtigia illa ſpacioſiora dedit, & ne in calle Romanarũ Græcarumq; literarum perſiſterent ſtudioſi, perrexit longius. operæ pretium viſum eius quidẽ linguę viam adeundam, in qua linguarũ cõditor mortalib. fari & leges ſuas dictari voluit, & qua nobiſcum ſine mala interpretis ſuſpicione liberrimè loquitur. Cuius ergo inter Germanos ſemitã tanquam prodigium non ſine mordacib. & venenoſiſſimis vitilitigatorũ aculeis (terrebant n. Sathanã veſtigia) noverat, huius ſeminarii fructus primo patefecit. Vnde primũ à Capnione veritatis adhuc deliteſcẽtis funiculus erupit. Quod nemo melius novit quàm tu, Sapientiſſime Conſul, qui eo tempore celeberimi Viẽnenſis Gymnaſii Rector in literis, quas ad Capnionẽ dederas, feruentiſſimo animi deſiderio adoptaſti propria manu ſuæ ſententię calculum adiicere. Interea vero Magnus ille Eraſmus Roterodamus

2. Mach. 2.

2. Pet. 1.

Angel. Politianus Rudolphus Agricola. Ioã Capnio ſiue Reuchlinus.

Eraſmus Roterod.

damus cum ſqualida barbarie, quæ longe lateq; Romanas devaſtavit oras, pugnam iniit, victoria potitus multos Patres recuperauit. Deinde vero Martinus Lutherus Religionem adiit, illum aduerſus Errores multis laboribus vindicavit, adeoq; veritatis ignem vivacibus flammis mouit, vt vniuerſus orbis acceptis radiis illuſtretur. Item Oecolampaduus tāquam fidelis in domo Dei miniſter accepta lampade curſu Eccleſiæ lucem attulit. Zuinglius tanquam repagulo errores prohibuit, & adverſariorū ora in expugandis divinè argumētis obſtruxit. Et reliquus doctiſſimorum virorū exercitus (inter quos ipſe Prudentiſſime Cōſul, tanquam Sol exoriens, teſtante Eraſmo, coruſcas) linguarū armatura, ſcripturarū cognitione inſtructus, Babyloniæ Regem ita expugnauerunt, vt dulciſſima libertate perfrui poſſint credoli. Die agedum, quàm egregia in tam rariſſima & inopinata veritatis & literarum luce hi, quos recenſuimus, in diuinis & humanis ediderunt volumina? Quàm ſincera & nondum adulterium perpeſſa divinarum ſcripturarum Interpretatio? Relligionis veſtræ locorum cōmunium Enarrationes? quàm facillimę perceptu lmguarum, artium, diſciplinarum Inſtitutiones? in quib. prioris ſeculi ſtudioſi multum operæ locauerunt, *ſemper diſcentes, nunquā tamē.* (teſte Paulo) *ad veritatis cognitionem peruenientes.* Quocirca ſi Patres cōſcripti in tam vberrima optimorum librorū meſſe, qui noſtrorū temporum ſunt inventa, tāquam fideliſſimi prudentiſſimiq; Patres famil. ſarcinas collegerint, & mihi tanquam horreo reſeruanda demandauerint, quas (putas) laudes & gloriam apud poſteros ſunt occupaturi? quas gratiarum actiōes diu noctuq; decantabunt nepotes, à quibus huiuſmodi theſaurū omni patrimonio cunctiſq; diuitiis præſtantiorem receperint? Nam ſi aliorū laudes fideliſſime reſeruo, cur non magis veſtras, qui me huiuſmodi ornamentis inſtitueritis? Eſt enim literarum ingenium, ſuos amatores & fautores cum ipſis immortales reddere. Qui ergo gratitudinem ſuam erga ſummam Dei munificentiam, (qui cum lucem habitat inacceſſibilem ita per literarū medium vobiſcum cōverſari, colloqui, reſpondere non abhorruit. O inſignem amicitiam admirandamq; φιλανθρωπίαν.) teſtari pietate, gloriæ cōſultum ire, & evidentiſſimū prudentiæ exemplar oſtendere cōtendunt, facile cognoſcent quod meo negotio neutiquā deeſſe liceat. Nec defuturos ſpero, vbi intellexerint me nihil mei cauſa conari: ſed quantum ipſi frugum inde recipiant (Dum n. immēſam librorum molem ſuſtineo, quid mihi præter moleſtiam parturio? ſed omnia tandem ad publicam cōmoditatem, quā diu incolumis fuero, reportaturam. Nam ſi quid ornamentorū aut venuſtatis poſco, ne illud quidē mea laſciuia, nō mea libido eſt, ſed q; honeſtas vxorculas decet, nō ſe ſibi ſed maritis placituras exornāt, ne ſordidæ cōiugis pudeat minuſq; pudicitiæ limites tranſiliant: quemadmodū Paleſtinā Heſter Perſarū Reginā factitaſſe in ſacris memorię proditū. Præterea meū officium nō adeò brevi gyro ſuccinctū, vt vnius ſolū eſſe municipii veſtri, ſed eo diffuſum vt vniverſæ Reip. Chriſtianę prodeſſe ſtudeam. Sum eq; dē inſtar ſilicis recōdentis ignē à quo mediis tenebris attritu lucē repetimus, qua tandē plurimi mutuantur flammas: ita pietate & eruditione extincta errores & inſcitia occupauerunt locū priuatorū hominū libri abſumpti, abſumpti, lacerati, perditi manci aut depravati ad me tādē reflorescētes docti accepturi reſpōſa nō municipii veſtri ſolū ſed etiā Trāſalpini cōfugiūt, nec niſi optimis cōſiliis plurib. pfuturis imbuti recedunt. Ne q; vero garrulæ mulierculæ cōmenta eſſe putet, maximæ fidei teſtes advocabo viros rē, q; nūquā à me fieri poſſet planius expoſituros.

Martinus Lutherus.

Ioann. Oecolompaduus. Huldric. Zuinglius.

2. Timoth. 3.

Eraſmus.

Quàm egregia monumenta Magnus ille Eraſmus in Bibliotheciſ, quas hinc inde vidit, plurima reperit, quæ veterum exemplarium ope publice depra-

depravata restituit, mẽdosa purgavit. Quàm plurima Beatus Rhenanus, homo ad perdita restituenda natus, tanquã ab Orco in lucẽ revocauit, & mundo partim incognita partim desiderata non sine gaudio videnda prostituit. Ne vero sororũ mearũ narrando beneficia, mea reticendo præteream, quid inter classicos auctores auctoriatis habeat Quintilianus, ne orbem quidem latet. quem equidẽ deprauatũ & mancũ longo tempore vsurparunt veteres. Tandem, quando sanguinolentũ illud & iniquum Cõstantiæ Cõcilium habebatur, Poggio præbui Florentino genuinũ & integrum, quo aliquãdo desiderũ studiosorũ satiaretur: præterea, si bene memini, Asconium Pędianũ. Quanquã Poggium furti arguere iuxta quorundã opinionẽ potuissem, nolebam tamen, haud immemor mearũ partium esse nõ me, somniculosam tanquã glires in antra sopiri sed literaturę defectu laborãti opẽ ferre. Pertæsum erat celeberrimos auctores, & meis maritis oscitantib. indignos in tãto Doctorũ desiderio in hisce meis Ægyptiis tenebris delitescere. Quapropter furanti cõnivebam. Non n. me latebat, Florentinũ nõ sibi sed publicę vtilitatis gratia id furti cõmisisse, & aliquãdo non sine magno fœnore redditurũ, imitata volucres quę suo tẽpore plumas relinquũt, vt eligãtiores firmioresq; recipiant. Nec me fefellit opinio. Iam n. magno studiosorũ fructu in orbe claret. Quo cum tu, cordatissime Cõsul, adeo familiariter versatus, vt etiam nomẽ tuum inde tanquã de gente locupletaveris. Prętera (vt recẽtiora referam) Ioãnes Sichardus, Rhenani summa amicitia atq; familiaritate vsus, amãtissimi mariti mei huius Cœnobii Monachi Hermanni Contracti à Vernigen Comitis, & in mathematicis demonstrationib. viri clarissimi Chronica (etenim ad imitationẽ Eusebii cõpendiaria cõpilauit) Eusebio annectens tanquã haud impar op⁹, nescio quo proditore in lucẽ edidit. Dic agedum, Pater patrię quàm tibi in historia texenda ciuib. nepotibusq; vestris maximę vtilitati voluptatiq; futura affero, qua te meq; citrà tota privaretur posteritas. Vt de sororib vero aliquid arrogãtius eloquar: quib. post gratuitã Dei beneuolentiã Evangelicę veritatis, de qua ante sępenumero mẽtionẽ fecimus, quã nobis adscribẽda cognitio. Cũ n, aquę hauh alibi liquidiores quã è fonte petantur, nõ labris hacten⁹ riuulis inhæresscentib. Græca noui testamẽti exemplaria propinavimus, quo factũ citò quemadmodũ de fonte Cabalino Poetæ ludunt, sincerioris Theologiæ viri prodierunt. Quid aũt Reip. Christianę pstantis Evangelica veritate cõtigisse potuisset. Cum hac collatæ sordẽt latissimi orbis vniversę divitię. Δύναμις γὰρ θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι. Ea quidẽ parvi facere quid aliud quàm virtutẽ Dei vniversorũ opificem & salutẽ propriam contẽnere, & suæ temeritatis vltorem accersire? Ceterum quę non tam animorum quàm corporum saluti consultum volo, operę precium quidem facturos Patres, quemadmodum Israeligenæ iam terrain Chanaan patribus pollicitam ingressuri, etiam Dei monitu non in vniversum aut radicitus exposerunt Amorræos Iebusæosque, sed in quibusdam saxosis terræpartibus tributarios & ad exercendm tellurem inhabitandos permiserunt vltro, ita nec vellem Ethnicorum scriptorum & aliorum rerum humanar libros fastidiri, in quibus præsertim quæ ad politiam bene instituendam, rem publicam privatamq; bene gerendã faciunt, cõtinentur. Est n. aliquãdo Moles in cõsiliis Ietro. Nec ergo abesse vellem Historias, vbi liquet quid humana sapientia vireq; nõ Dei Spiritu illustrare possint. Nec prætereà pulcherrimas illas disciplinas, quarũ scientia mortalib. (teste Diuo Hieronymo) vtilissima est, quæ ob reverentiam ingenuis dignæ solum habebantur antiquitus. Sunt quę militẽ instruunt, sunt q̃ agricola. Sunt q̃ pueros, q̃ iuvenes decẽt, quę canã senectutẽ cõsolãtur. Quod si illa ad imitatio-

Poggius Florentinus.

Ioannes Sichardus.

Rom. 1.

nem veterum cõgesserint, ò nobilem thesaurum, quo tanquã è copię cornu quicquid ad vitæ vsum spectat hauritur. O me rursus felicẽ, quę cuiusve sortis hominib. perita præstare, quæsitis respondere possum. Et cum prudẽtia firmioria q; cõsilia à senioribus quã iuniorib natu desiderantur, vt de Roboã testantur sacręliterę, qui iuuenũ consilio nõ sine maximo regni sui discrimine, cõtempto seniorũ, est vsus, ego quę memoria revocare possum à mundi primordio mortalium gesta, quærentes ergo aliorũ exemplo erudire & admonere possum, quæ propria experientia magno diuitiarum sumptu corporumq; periculo adeunda forent. Sæpenumero litigãtium causas ad me, tanquã ad iudicem, delatas hac ratiõe diremi, vt plerunq; acerbissimos peccatos, hostes amicos reliquissem. Et vt scripturę sacrę verbis & exemplo, quo min' de fide dubitetis, vtar. Prophetantib. Aggeo & Zacharia de instaurãdo DEI templo per Babylonii Regis exercitum devastato, Zorobabel & reliqui Iudaici populi proceres cœperunt ędificare In ipso autẽ tempore venit ad eos Thatannai, qui erat Dux trans flumen, & Starburtzanai, & cõsiliarii eorum, sicque dixerunt eis: *quis dedit vobis consilium, vt domum hanc ædificaretis, & muros eius instauretis* Ad quod respõderunt eis inter cætera, q; anno primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus Rex proposuit edictum, vt domus Dei ædificaretur, placuitq;, vt res ad Darium referretur. *Tunc Darius Rex præcepit, & recensuerunt in Bibliotheca quæ reposita erat in Babylone, & inventum est in Ecbatanis (quod castrũ est in Media Prouincia) volumẽ vnũ, taliq; scriptus erat in eo cõmentarius: Anno primo Cyri Regis Cyrus Rex præcepit, ut domus Dei ædificaretur in Hierusalem,* & reliqua quæ sequũtur priuilegia, quę breuitatis gratia omitto. Darius ergo Rex præcepit Ducibus regionis, vt recedant & nullam ædificantibus vim inferant: quod etiam diligentissimè executi sunt. *Ædificaverunt* igitur *templum, iubente Deo Israel, & iubente Cyro & Dario & Artaxerxe Regibus Persarum.* Sic per me fatum mortalibus ludit. Ex quo apparet, quantum vtilitatis mortalibus afferam, quid rursus incõmodorum, infortunii periculiq; mei negligentia suboriatur. Nam quam putas cladẽ vtrinq; sanguinolentam cõmisissent, quam viduarum eiulatu vniuersa Palæstina reboasset, vbi Dario & Ducib. reliquis repugnãtib. in ædificando perrexerint, ni soror illa mea felici nimirũ respõso calamitati venienti occurrisset? Nullarum vero gentium Principes mei negligentiæ magis accuso quã Iudaicos, quos tamẽ ob præstantiam & peculiare Dei donum excellentius decuisset. Quid n. dictu turpius, quid magis impium, quàm eas perdidisse leges, non quas sapientissimus Solon nec Lycurgus præscripserunt, sed quas summus Nomotheta omnium rerũ gubernator cœlitus detulit, & archę inferendas diligentissimè præcepit: quarũ locum summa impietas, abominãda idololatria, statuæ, aurei vituli, & in summa κακῶν μυρίας occupauerunt. Quapropter meritas tãdem hoc scelere luerunt pœnas. Et cum humana sollicitudo vix alibi copiosiorem quàm in custodiendis divitiarum thesauris curam gerat, ni ergo pii quidam Legis Diuinæ fautores publicis gazophylaciis, vtpari custodia vigilia reservaretur, eum divitiis omnib. divitis legis præstantiorem librum intulissent, in vniuersum quo longo tẽpore caruerunt periisset. Quem postremo, cum efferrent præsules Iosiæ Regis iussu pro domo Dei instauranda resarciendaq; opificibus pecuniã, Helchias sacerdos invenit, Regi obtulit, qui summo animi gaudio amplexus, qua putas diligentia pientissimus Rex custodiendum præceperit, ne porro cõtingat? Si, vt dixi, diligentiores fuissent, haberetis librum illum *Iustorum*, cuius Regũ libri sæpenumero mentionem faciunt: haberetis equidem pro Aristotelicis (vt Philosophorum pace dixerim) opinionib. sapientissimi Salomonis Regis sapientissimas nimirum de rebus naturalibus quibusdam

dam dissertationes. Preterea mihi maxime stomachum movet novi Testamenti Hebræorum negligentia, ne multis exemplaribus descriptis Evangelium iuxta Matthæum sacratissima CHRISTI Salvatoris lingua scriptum custodiæ demandarint. Cuius desidiei, (quod nunquam, ni experirer, opinata essem) non satis admirari possum. Quocirca velim Patres conscriptos nostris temporibus vigilantiores atque diligentiores, ne ob illorum inertiam tale nepotibus contingat. Non dubium, Sathanam pientissimorum conatuum sollicitum impostorem leonis instar circumire, quo minus sana doctrina ad posteritatem dimanet: Et cum religio literas pro salo habeat plurimum in expugnandis literis operæ impēsurum. Neq; velim hac spe, hoc solatio contenti me negligant, (Est n. arundineo baculo initi) quod non pauci literarum fautores privatos libros congerunt, quemadmodum tu ibi precios issimum thesaurum cōparasti, & Ioannes ille Ruthinerus in cōflandis optimis in omni doctrinarum genere voluminib. nulla pecuniarum habita ratione, iuvenis negotiosissimus. Sed quemadmodum vulgo experimur defunctis illis φιλοβίβλοις (quanquam in prudentissima tua familia evenire non arbitror) ὸ quam ab ἀμούσοις & idiotis hæredibus relicta volumina in diversas partes disseminātur, dilaniantur, partim celeberrimi auctores maturo senio digni pueris ludentibus obiiciuntur, partim ad expellandam inscitiam nati & summo opificio elaborati scissuris fenestrarum obliniti frigus expellere, nōnulli stactam, thus, piper, ferre cogūtur repugnantes. Quæ mala ob auctoritatem & reverentiam non sentiscent, qui in publicis bibliophyliciis à Patribus institutis reseruantur. Etsi in optimæ Reipub. vestræ instituto Magistratus arma frumētaq; habere cives suos præcipiant, attamen publicam quandam armorum frumentorumq; copiam reseruant, vt ingruente factione aut fame, inermem militem instruere, aut famelicos cives sustentare possint. O patres patres quàm hic non dormitandū, qui tot hostib. stipati, qui nunquam nō vobis bella minantur, Potestas illa tenebrarum, Inscitia, Barbaries & Errorum Ilias. Et nō hic quidem prudentē magistratum agere decet? Et quid si iam mihi videor nauseabundum nō paucis hominib. ad privatos cōparandos libros fastidium suboriri, quorum gulę quæstuolam calcographorum παῤῥησίαν non in optimis sed novis quæ placent excudēdis indulgere ferendum. Et si qui sunt literarum amatores, nonnunquam librorum supellectilem comparandam vetat pauperies. Quę causa etsi nulla alia, ad me instituendam, sola sufficeret. O quoties quoties altissima suspiria audiunt bibliopolia, cum optimos pauperculis iuvenib. auctores prostituunt. Quod si publica librorū essent repositoria, ad me ad extinguendam sitim diverterent, & si quid otij nacti apud me negotiosissimi essent cives studiosi eo tempore, quod plerumq; somnio, à ditiorib. vinolentiæ, id nōnunquam honestati impartirentur. Vnde cōpositi mores, communis & privata vtilitas, concordia, & quæ sunt reliqua bene formatæ Reipub ornamenta, alibi nascantur vberius nōdum cognovi. Quam vellem ergo, vt mihi præcipuè demandentur libri nostra vernacula lingua scripti, quam nunc celeberrimi Germaniæ iam tandē sapientis viri nobilitant illustrantq;, in qua nunc fere sinceriores Theologiæ cardo versatur. Reliquo vero multum tibi victoriæ publicetur impostor ille Sathan, vbi Scholam charissimā amicam, cum qua nō tam familiaritas quàm sanguinis necessitudo intercedit, oppugnauerit, adeo illam insectatur, vt sunt mulierculæ vires parvæ ac tenues, in multis membris fessa deficit, & in magistratus ope vires acquirit. Nescio qua ratione vitæ suæ sit consultura, cum videam fertilissima iuvenum ingenia inculta sordescere, quo vereor ne aliquando mortalibus contingat, quod & Prophetæ

tæ minantur ἰδὼν σεφῶν λιμῷ βανεῖ. Hic me oportet plurima silentio præterire cum Scholę mentionem fecerim, ne prorsus (sentio enim iam frontem contrahere) prorumpam in lachrymas. Fortasse ipsa si nullam opē senserit, suas quas habet plurimas propria oratione prosequutura calamitates. Sed vt ad me redeam, ne longioribus ambagibus humanissimi viri auribus abutar. Si igitur æquo animo quas ex me receptura vestri municipii Respub. cōmoditates iuxta suam prudentiam perpenderit sapientissimus Senatus, nō dubito quin omnes sumptus, quos in me impensurus, qui equidem modicillus est, hisce inferiores arbitraretur. Nam si sumptuum multitudine laborumq; difficultate deterreri (quod non opinor) intellexero, perversæ cuiusdā illiberalitatis & sordidæ avaritiæ calumniam haud effugiet. Et nescio quibus interim laudib. in cœlos eveham prioris sæculi Patres, qui nullis diuitiis pepercerunt non solum vt bonos plurimosq; libros congererent, sed aliquando preciosissimis characteribus auro & argento, quasi huiusmodi atramēto dignos depingi, nōnunquam etiam operimēta ebore Praxitelica arte elaborari curaverunt. Et si fidem rē facere cogar, digitulo mōstrabo virum haud mihi inficias euntem, cui sacratissimos Davidis Psalmos hac ratione scriptos lubentissimè dederim. Præterea si nostra tempora cum ipsorū conferamus, liquescet quā variis dotibus ad hoc meum negocium pertinentibus, quibus ipsi caruere, longo intervallo illos antecellimus. Habemus nouitium illud & plane diuinū Germaniæ invētum, chalcographiam, velocissimū describendi genus, qua vno die plus elegantius emendatiusq; quàm veteres sex mensibus, vt parce dicam, non sine maximo labore & divitiarum sumptu scripitarunt calamo, vt quas quondam horas exarandis literis, nunc nostri literarum studiis locare possint. Adde præterea immensam papyri copiam, non quam omnigena Nilus prodit, vt Ægyptum adire oporteat, sed quā ex diminuto nostrate lino hauriunt artifices. Quapropter totus liber iam quā olim foliolū minoris cōstat. Qua ergo illiberali perfricata frōte decet de sumptu quiritari? aut decet dotibus præstantioribus diligentia inferiores esse? aut Deus OPT. MAX. rarissima sua dona patribus ignota parefecit, vt nos alto somno stertamus? Quasi non instituerit, vt iam reflorescente Evāgelio his præsentibus instrumentis ad evulgandam nominis sui gloriam aptiores vegetioresq; redderemur? Cur nōmagis iuxta Servatoris nostri verba, si Euangelicum thesaurū inveniſtis in agro, aut illam preciosissimā margaritam, prę gaudio venditis omnia, & comparatis illam? Aut decet Æsopicum gallum gallinacium agere, vt farinam invenisse adoptemus? Non mihi peto aulam regiam, aut arces condi, sed quę sum fragilissimæ naturæ, nempe Carthaceę, attamen cuius partes sunt depositę in longos annos posteris videndę reservare, salubres aures, (quæ etiam cūctis mortalibus cōmunes sunt) vt tu optime Consul nosti, in primis efflagito, præterea quæ ad munitionem, securitatem, tranquillitatem, charitatem, subsellia pertinent, quæ ipsorū industriæ deliberanda libentius relinquo, meminens quòd in hoc revirescentis Evangelii flore, in excolenda pietate, nullum non moverunt lapidem. Quocirca nil spero ne hoc susurro terreantur.

At quid nobis hæc librorum moles? Et, quemadmodum Seneca ait, *Distrahit animum librorum multitudo.* Et sapientissimi Salomonis auditores in Ecclesiaste hisce verbis librorum multitudinem dissuadent: *His amplius, Fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequens q; meditatio carnis afflictio est.* &c.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [256] - 224
PUBLIC DOMAIN

INDEX.
RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

Obseruandum est, vbi litera p. vel pag. occurrit, significari paginam præfationis Vadiani, quam operæ non numerauerunt.

A.

Abbates paruisse Episcopis. 23 24
Abbates in Aulis Imperatorum & Regum. 27. 28. eorumq; electionem ad solum principem spectasse. 19. 20. 24
Abbate militasse. 57. 147
Abbatum priuilegia Pontificalia. 24. 25
Abstinentia Monastica. pag. 8. præfat.
Abt Zellanus ager. 23
Abtzellana ditio. 92
Academiæ olim nullæ in Germania. 2
Acromius. 149
Acoluthi. 126
Adelbertus Comes, 85
Adulter an ducere possit à se adultera tam. 203. 204
Adulterij pœna. 203. 204
Adulteratorum Moneta poena. 60
Aduocatia. 103
Aduocati Collegiorum & Monasteriorum. 4. 23. 22. 73. 127. 148
Aduocati Camera, Fisci. 62
Ædituus. 149
Ærarium. 62
Agannum. 150
Agiolalos. 55
Agricola. 219
Ahadorf. 148
Ahadorfensis præpositura. 33. 88
Ahamense Monasterium. 88
Alamaniæ à quibus vastata. 54. 152
Alamaniæ Duces. 83. 150. 152
Alamannia in Francia. 49
Alamannorum in Germaniam irruptiones. p. 2. præfat.
Alamannorum gens bellica 46
Alamanni qui. 151
Alamannor. inpauperes liberalitas 14
Alode. 88
de Alstetten Nobiles. 149
Altistodorensis pugna. 153
Ammani. 73. 103
Amathoreta p. 6 præfat.
Angster. 115
Angelica Salutatio. 47
Anglia & Hibernia Monachismum non acceperunt à Gregorio. 115
Anglicum tributũ ad sedem Romanam. 153
Anguli numni. 4. 41
Annona flagello Alemanis fœda. 10. 89
Anniuersarium primus instituit Nortpertus. 92
Anniuersarium Indices in Monasteriis, 30
Freßzedel.
Anseglsi libri de legibus. pag. 12
Apologetici Christianorum. 166
Appellationes ad quos factæ in Francor. regno. 35
Aquitana lex. 66
Arabarcha. 141
Arbitrium liberum. 180. 181. 182
Arbona, Arbor Felix. 51
Arcadiana lex. 66
Archi capellanus. 29.
Archi Episcopus. 5
Archimandritæ. 141
Archipresbyteri vicani. 118
Argunensis comitatus. 59
Arguna. 71
Arnolphi Imp. vxores & liberi. 70
Arrius Hereticus. 177. 178
Arrogantia obest principibus. 69
Ascetria Aceticum opus. 138
Aeuklai. 138
Asyla. 143
Asyla Monasteriorum & collegiorum. 38. 39. 40
Augiense Monasterium. 145
Augustus. 59. 60
Augusti dicti, qui à Pontifice Rom. coronati. 7. 41
Augustarum nomen ad Francos. 41
Augustales Romani. 100
Augusti nummi. 40. 41
Austria, Austrasiæ. 51. 65.

B.

Baioariæ termini. 83
Baptismus quando celebratus. 8
Baptismus Hæreticorum. 2. 171
Barbam aluisse Monachos. 31. 139
Barbarics mediæ ætatis. 45. 46. 54
Barones. 79
Basilius M. auctor Monachismi. p. 6. præfat.
Basilica. 92
Benedictus Nursinus auctor Monachismi pag. 5. 6. præfat.
Benedicti Regula sola olim cognita. 12.
Beneficium. 58
Berengarii Italiæ Imperatores. 70
Bertha Pipini Mar. vxor. 61
Bertradæ Augustæ nummi. 41
Bibliothecarum visitatæ. 221. 222. 223
Bibliothecæ antiquæ. 218
Bibliotheca Monasteriorum. 29
Bibliothecarius monasterii 32
Bibliothecarius. 149
Bilgerin. 67
Bobiense Monasterium pag. 6 præfat.
Bohemia quando Regem acceperit. 91
Bohemi. 91
Bona Ecclesiastica an & quomodo locari vendi potuerint, 13
Bullarum Pontificiarum impostura. 14
Bullæ Pontificum. 44. 45
Burgela. 152.
Brandenburgenses Marchiones. 91

C.

Cadaleb Comes. 150
Cadaucra reperta. 62
Cæsar. 59. 60
Cæsares vngendi mos. 56
Cæsarum Imperatorum electio cum ratificatione Papæ. 7
Camalducensium origo. 94
Cambetis Chambetz. 58
Camera pro iudicio. 35
Camera principis. 62
Camerarius Monasterii. 32
Camera nuntij. 35
Campi certamen. 18
Cancellarius Imperatoris. 18
Cancellarius Monasterii. 31. 32
Canones Ecclesiastici à quibus collecti. 12
Canonica satisfactio. 10
Canonici. 1. 128. 129. 130
Canonici à canone census. 5
Canonici Regulares. 126
Canonicum ius & eius partes. 12
Canonizatio sanctorum à quibus olim peracta. 61
Cantores. 151
Cantus Ecclesiasticus veterum Monachorum. 50
Cantus Ecclesiasticus. 149

INDEX.

Capellani sacrificuli. 8
Capitulum. 170
Capinio. 219
Cardinales. 7.82.
Carnis nomine quid intelligatur. 37
Carnium usus an vetitus Monachis. 30
Caroli Imperatores tres. 71
Caroli M. tempora confundi. 59.60
Caroli Grossi nummus. 41
Carolomanni Maiores domus. 51.61. 150
Carolus Grossus seu Crassus cur dictus. 69.151.152
Carolus Martellus. 51
Carolus M Patricius Romanorum. 150
Carolus Iunior Iuditha filius. 150
Carthusiensium origo. 94
Carthusiani ordinis origo. p.6. præfat.
Casa. 92. Casa DEI 58
Casales. 61
Cassianus Scytha autor Monachismi in Gallia. p 5. 6 præfat.
Casari 61
Castitas non potest voveri 15
Castitas monastica p.8.præfat.
Castitatem non esse in hominis potestate 36.37.38
Castrum 51
Cathedrales Ecclesiæ 13
Cathedræ Episcopales 168.169
χειροτόνητοι 130
Cellarius monasterii 32
Cella monachor. clathrata 3
Centenarius Comitis 22
Centenarii 35
Ceremoniæ Ecclesiasticæ 2.38
Ceremonia in veteri Ecclesia 162
Cerevisiæ usus 53
Cerevisiæ usus in monasteriis antiquis 36
Cerinthus Hæreticus 170
Chamcharo Comes 51
Charta 13.151
Chartæ & Diplomata differunt 44
Chartas qui scripserint 32
Chartarum subscriptiones quo ordine 44
Chartarum conservatio improvisa 146
χειροτονίαι 138
Choren, Chorung. 47
Chorepiscopi 118
Christianis veteribus obiecta crimina 164.165
Christianorum veterum virtutes 166. 167
Circulus Decennovalis 171
Circumcelliones 178
Cistertiensis ordinis origo p.6. præfat.
Cistertiensium origo 44
Claustra 129
Cleri disciplina ad quas leges examinata 12
Clericos & religiosos trucidantium pœna 39
Clericorum scortantium pœna 36
Clodoveus Francorum Rex baptisatus p.2.præfat.
Clodoveus Pulcher 151
Clodoveus I. alamannos vicit 152
Clostareum 64
Clotharius 114.p.3.præfat.
Cœna Dominica quomodo administranda 8.9
Cœna Dominica quotidie distributa 130
Cœnobia p.6.præf.
Cœnobitæ p.6.præf.
Cognomina veterum familiarum an aliqua 21.22
Colomannus qui alias Columbanus p. 6.præfat.
Columbanus in Galliam & Alamaniam 48.49
Collatio 30
Collationis ius 59
Collecta 173
Combeta 12
Comites 10.35
Comites olim non sui iuris, & qua de causa privari potuerint 35
Comitis nomen appositum 44. omissum 61
Comitia Impp. & quid in illis peractum 10.11
Comitia annalia 132
Compatres 8
Componere 64
Componere cum fisco 50
Concambium 84
Concilia veteris Ecclesiæ 170
Concilorum indictionem ad solum Imperatorem pertinere 11.132. & quando non 12
Concupiscentia vitium 38
Coniugia sacerdotum 14.15
Consensus parentum & tutorum in nuptiis 13
Constantinus iunior 82
Constantiensis sedes à Dagoberto instituta 23
Continentiam non esse in hominis potestate 36.37.38
Corpus sacrum 61
Criminalium causarum cognitio ad quos spectarit 22
Cronius lacus 149
Curtilis 54
Curiensis Ecclesiæ antiquitates 154.155
Curtis 54.85

D.

Dagobertus M. sedem Constantiensem instituit 23
Dagobertus Austrasiorum Rex 146
Dagobertus II. Francorum Rex 66
Decani monasteriorum 32
Decani Ecclesiastici 9
Decimæ Ecclesiasticæ 13
Dei gratia, nomine 58
Denarius 144
Diaconi 1
Diœcesis 8,151
Diplomata & charta differunt 44
Diplomatum Regiorum contemptus pœna 34
Diuinæ leges in Capitularibus Caroli M. 12
Docenda quæ in Ecclesia 9
Dominica 129
Dominici missi 34
Donationes semel factæ non possunt rescindi 45
Donatus Hæreticus. 177.178
Dormitoria 3
Dotales donationes 151
Duces. Herzog 35
Duces olim non sui iuris 35
Burgoniæ comitatus amplitudo 85
Burgundiensis pagus 85

E.

Ebriosi excommunicandi ab Ecclesia 9
Ecclesiæ veterum Germanorum 113
Ecclesiæ veteres, & quæ sic dictæ 162.
earum æqualis potestas 162
Ecclesiarum ornamenta & diuitiæ pestes pietatis p.8.9.præfat.
Ecclesiarum in Germania origo p.1. præfat. & afflictiones ibid. restaurat. 3
Electores Archiepiscopi 5
Electores primi sub quo 152
Episcopatum non esse affectandum, nec oblatum fugiendum 128
Episcopatus antiquiores esse monasteriis p.5.præfat.
Episcopatuum transportationes 114
Episcopi veteris Ecclesiæ 162. eorum munus 163
Episcopi, & eorum qualitates 117. & seqq.
In Episcopo requiruntur pietas & eruditio 2
Episcoporum præcipua cura in pauperes, viduas, & orphanos 1
Episcoporum officium prædicare 1
Episcoporum cura & animaduersio in parochias 2
Episcoporum apud Germanos autoritas 5
Episcoporum tributa ad sedem Romanam 25
Episcoporum veterum nulla dominia nec imperia 4

Epi-

INDEX.

Episcoporum electionem ad Principes spectasse 20 24
Episcoporum antiquum comitatus 1.2
Episcoporum electio à clero & populo pariter facta 6.7
Episcopos in aulis Imperatorum & regum 27 28
Equites creandi mos 79
Erasmus 219
Errorum in Ecclesia origo 177
Eucharistia quomodo administrata 8. 9
Pueruli data 9
Euincere 87
Euindicare 87
Excommunicatio Ecclesiastica 9

F.

Familia propria & communis 81
Famuli liberi 197
Fauces 54
Feminarum donationes sine tutoris auctoritate 60
Festa summa quomodo & vbi ab Imperatoribus peracta 10
Festi dies 131.132
Festi dies apud veteres Francos & Alamannos 10
Feuda masculina 60.147
Feudum Ecclesiasticum 64
Fiscales 62
Fiscalia bona 79
Fiscalia bona non licebat ad Ecclesias tradere 44
Fissus 62
Fontanetensis pugna 153
Fortes id est, Fauces 54
Fredum 39
Francia Teutonica 152
Francia Orientalis 65
Francica lingua 46 49
Francia nomen generale 49.54
Francici regni partitio & societas 49
Francisca Regina Venerem ardenti latido exstinxit 48
Francisci anorum genera 94
Francorum elogia p.2.præfat.
Francorum regnum quando in Gallia constitutum p.2.præfat.
Francorum in Galliam irruptiones p. 2.præfat.
Francorum leges p.3.præfat.
Francorum in Romanos æmulatio, & odium vnde p.2.3.præfat.
Francorum Orientalium Ducatus 94
Francorum Magistratus 55
Francorum Imperatorum successio 68. 69
Fraternitates p.8.præfat.
Fratres 116.151
Fratres conscripti 88.89
Fratres dicti Canonici 9

G.

Gallo S.Gallus à quo canonizatus
S.Gallus Imperator
S.Gallus moritur
Gallofranci
Gallonus
Gäß
Genitivus in O desinens
Germaniæ termini p.1.præfat.
Germanica lingua vetus 47.48
Germanici libri veteres 145
Germani sub Francorum iugo & quando liberati 35
Germanicæ linguæ vsus 144
Germanicus sermo quando scribi coegit 46.47
Germanorum in cœnobia & Ecclesias liberalitas p.4.præf.
Gombeta 12
Gothi Italia pulsi 153
Gotu 71.148
Grationes 10
Græca linguæ vsus 46
Græca Ecclesiæ studium 176
Græca lingua studium in Latina Ecclesia 176.177
Grandmaistre 51
Gregorius M. Monachismi promotor p. 6.præfat.
Gumbri 149
Guuerf. 47

H.

Hæreses in veteri Ecclesia 169. 170. 184
Hebion Hæreticus 170
Helmetia Alemanniæ maxima pars 40
Heremus 23.
Hermannus Contractus 221
Herisonn 150. bis.
Herisou 35 47 177
Hibernia monachismum non accepit à Gregorio 115
Hoba 50
Hospitalia cœnobiorum 34
Hospitalia 142
Hospitarius Monasterii 32 12
Hyberni Monachi p.6.præfat.

I.

Iacobus Salandronius 154
Ieiunia veterum 30
Iemingarda regina 64
Iesuitarum collegia 114
Imagines in templis 3
Imagines in templis nullæ 126
Immontani 92
Immunitas collegiorum 38.39
Immunitates 52
Imperatores & Cæsares vngendi mos 5.6
Imperatori subesse Pontifices, Episcopos, & Abbates 26.27
Imperatoris officiarii 10
Imperatorum electio à Papa ratificanda 7
Imperii translatio ad Francos 114
Imperium merum, mixtum 23. 39. 61 152
Incantationes prohibitæ 9
Incesta venus, nuptiæ 12.13
Incorporationis ius 14
Inclusi p.6 præfat.
Ingenui 79
Inquisitores 34.35
Inuestire Episcopes & Abbates solum Imperatoris fuisse 151.ter.153
Inuestituram Episcoporum & Abbatum ad Imperatorem spectasse 14. 25.26
Ironia 49
Iudæos toleratos 164
Iudæorum fautor Iulianus Imperator 185
Iudicia publica 32
Iudicia in Francorum regno quotics in anno celebrata 35
Iuditha regina 64.153
Iulianus Apostata 185.186
Iuramenta fidelitatis sacerdotum 8
Iurandi ritus apud Alamannos 55 86. 87 147

K.

Kebirates marca 85
Kelnhoff 14.134.
Kiburgenses Comites 51.84
Kirnheim 49

L.

Laici Presbyteri 33.141
Longobardorum sedes regia 153
Lapsi an recipiendi 171
Latina lingua vsus & frequentia 46. 47 177
Latinus sermo in Alamannia 46
Lector 150
Lectores Canonici 2. Ecclesiastici 32.
Monasterii 32
Leges Diuinæ in Capitularibus Caroli
Leges Francorum 12
Leges Romanæ Francis & Alamannis notæ 12
Legum senectio & reformatio in Comitiis 11

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [259] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Leibeygen Leut 61
Leprosorum diuortia 209
Libertas 75
Libertorum genera 76.77
Libertorum opera 78.79
Liberum arbitrium 180.181.182
Libera 62.148
Lindemagerst. 150.151
Lintonua 85
Liquentia nivis 93
Locum tenentes Monasteriorum 32
Lolhardi 141
Lotharingia à quo dicta 68
D. Lucius 154.155
Ludimagistri ab Episcopis constituti 128
Ludouicus Pius Imp. 62
Ludouicus Reges Alamanniæ 149.150
Ludouicus iunior Pii F. 64
Ludouicus iunior 82.84. Imperator 68.
Ludouicus iunior Calui F. 151
Ludouicus Arnolphi F. Imperator 70
Ludouicus pulcher Rex Francorum 151
Lucernense Monasterium 150
Lutherus 219
Lutolderburg 149

M.

Magistri curiæ 1.3
Magistratus Francorum & Alamannorum 35
Magni Caroli tres 73
Maiores domus 10.51
Maldrum 85
Mallus 22.23.148
Manes Hæreticus 177
Manichæorum hæresis 179
Mannrechts Brieff 84
Mansus 14.134
Manumissio 13.74.75.76.77.80.81
Manus 61
Marca, Marcha, Marchio 13.62.91. 148
Marchio contra Sclauos Brandenburgensis 91
Margrafi 91
B. Mariæ virginis speciem mentitus sacerdos punitur 155
Marrire, Marritio 72
Matrimonia esse iuris naturalis & diuini 195
Matrimonii causas quis olim iudicarit 12
Matrimonium cum scelerato an solui possit 207
Matrimonium, si virgo non sit reperta, an subsistat 201
Matrimonia sacerdotum 14.15
S. Mauritii in Vallesia 150
Mendicos olim apud Alamannos non fuisse 134
Mendicantium fratrum origo p. 6. præfat 94
Merita monastica p. 9. præfat.
Merum imperium 23. penes Comites 39
Metropolitani 118
Missa, Meß 9.130.131
Missi Dominici 34.142
Moguntiacensis synodus 117
Monachos in episcopatus lectos 2. militasse 57. 147. esse schismaticos p. 9. præfat. fœnerius quam laicos puniri 35.36
Monachorum genera p. 6 præfat.
Monachorum origines in Gracia p. 5. 6. præfat.
in Ægypto p. 6. in Hibernia & Scotia ibid. in Francia 114. in Alamannia 43.114. in Germania p. 1.5 6. præfat.
Monachorum cœnobia, institura, disciplinæ, virtutes, vitia 19.20. disciplina à quibus recta 15. labores quotidiani 28.29. victus 29.30. vestitus 30.31. obedientia 27. 0 pera 33. merimonia 43
Monachorum primorum disciplina p. 7. præfat.
Monachorum nostrorum luxus & auaritia 4
Monachorum scortantium pœna 36
Monasteria p. 6. præfat.
Monasterium pro collegio Canonicorum 1.148
Monasteria & Collegia pro scholis 2. 126. p. 5. præfat.
Monasteria monastica p. 6. præfat. quibus in locis & quorum permissu initio exstructa 23
eorum finis cultus diuinus & instructio scholasticorum p. 5. 7. 10
præfat. in illa ingredi sine Regis permissu non licuisse 43
paruisse Episcopis 23.24. fuisse crimonsorum latibula 31. eorum in egenos olim & pauperes liberalitas 34
item asyla 38.39 40
Monasteriorum officiarii 31.32
Vigiles 32. visitatores à Principibus immissi 34
Monasteriorum afflictiones à quibus 152
Moneta cudendæ ius 40. 41. Monasteriis concessum ibid.
Monialem stuprandi pœna 36
Monialium scortantium pœna 36
Monomachia sublata 9.10
Montfortii comites 59
Mörßwilen 62
Multa fiscalis diplomatum 58.
Mundiburdium 151
Münster 129
Mussius 154
Mysteria fidei in veteri Ecclesia, 166

N.

Natalium restitutio 79
Naturam mutare nemo potest 37
Nobiles 79
Nobiles vitiosi ridendi, si Maiorum virtutes iactitent 40
Nobilium liberi in monasteriis & collegiis eruditi 4
Nobilitatis æstimatio apud Francos & Alamannos 1.117
Nobilitatis monastica luxus & inertia 4.5.57
Nomina Alamannica 49.61
Nonæ 13
Noreia 155
Noricum Orientale 83
Nothgeri tres 70 71
Notkerus Balbulus 67.68.70. eius Psalterium 47.144
Notpertus Abbas S. Galli 92
Noualia loca 92
Nouatus & Nouatianus Hæretici 178
Noxa, Noxæ dedere 81
Numismatum genera apud Francos & Alamannos 62
Nummi antiqui 144
Alamannorum veterum 41.62. in agro S. Gallensi 23. 41. 62. Romanorum 23. Principum Germanorum 41. Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum 40.41.42
Nuptiæ secundæ 37. 142. incestæ 12
Nuptiarum sanctitas 135

O.

Obedientia Monastica p. 8. præfat.
Oblatio 173
Occolampadius 219
Officiarij veterum Germanorum imperatorum 10
Oppidum 52
Oppida ex monasteriis 53.54
Opus operatum p. 8. præfat.
Origenis opera & diligentia 172
Ornamenta & diuitiæ templorum atque ecclesiarum 3
Osius Episcopus 82
Ost 66
Ostrofranci, Ostrogothi 65
Othomarus, eius nomen varie scriptum 55. fit Abbas 51. accusatur & cur 52. eius celebritas & fama 53. villa & sacella 53. canonizatio à quo 62
Otto I. Saxo Imp. quot ecclesias fundarit

INDEX.

dauit p.3.præfat.
Otto puer Imperator 150
P.
Pagus 71
Palmus 61
Papa Papa 56.189.190
Papæ nec vniuersales olim nec catholici 11
Paparum electio sine consensu Imperatorum non erat rata 10
Pappenheim 6.7
Parabolani 149
Parentum & Tutorum consensus in nuptiis 141
Parlamenta 13
Parochi, Parochiani. Presbyteri 35
Parochiæ 133 2.7.8.14.103.151
Parochiale ius 55
Pascha quando celebrandum 171.172 33
in Pastore requisita 9
Patauiensis Episcopatus amplitudo p.3. præfat.
Patricius Romanorum 150
Patrimi 8
Patrum auctoritas 176
Paupertas monastica p.8.præfat.
Pax publica 39
Peculium, peculiare 82
Pelagius Hæreticus 179.180
Peregrini 67
Perfectio Christiana 181
Permutatio 84.85
Permutatio rerum ecclesiasticarum 13
Persecutiones veteris Ecclesiæ 163.164 165.166.167
Petresa 147
Philippus Imperator an Christianus 164
Pictura in templis 3.126
Pipinus breuis 51.54
Pipinus Magnus 51. fit Rex 52
Pipinus Caroli spurius ante Carolomannus dictus 31
Placita, Placitare 22.23.136.137
Plebani 151
Poggius Florentinus 221
Polisianus 219
Poloni 91
Polonia quando Regem acceperit 91
Pondo. Pondus 62
Pontifices, Pontifices summi, id est, Episcopi 5.129.189.190
Pontifices Romani olim nec vniuersales nec Catholici 11.44
Pontificum Romanorum nulla olim apud Germanos ratio 44.
quippe quorum electio & confirmatio ad solum Imperatorem per-
tinuerit 10
Portæ apertæ 71
Portarius monasterii 61
Præmonstratenstium origo 61
Præpositi monasteriorum 11
Precaria, Precarium 11
Precario possidere 10
Preces ad solum Deum olim factas 6.7
Presbyteri 149
Presbyteri laici 141
Presbyteripriores 13
Presbyterorum & Sacerdotum examinatio 35
Priscillianus Hæreticus 8.
Priuilegia, id est, diplomata 55
Processus veterum Alamannorum 33
Proprius 9
Prouinciales 9
Prouinciatu lingua 179.180
Publica iudicia 67
Pueruli rasos & in monasteria trusos 181
Purgatio per Eucharistiam 8
Purgationum species 176
Q.
Quæstus turpis Francis & Alamannis olim abominabilis 82
Quintilianus 67
R.
Raptus pœna 84.85
Rasura monachorum 39
Rauenouua 82
Rauenspurgum 51.54
Regalia monasteriorum 52
Regiæ donationes 31
in Religionis negotio quibus primæ dare tenebantur Principes 51.54
Religiosos interficientium pœna 52
Reliquiarum honoratio 31
Remigius Remensis 31
Remoboth 22.23.136.137
Reprastare 151
Repudii mulcta 221
Rhenanus 219
Rheni vallis 91
Rhetia prima 91
Rhetica nomina 62
Rhinaugia 5.129.189.190
Ripuarii 11.44
Romani Franci 149
Romani homines 152
Romanæ leges Francis & Alamannis notæ 44.
Romanshorn 149
Rotvvilense Iudicium Rusasi.
6.7.26
S.
82 Sacerdotes Baal 128
32 Sacerdotum examinatio ante admissionem 94
32 probatio & animaduersio apud pulo 13.71
& clero simul 8.9. coniugia 4.15.
71 134.135
Sacerdotum scortantium pœna 36
Sacramenta duo 8
1 Sacramentarius monasterii 32
33 Saiga Seiga 60
82 Salii 80
Salica bona 79
9 Salica terra 88
184 Salodurensis Ecclesia à Bertrada 41
44 Salomones tres Episcopi Constantienses 87
Sanctus, Sanctissimus, Sancti 55.56.
81 189
49 Sanctorum inuocatio tempore Caroli 46 M. 10
23 Sanctigallunum 147
Sanctimonialium cœnobia p.4.præfat.
31 15.16
10 Sarabaitæ p.7.præfat.115
9.10 Scaleb 105
Schaffusianum monasterium 53
10 Scholastici Canonici 154
221 Sclaui 2
Sclauo Poloni 91
13 Scoti Monachi 91
31 eorum monasteria apud Germanos p.6.præfat.
65 115
65 Secessus 137
20 Semperfry 79
20 Seruitus 179
Alamannica 75
10 Seruorum apud Alamannos genera 75.
77.78. coniugia 79.80.194.
10 195.& seqq.
39 statura & mensura 61
3.127 liberi in scholis instituti 4
113 Serui in veteri Ecclesia 175. sub monasterio p.7.præfat. 150
71 Serui latentes, & eorum bona 150
113 Sichardus I.C. 221
221 Sigeberti Francorum Reges 49
53 Sigebertus iunior Francorum Rex 49 23
49.50 Sigilla Germanorum Principum Latina 46.47. in veteribus chartis 53
80 44
65 Sigmaringuang 149
49 Simoniæ crimen 7.130. eius irreptio 152
12.66 Simulachra in templis 3
88.149 Solidus 33.60
35 Solitudo 23.57.58
150 Spatæ 55
Spon-

INDEX.

Spenda. 93
Sponsaliorum solutio facilis apud Alamannos. 13
Stainahe. 147
Stainense Monasterium. 53
Stamheim. 150
Stipulatio. 62.63
Sueuie Ducatus. 152
Suffraganei olim nulli. 1
Summus Pontifex. 55
Suonen, Suonbuoch. 88
Sylina. 152
Symbolum. 47
Synodi in veteri Ecclesia. 170. annua. 9

T.

Tabulæ. 44. emptionum & venditionum à quibus peractæ. 21
Templa veterum Christianorum. 167. 168. 173. eorum ornamenta. 38.
Tertia. 13
Testamentum pro instrumento. 82
Testium fides apud Alemannos. 55.86
Theodisco. lingua. 88
Theodorici Francorum Reges. 48. 49. 50
Theodoricus Gothorum Res. 152. 153
Theodosianus Codex. 66
Theutonici. 65
Theutonicum regnum. 65
Thiota Abbas. 149
Tigurina pagus. 85
Tigurinum Monasterium Virginum. 151
Tirolensis Comitatus. 83
Tondendi mos. 135
Tondere in Monasteriisque licuerit. 53
Tonsos in Monasteria tradi 31
Tonsuræ variæ genera. 139. 140
Tosa Monasterium. 88
Tribonianus impius. 66
Tribunus. 149
Trisagium Græcorum. 46
Tuitisce. 88
Turegiensis pagus. 85. Regia. 54 147
Turicensis pagus 51
Turicini Castri Ecclesia 150. 151. 152

V.

Vallis Rheni 53
Vallis vmbrosa fratres 94
Vassus, vasallus 58
Velandi ritus 135
Venerabilis 55
Verona regni Longobardici sedes 153
Vestitura 88
Vicarii monasteriorum 32
Vice domini monasteriorum 21.22
Viennensis episcopatus quando fundatus p.3. præfat.
Vigiles monasteriorum 32
Vindicia 87
Vineta apud Alamannos olim pauca 59.
in Valle Rheni 53
Vini vsus in monasteriis olim rarus 30
Vini vt copia ita æstimatio aucta 59
Violentia apud veteres Germanos pœna 9
Virginum cœnobia 15.16.17.18
Virginem qui stupravit, ducat 202. 203
Virginitatem animi non tantum corporis 136
Vitodurum 84
Vlma 152
Vncia 62
Vnderwegen 154
Vngendi Reges & Imperatores consuetudo 5.6.52
Vniuersalem Episcopum esse Antichristi præcursorem 11
Voti monastici partes p.8.præf.
Vota monastica an olim perpetua & an possint rescindi p.7.præfat. 115
Vronia 151.152

W.

Wasserburg 59.147
Wat, vvatman, vvatspenda 93
Welfi seu Welfones comites 64.65
West, Westgotti 65
Westria 51.65
Wila 88
Wintarduruum 84
Wisogotti 65

X.

Xenodochia 142

Z.

Zacharia Papa dexteritas & industria 11.
Zillenstata 85
Zuentebaldus Lotharingiæ Dux 109
Zuinglius 219

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [263] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [264] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [265] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [266] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [267] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [268] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 785

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover

XIII


1-

H. Germ. II. 10. 1

H. G. G. 92.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [269] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [270] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 152, Stück 3, [271] - -